









# EPISTOLARIO

DI

# GUARINO VERONESE

RACCOLTO ORDINATO ILLUSTRATO

DA REMIGIO SABBADINI

---

VOLUME II:

Testo

VENEZIA  
A SPESE DELLA SOCIETÀ

1916.

Estratto dalla MISCELLANEA DI STORIA VENETA della R. Deputazione di  
Storia Patria. — Serie III, vol. XI.



7 23281  
7 23281

Ristampa autorizzata, in fac-simile, 1959

BOTTEGA d'ERASMO  
Via Gaudenzio Ferrari, 9  
TORINO 213 (Italia)

## INDICE

Lettere da Ferrara . . . . .	Pag.	1
Lettere da Ferrara di data incerta . . . . .	"	666
Giunte . . . . .	"	678
Lettere scritte da Guarino per altri . . . . .	"	680
Lettere perdute . . . . .	"	685
Lettere di dubbia autenticità . . . . .	"	687
Lettere falsamente attribuite a Guarino . . . . .	"	691
Indici degli inizi delle lettere . . . . .	"	701

---



Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/epistolariodigua02guar>

**LETTERE DI GUARINO DA FERRARA**

**1429 - 1460**

---

Epistularum genera multa esse non ignoras, sed unum illud tritissimum, cuius causa inventa res ipsa est: ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset.... Reliqua sunt epistularum genera duo, quae me magno opere delectant: unum familiare et iocosum, alterum severum et grave. CIC. *ad fam.* II 4, 1.

Epistulare officium est de re familiari aut de quotidiana conversatione aliquid scribere et quodammodo absentes inter se praesentes fieri, dum mutuo quid aut velint aut gestum sit nuntiant; licet interdum confabulationis tale convivium doctrinae quoque sale condiantur. HIERONYM. *Epist.* 29, 1.

(Est. 57 f. 15; 94 f. 23 e 45 duplicata; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 199).

Guarinus Veronensis suavissimo Philippo Regino sal. pl. d.

Si quando alias, tum maxime hoc tempore me gratiarum plenum esse optarem ut tibi, ut equo, ut epistulae tuae gratias agerem. Tibi primum gratias agere conarer, qui « cum te rettuleris 5 caeli melioris ad auras » non parva me sollicitudine liberasti, qui pro tua virtute mirifice te diligo et animo meo complacitum habeo. Tum equo ipsi qui longiore itinere te belle commode ac quiete ita vexit, ut non modo non concusserit artus sed et somnos provocarit: credo enim profecto equum ipsum suum acuisse ingenium, 10 ut quam lenissimo vadens gradu tibi inserviret et in te ipso Terentianam et Plautinam vectaret animam. Quid illis facetissimis facerem litteris quae omnia haec tam fideliter tam iocunde tam benivole nuntiarunt? dignae medius fidius quae « in sinu gestentur » 15 et mille per oscula libatae collaudentur. De his hactenus. Ovid. Met. IV 478.

Iacobus Ziliolus « homo perpaucorum hominum » et aetate nostra studiorum Maecenas alter te amat carumque complectitur. quod tuam ad laudem et bonorum tuorum cumulum accedit; nam quid est quod malis quam docto sapienti optimo placere viro. cuius subtile iudicium nulla re vulgari delectari solet? Ei igitur 20 cum te commendavi quid aliud feci nisi currentem adiuvi? Iustinum tuum menti fixum habeo reque ipsa experiere, modo sistere detur, nam et Bartholomaeus noster homo primarius et tui certe amantissimus non minus sponte sua tuae voluntati morem gerere ardet quam ipse tu. Sed vereor ne nobis mutandae sedes et alio mo- 25 venda sint castra, adeo paulatim nescio quid minari videtur hic aer; periere nanque proxime nonnulli et alii languere cooperunt. Proinde te istic contineas consulo, donec huius lunae cursum quid

P9  
8528  
645  
67

paret agnoscamus. Hac ipsa de causa needum aedes conduxi quas cum familia inhabitem, quia adhuc quid agam incertum est, resque simul ac libros in loculis compressos immotosque dimisi, quousque 30 constabit quae ineunda sit via. Quocirea patere si tibi Terentium in praesentia non mitto, qui ubi reserabuntur et dissolventur loculi ad te volitabit: adeo pennatum volumen habere eum dices.

Clarus vir et doctus iurisconsultus d. Ziliolus eiusque frater Paulus adulescens egregius et carissimus Antonius Brixensis 35 <sup>Ter. Ead. II 2.</sup> <sub>39.</sub> noster « plurima salute te impertiunt »; dominus quoque Ugolinus homo singulari et virtute et doctrina, quo nihil suavius aut amabilius dici potest, te imprimis salvere cupit. Vides, Philippe carissime, tot in unam redactas summam salutes tibi comportari. ut si eis parce uti volueris diutius futurus salvus sis. Vale aman- 40 tissime Philippe et rogatus sis ab Paulo Ziliolo ut vel certo nuntio Servium mittas. Vale iterum ac perpetuo.

Ex Ferraria VIII kal. maias <1429>.

## 508.

(Est. 57 f. 22; 94 f. 46; Danzica 2224 f. 185).

Guarinus Veronensis cl. v. Ugolino Heliae pl. sal. d.

Non possum non admirari Iacobi patris et patroni nostri huma-  
nitatem simul et tuam, qui in tanta rerum tempestate atque fluctua-  
tione me non deseritis sed admonitionibus et exemplo cursum  
meum confirmatis et dirigitis; nam licet magnum circumspiciam 5  
unlique incendium et instans naufragium, tamen degeneris esse  
euseo non ita fortiter et impetum fortunae ferre et adventantes  
ierus expectare, sicut a vobis fieri video viris et sapientia et  
auctoritate tanta praeditis. Quantus autem sit adversae fortunae  
incursus intelligitis in Pauli heu! mei iactura; cuius indoles in- 10  
genium modesti, litterarum peritia et studiorum delectatio omnes  
et quidem amplissimas spes pollicebatur viri sapientissimi, civis  
Imagni per actatem futuri. Quid dicam de consilio adiumento et

ornamento quod pueris meis ex eo sperabam in posterum? « O cu-  
 ras hominum o quantum in rebus inane ». Haec autem certissima  
 parantur ab immortali deo nobis documenta, quibus perdiscamus  
 non in hominibus sed in Domino iactandos esse cogitatus nostros  
 caducaeque oninia nostra et momentanea esse meminerimus; proinde  
 sumpto fidei scuto et Iesu Christi lorica et illata animose feramus  
 et impendentia fortiter excipiamus. Quod prius dicendum erat, si  
 dolor sisisset, Paulus summa animi fortitudine et contritione con-  
 fessus et sumpto devotissime Domini corpore ac reliquis ecclesiae  
 ordinibus ex hac miseria volavit ad caelos.

Vale et tuum habe commendatum Guarinum et domino me  
 commendatum facito, qui sola restat mihi spes atque voluptas.

Magister Antonius noster postquam omnia absolvit diligentis  
 patris officia, domum exivit, dispositis rebus omnibus et clausis. Isnardus  
 vero eum retinet et summa caritate complectitur; apud eum  
 erit quoisque significatum erit quem in locum se recipiat. Itaque  
 rescribas quam cito quid illum agere vult dominus: eum scio  
 carum habebit in primis et omni benivolentia prosequetur dominus  
 et pro ipsis domini consuetudine et pro meritis Antonii cum su-  
 periori tempore tum vero in hoc Pauli nostri casu.

Vale et domino Ziliolo me commenda.

Ex Argenta XV iunii 1429.

---

23 Il cod. 94 presenta questa lezione: ad caelos. Magister Antonius — Pauli nostri casu. Vale et tuum habe commendatum — atque voluptas. Cum ad hanc aliam domum — fides in culpa est. Iterum vale et domum Ziliolum consolare ac ei me commenda. Ex Argenta XV iunii 1429. Il passo « Cum ad hanc aliam domum — fides in culpa est » appartiene come poscritto alla lettera 510. Nel rimanente il copista o il redattore del cod. 94 ha rimanipolato e interpolato. Il cod. di Danz. va d'accordo col 57. | 35 Argenta è nella provincia di Ferrara | 1429 om. 57, Danz.

## 509.

(Est. 57 f. 20; 94 f. 41; Danzica 2224 f. 184 v.).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. cl. v. Iacobo Ziliolo.

Quotiens aliquam de te ipso rem effers, mirificam de te ipso  
praebeas experientiam et ita mirificam ut aere ac marmore digna  
censeatur. Nam ne longius discedam, si de amore et benivolentia  
re ipsa certandum est, ipsam pietatem superas; si aspera et dura 5  
toleranda sunt, ipsa patientior es patientia, quorum utriusque te-  
stimonium proxima declaras epistula. Nam tanto amore dilectione  
studio caritate sermonem habuisti, ut totum in me infundere te  
velle signifies; et si qua suboriatur ex filioli nostri obitu dubi-  
tatio, sperare confidere exploratum habere de tua liberalitate fide 10  
virtute me facis. Eapropter quis te non amet colat veneretur, in  
sinu gestet? Adde quod in acerbissimo casu nostro, ubi semianimus  
mihi factus videor, tu qui consolandus es et in tanta iactura le-  
niendus, me sublevas consolaris et ad meliorem deducis animum.  
Quae cum ita sint, quid mirari opus est si primarius et es et 15  
haberis et magnificentissimo dignus principe, qui tibi consilia  
credat et regni sui praeficiat habenis, cum eius generis experi-  
menta de te in dies edas, ut neque secundae res te extollant nec  
adversae frangant. Te igitur felicem vel inter adversa declarare  
non dubitavero vel teste Virgilio, qui eum felicem asseruit « qui 20  
metus omnes et inexorabile fatum subiecit pedibus ». Te igitur  
auctore vel exemplo aegritudinem animi vel depellere vel dimi-  
nuere conabor; vitio enim dandum esset, si te, qui nil nisi ratione  
summa et dicis et facis omnina, non imitatus ero. Plura non scri-  
bam, nam qui soleo loquacitate ipsas superare picas, ita nuper 25  
dolore domestico tabui et arefactus sum, ut nihil nisi aridum  
exprimam et « ipsis piscibus mutus magis sim », et eo magis  
quod interius suffocandus est maeror et lugente pectore cogendus  
est ad risum vultus, ex quo pendet uxor et reliquae familiolae

*Geo. II 491.*

*Horat. Od. IV  
3, 19.*

---

509, 6 utrimque 94 | 8 te *om.* 57 | 18 te res 94 | 29 ad risum  
est 94.

30 consolatio. Nam nimis magnam videor fecisse iacturam; sed « re-  
primam me », ne et te affligam et tuis videar refragari praeceptis. <sup>Ter. Hec. V 1,</sup>  
<sup>39.</sup> Vale spes mea et fluctuationis nostrae ancora.

Ex Argenta 15 iunii <1429>.

(Poscritto)

Ut omne<m> meum ac meorum statum cognoscas, dissemi-  
35 navi familiam; quo enim minus lignorum simul est, minus fieri  
etiam debet incendium. Alium Ravennam, alium Vincentiam, alium  
rus dimisi; ego cum filiolis et uxore in domum Iacobi de Bando  
secessi, ubi propter subitam ex altera domo fugam pauca mecum  
40 exportare potui. Deinde cum minus tutum videretur domesticum  
aliquem in eam remittere, et sic medicus consulebat, carere multis  
rebus oportebat, nisi tuorum spe fretus essem. Igitur cum domi  
repperissem vas quoddam vini, illud suscepi in usum nostrum et  
multa quae in ea doimo erant supellectilia. Postmodum supervenit  
45 Iacobus ipse tanta liberalitate munificentia et promptitudine cuncta  
mihi exponens, ut quo pacto illi gratias referrem videre nequeam.  
Tu igitur mi Iacobe, cuius gratia haec mihi fiunt omnia, vel verbo  
nunc vel re ipsa in posterum gratiam ipsi patrono domus ages;  
scio enim difficile esse ab aliquo superari munificentia posse.

Est etiam quidam Blasius de Marciis, qui ita mihi tua causa  
50 inservit, ut nulla in re mihi, quantum in eo est, deesse sinat. Quid  
dicam de Francisco tonsore, qui opera diligentia consilio et,  
quod maius est, pecunia mihi praesto est, modo uti voluisse?  
Hos non tam in libro creditorum quam in pectore scribas oportet,  
ut cum tempus erit se intelligent grato homini, ut tua consue-  
55 tudo est, officium contulisse. Hoc maximum est in hisce doloribus  
consolationis genus, ita visitari, ad spem sublevari, ut solus ac  
destitutus minime esse possim. Haec omnia ad reliqua in me of-  
ficia tua sunt adscribenda. Vale vir fortissime.

Ex Argenta XVI iunii <1429>.

---

33 La data è omessa dal 57. | 34 Il cod. 94 f. 41 v. comincia qui una  
nuova lettera con l'intestazione: Guar. V. c. v. Iac. Zil. s. p. d. Questo co-  
dice interpolava. | 36 etiam fieri 94 | 42 in us-no-suscepi 94 | 59 XXV  
57, Danz. Può darsi che XXV vada corretto in XV e che questa sia la  
data unica della lettera e del poscritto. L'Est. 57 e il Danz. seguono la  
stessa lezione.

(Est. 57 f. 32; 94 f. 47).

Guarinus Veronensis cl. v. Ugolino Heliae sal. pl. d.

Facis vir amplissime pro tua reliqua et solita humanitate, ut et Antonio Bixiensi et mihi, idest duobus afflictis, scribas et seribendo leves. Nam tuam gravitatem ac sapientiam p[re] oculis quasi speculum proponentes, habemus quem in dolendo ducem 5 imitemur; pro quibus rebus ac meritis tuis etsi referre gratias non licet, attamen habemus ute[re]que tibi et quidem ingentes. Quod autem cupias Antonium convenire, facis quidem benivole ut carentem subleves et amissam spem revoces; ceterum cautius erit ut nondum hominem convenias, quo reliquae familiae consulas. 10 Nosti autem huius generis morbos quam suspecti et ut dicam proditores sunt; ego vero cum tempus esse videbitur et maturum animi vulnus erit, aggrediar solari si qua facultas dabitur.

Curo pro viribus ut meae et meorum saluti consulam, quos vobis idest domino ac tibi et reliquis carissimos cum video, magna capio maeroris consolationem et futuri spem. Gratum fuerit ut Fabricius si non totum, at partem habere curet pullorum quos ei imponebam pro me coenendos. Dispersi ac disseminavi qui mecum erant, ut quo minor sit simul lignorum congeries, minus quoque exardescat incendium. Ita dominus Bartholomaeus Raven- 20 nam concessit, alii alio; Iohannes Estensis adhuc magnam nobis spem salutis exhibet, nihil omittitur diligentiae et magna vindico pecunia qui illi inserviat.

Athanasium multis transcribendum distribueram, primo pro me retento quinternione quem transcribere cooperam; itaque salvus erit ubi in unum cuncti revocari poterimus. Antonius noster pecunias illas accepit ut sensi et tibi ut arbitror rescribet. Ipse magnum hoc tempore fidei et caritatis exemplum in se exhibuit, marmoribus insigniendum, ut mortem subire non dubitarit; itaque non ambigit rem suam apud hominem gratissimum cognitum iri 30 nec nisi spem habet firmissimam. Si quid mihi opus fuerit, ad

te, vir benignissime, recurram : te enim pro tua liberalitate portum quendam mihi constitui.

Ex Argenta XVII iunii <1429>.

35 Cum ad hanc aliam domum confugisse<sup><m></sup> Iacobi de Bando et nullum invenirem qui ad pristinum habitaculum susceptum aut vinum aut alia necessaria ire vellet, ne fame et incommodis conficerer, vas vini hic repertum in menin usum converti, fretus ea benivolentia quam patronus domus habet cum 40 Iacobo. Si male feci, amor et fides in culpa est.

### 511.

(Est. 57 f. 33 ; Danzica 2224 f. 187<sup>v</sup>).

Guarinus cl. v. domino Ziliolo pl. sal. d.

Tua mihi opus est cura et diligentia ad librum quendam ad me revocandum ; haec autem res quandam sermonis nostri vicem suppleverit, quo tandiu caruimus. Est vir insignis et virtute et 5 doctrina Victorinus Feltensis qui docet filios illustr. principis Mantuani ; apud eum est liber meus quidam, quem hoc tempore repetere opus habeo, praecipue per nuntium fidelem. Et quia illustris Princeps noster solet eo tabellarios mittere, curam hanc susciperes vellem, Ziliale dulcissime, ut his inclusas litteras ad 10 eum mitteres, quibus visis librum ipsum statim obsignabit. Tibi vero non dicam : hoc age vel hoc ; nam per te nosces, qui cum ceteris virtutibus, tum vero paterna plurimum vales diligentia. Id erit adeo mihi gratum, ut nihil gratius in praesentia mihi fieri possit. Credo tibi quoque rem hanc gratam fore, qui pro 15 tua in me et caritate et observantia tum denique gaudes plurimum, cum meae obsequi voluntati potes : adeo ad bene de amicis merendum natus et consuetus es. Vale humanissime vir.

Ex Argenta <giugno ? 1429>.

---

35 Il cod. 94 omette qui il passo « cum ad hanc - in culpa est », accodandolo alla lettera 508.

511, 5 Voctorius Danz. | illu. Danz. | 13 in pres - gr - Danz.

## 512.

(Brit. Mus. Add. 15336 f. 50).

Guarinus Veronensis Antonio Brixensi viro optimo pl. sal. d.

Vide litteras tuas, idest ad te missas; videas velim et meas (ut pro iure nostrae verissimae amicitiae nostra communia sint), quas ad nos nuper misit doctissimus iurisconsultus et homo suavissimus Ugolinus Helias et vere magnus Iacobus Ziliolus, qui 5 tantam in eis prae se fert animi magnitudinem ac robur, ut in tanto filii vulnere et amarissimo casu qui consolandus erat et aliena indigere medicina credebatur, nos ipsos consoletur nobisque medeatur. In eis vero legendis quem philosophum, quem theologum Iacobo antepones? Illis autem, ut cernis, uterque eleganti et ratione et oratione maerorem tuum demere et ad spem bonam sublevare nititur, ut intelligas et Pauli nostri obitu vel verius abitu nullo pacto antiqua de spe tibi decidendum esse. Qua in re, Antoni carissime, si tecum hactenus tacui, mireris nolim nec id temere factum credas. Immatura nanque vulneris 15 acerbitati visa medicamenta essent, quae manum nequaquam audiret, nisi mora et expectatione mitesceret. Volui igitur ut tempus adiuvaret, « diem enim adimere hominibus aegritudinem » comicus noster testis est. Nunc vero cum hominem te satis ostenderis, et virum amplius declares oportet. Discutiamus inter nos an ve- 20 hemens ulla tibi sit dolendi atque afflendi causa.

« Adulescentem, inquies, primarium amisi, moribus integris, bonitate singul*<ar>*i, caritate in amicos, amore in parentes, pietate in deum ». Has in adulescente nostro virtutes fuisse concedo, ceterum haec ipsa profecto causa est, Ant*<oni>*mi, *<ut>* 25 lacrimas abstergas, maerorem deponas, immo et tibi et Paulo gratuleris. Nam cum ipsum « a teneris, ut dicitur, unguulis » Paulum huius generis adulescentem prospexeris et cognitum habueris, quid est quod dubites superiora Paulo in caelos iter stru-

Ter. Heau. III  
1, 13.Cic. ad fam.  
I 6, 12.

---

512, 5 Helyas misit cod. | 7 filio cod. | 11 memorem cod. | 13  
obitu cod. | 20 declarares cod. | 25 Animi cod. | 27 unguiculis? | 29  
quid est quid cod. | in celos lustruxisse cod.

30 xisse et inter beatorum choros et innocentes animas locum peperisse? Quod si credis, promittente Veritate « beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt », quid ambigis huic tanto bono, tam immortali beatitudini, tam expetendo et omnibus facultatibus emendo fini et ipsi denique Paulo, qui paradisi novellus factus  
 35 est incola, gratulari et pro eo laudes et gratias deo decantare, quem pro animi et corporis puritate <et> niveo candore in sublim<i>a delatum esse fateris? Huic immortalitati, huic innocentis vitae praemio, his promissis virtuti et castimoniae thesauris nisi libens summoque studio et prono consensu gratularis, cave ne invidi  
 40 magis quam amici munus et officium confeceris. Proinde, Antoni mi dilectissime, gemitus et singultus reprime et laetiorem expurge frontem.

Matth. 5, 8.

Dices: « an non doleam Paulum meum abiisse, quem tanta cura labore vigiliis excolueram, ut bonis disciplinis, litteris multis,  
 45 varijs studiis et ex tot auctorum lectionibus virtute ornatus, eloquio dulcis evaserit? » Istuc ipsum longe magis gaudeto, si sapis ut soles nec dolor oculos mentis praestringit: meliorem ornatiorrem cariorem Paulum reddidimus quam acceperamus, ne ignavi cultoris nomine tenearis.

50 « Angit me, fortassis inquieres, et vehementer afficit, quod laborum meorum, diligentiae, curae, studiorum in ipsum tantorum spem mihi et praemiorum expectationem abstulit ». Hui! modicae fidei, quare dubitasti? An ignoras vel apud deum nullum honestum laborem sua carere mercede? Spera in deo et omnia  
 55 reddet tibi. Spem bonam habe in eius parente optimo et omnium « qui sunt qui fuerunt quique aliis erunt in annis » gratissimo, Iacobo inquam Ziliolo, qui sicut reliquis magnis et innumeris virtutibus nemini cedit, ita et in referenda gratia ac beneficiis cumulate reddendis cunctos mortales superat. Cuius rei  
 60 utriusque testes sumus optimi, qui hominem in hoc, quod dico, summa cum admiratione experimur in dies. Quid eum facturum arbitraris tanto, ut alia taceam, tamque admirando non familiaris non amici sed patris officio provocatum, quo, fugitantibus ceteris et morbi genus abhorrentibus nec ullo auro adesse volentibus,

Catull. 21, 23.

---

39 ne] et cod. | 44 et cod. | 47 perstringit cod. | 48 quod cod. |  
 52 huie cod. | 62 tamquam cod.

omnia contempsisti pericula et ipsam denique mortem, tantum 65 amicitia potuit, flecti fecisti? Quanti vero Iacobus ipse tuum istud singule et landabile facinus omnibus memorandum saeculis faciat, ipse vir gravissimus Ugolinus testatur, testantur et Iacobi litterae plenae liberalitatis.

« Tristor, dices, et Paulum patri non restitui, uti animo constitueram, ea virtute ac doctrina praeditum, ut tali tamque praeclaro parente dignus filius evaderet quique non modo suis  et admirandus esset, sed etiam externis praedicandus et cuivis domino et principi placiturus foret ». Recte profecto :

Verg. Aen. IV 100. « habes tota quod mente petisti »; nam probum doctum immaculatum 75 vero patri et omnium creatori deo restitutum non negabis et illi placitum, qui principum ac dominorum princeps et dominus est, qui eius vitae et dignitati honorique consuluit, ut ex corruptibili domicilio in aeterna illum reciperet habitacula ; ubi sua duce probitate modestia integritate apud omnipotentem patrem efficaces pro te preces porrigat, ut tibi salutem ac bonorum cumulum impetrat et eo altissimum orante Dominum deo carus deo fias acceptus in terris.

Nec ideo praecipue suscipienda sunt lamentationes, quod immatura mors florentibus annis adulescentem nostrum intercepit ; quin potius si recte animadverte voluerimus, cum eo bene actum esse dicemus quod ex tot periculis miseriis morbis mortibus in tutum se receperit et ex hac malorum sentina liber effugerit ; ubi mors indigna est quae tantis curis sollicitudinibus studiis fugiatur, quae potius vel non formidanda est vel optanda, 90 cum eius beneficio ex hac mundi vita, quae mors. est, ad illam quae vera et immortalis et aeterna vita est ascendamus. Repete memoria quotiens legeris mortem ab diis immortalibus, ut poetae dicunt, in laboris et pietatis praemium esse donatam, cum quid optimum ab eorum cultoribus rogati essent. Quae quidem omnia 95 cum Aemilius, Pericles, Anaxagoras et ceteri quos tradidit historia viri magni et illustres animo versarent, fortius filiorum obitum tolerarunt et suadente virtute aequo animo vultuque con-

Val. Max. V 10,  
2; cxi. 1. 3.

---

71 tamquam cod. | 78 ut] et cod. | 79 sua duce] suadente? | 82 fiat cod. | 90 vel non optanda cod. | 91 eius] enim cod. | 92 ostendamus cod. | 96 Denaxagoras cod.

stanti et nusquam mutato pertulerunt. Quid gentiles alii, qui solo  
 100 ingenio ac studiis inducti vel illecti sibi tam fortiter tempera-  
 runt? Nos Christi et veri dei lege ac exemplo firmati certi ar-  
 dentes non resistemus dolori, non inter adversa deum, cui omnia  
 vivunt, benedicemus eiusque visa voluntate promptissime sequemur?

Surge igitur animis, Antoni vir constantissime, tristitiam de-  
 105 pelle, laetitiam revoca et Paulo nostro tot malorum congerie egresso  
 et paradisum ingresso gratulare; quique Pauli aegrotatione acer-  
 bissima subire non dubitasti, pro Pauli beatitudine gaudium aude  
 capessere et tuos, qui tuo dolore tristantur, tuo iam exemplo lac-  
 tos effice. Eius pater vir insignis tibi documento sit, quem in  
 110 tam maesto casu mira fortitudine armatum ac fortunae telis ani-  
 mose resistentem conspicis. Vale et valitudinem tuam cura dili-  
 genter ut vultu meliori sanctis cum musis <in> pristinam re-  
 dire possimus gratiam.

Ex Argenta XVIII iunii 1429.

### 513.

(Est. 57 f. 23v; 94 f. 48v; Danzica 2224 f. 185v).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Cum manifesta sit et cognita omnibus tua in me benivolentia  
 et caritas, multi ex hoc loco ad me pervenerunt ut mediantibus  
 meis ad te litteris cuidam afflieto subsidium et opem ab tua hu-  
 5 manitate impetrarent. Est hic Guido quidam Bagnacavallensis, in  
 suspicionem furti vocatus et in publica coniectus vincula, quem  
 ferunt brevi ad praetoris manus Ferrariam demittendum esse. Hic  
 ipse communi omnium sermone ita omnibus obsequiosus et fidelis  
 habitus et expertus est, ut nemo inveniatur qui plura de hoc ho-  
 10 mine non bona dicat. Quod si quid in vita peccarit, sibi inter-  
 dum peccavit, quia lusorem fuisse non negant; idque iuvenilis

---

102 adversas cod. | 103 eumque cod. | 105 congerie] genere cod.  
 | 106 gratulari cod. | 108 capescere cod. | 110 talis cod. | 112 sanctis]  
 factus cod. | pristinando cod. | 114 1424 cod.

513, 10 vel peccavit codd.

aetatis vitium fuisse perhibent, quae in dies errata emendat. Sed tamen cum in tractandis alienis rebus et pecuniis semper egregiam de se fidem declararit, non dubitant, immo certum habent ipsum Guidonem huic culpae affinem non esse. Si tamen is aliquo pacto 15 commaculatus sit, petunt atque obsecrant ut hoc ipsum crimen hoc in loco per dominum vicarium virum sane severum et iurisperitissimum discutiatur. Id erit ad iustitiae tenorem et ad ipsius Guidonis miseriam et inopiam convenientissimum ; hoc orat uxor infelix et pauper, hoc orant duo filioli lacrimis multis, qui ab ducto patre destituti in desperationem adducerentur ; et eo magis quia longe a suis positus Guido, neminem habiturus est qui suam liberationem curet, qui praetori commendet, qui in necessariis succurrat. Id quantum causis carceratorum etiam insontium obesse soleat, pro tua sapientia nosti.

25

Tuam itaque humanitatem, vir amplissime, rogatus rogo ut quantum pro dignitate tua honeste fieri possit, ita causae Guidonis faveas, ut si hoc in loco res ipsa discuti valeat, alio ne transmittatur. Quod deo et hominibus huius loci potissime placitum videtur. Vale vir insignis. Valemus et ipsi corpore. Nos 30 commendatos habe.

Ex Argenta XXIII iunii <1429>.

#### 514.

(Est. 94 f. 48)

Guarinus Veronensis cl. v. domino Ugolino Heliae pl. sal. d.

Vidi utrasque litteras abs te et doctissimo Thoma super Athanasio descriptas. Quibus ut brevi respondeam : libenter quinternos omnes collegisse, cum ex initio ex priori habitaculo discedendum erat ; sed tam vehemens fuit subita omnium consternatio, 5 ut nulla nisi fugae cura fuerit. Res praeterea omnes intactae priore in loco sunt, quas ut primum revocandi tempus advenerit, ipsos quinternos in unum colligam. Tamen ita bono sis animo velim,

ut integri omnes tuas in manus perventuri sint. Primus apud me  
10 est, quem scribendum incoharam; et nisi aliae animam curae  
distraxissent et amaritudine implessent, absolvisset: carabo igitur,  
ut dixi, diligenter ut redeant.

Gaudeo saluti vestrae, quantum dominae nostre adversae  
valitudini tristor, quae iam princeps nostrarum est familiarum.  
15 Hic dei gratia saluber locus est et omnes recte valent; quod per-  
petuum ut sit deum immortalem oro, nam quo alio confugiendum  
sit non sane video; quae res interdum me affligit. Tu vale et  
me interdum communi domino nostro commenda.

Ex Argenta XXIII iunii <1429>.

### 515.

(Est. 57 f. 24v; 94 f. 49).

Guarinus Veronensis amplissimo viro Iacobo Zilio sal. pl. d.

Multotiens cum tuas mecum recensem virtutes, illas quidem  
singulares ac primarias, non postrema videri solet tua illa admirabilis  
humanitas et benigna facilitas, qua in tam sublimi fastigio,  
5 « duce virtute », collocatus parem cuique humillimo te praestas. Cic. ad fin. X  
3, 2.  
Haec ipsa tantam mihi ad scribendum praestat audaciam, ut ni-  
hil dicere posse videar quod non tibi gratum acceptumque fore  
sperem, praesertim cum ab animo tibi deditissimo proficiscatur.  
Sum certe tibi ac tuis deditissimus et ero semper « dum memor  
10 ipse mei, dum spiritus hos reget artus »; quod ut ipse faciam Verg. Aen. IV  
336.  
tua plusquam paterna in me beneficia et innumerabilia merita  
poscunt. Proinde tuae laudis honoris dignitatis ornandaе atque  
augendae studiosus sim necesse mihi est, nisi ingratissimus esse  
velim. Non patiar igitur si qui fallacias et mendacia tibi proferre  
15 nitantur et tui honoris diminutionem ordiantur, ut rem suam con-  
cinnent.

Audio certis ex auctoribus nonnullos hic esse, qui vicecomiti tam callide insidias tendant, ut suis persuasionibus id iam

effecerint, ut tum in eum conflaverint odium. Quod tamen verisimile vix esse potest, praesertim cum constet te malefacto- 20 ribus et inimicis tuis bona multa contulisse et pro animi magnitudine beneficiis eos affecisse, cum Salvatoris et Magistri praecepta sequaris, qui ut pro inimicis nostris oremus et verbo et opere nos inducit, qui cum crucifigeretur pro crucifigentibus a patre veniam deprecabatur. Quid autem huic optimo viro et in 25 tuos idest nos omnes liberali ex te sperandum sit, facile spectari potest, cui laudes gratesque debentur; nam ut omittam liberales in nos oblationes et munuscula rerum suarum cum initio venimus, unum in re acerba dicam. Cum funus celebrandum esset filio nostro, refugientibus multis ac multis eum revocantibus, p- 30 rae sens funeri fuit, alios invitavit, alios invitos sua praesentia et abire volentes in templum deduxit, in missarum celebratione et funeralis officii psalmodia indefessus adstitit. An haec quae dico latent? an occulta sunt? totus Argentinus novit populus, omnes viderunt incolae. Taceo ceteros: testis est Isnardus, testis est 35 Brixiensis Antonius; quod si qua ex parte omissus est funeris honor, pace loquor contradicentium, nulla in vicecomitem culpa. Non ipse prohibuit, non dehortatus est, sed sua potius hortatione induxit et imitatione animavit. Quare, vir magnanime, eorum qui contra insidiantur susurros animadvertes ponderabis et pro tua 40 sapientia iudicabis.

Accipe et aliud huius ipsius vicecomitis meritum. Cum affinis ille meus Iohannes Estensis morbo captus in lectulo decubaret, omnium spe atque ope destitutus, quanto in maerore versarer cogitabis; occurrebant hominum obloquia et detractorum male- 45 dicta, quod adulescentem more ferarum mori sine ullo studio sinerem. Ad vicecomitem nuntium misi ut eius auxilio et consilio et languentis curae et mei ipsius honori providerem. Is postquam omni diligentia et inquisitione neminem comperire se posse vidit, omnes enim ut anguis morsum fugitabant, suum quendam 50 induxit famulum precibus obsecratum et mercede persuasum, qui aegrotantis curam ita suscepit ut ne desperatus quidem excederet e vita et nostro consultum esset honori.

Unum adiciam, ne longior te fastidio afficiat oratio. Cum do-  
 55 mesticos meos disseminare ac segregare statuisse, id enim ad  
 tutiorem omnium salutem spectare videbatur, adulescentem quen-  
 dam Ferrariam usque sociari feci, ut ad suos Vincentiam rediret;  
 accepi igitur ducem, impetrata prius a bulletarum praefecto licen-  
 tia. Ei deinde reverso tanta iniecta est persecutio fuga minitatio,  
 60 ut ni confestim fugeret ex castello, vincula cruciatus et flagella  
 intentarentur. Unde autem tot evomerentur minae non dicam;  
 meum siquidem est accusare neminem. Cum igitur bonus ille  
 homo meam imploraret fidem, ratus indignum ut pro beneficio  
 supplicium caperet, ad vicecomitis opem confugi, tuum nomen  
 65 allegans tuaque causa me ipsum commendans. Plura non dicam;  
 vicecomes sese opposuit et contra eos qui nunc sese transfidos  
 ostentant, sumpto clipeo bonum illum tutatus est insontem ho-  
 minem.

Haec atque alia nobis tua gratia, immo vero tibi in nobis  
 70 collata obsequia laudem meruerint an convicium? poenam an  
 meritum? Tu qui subtilissimo polles iudicio et gratissimus om-  
 nium es pro tua gravitate censebis. Nec possum adduci ut, sicut  
 quidam iactitant, parte inaudita altera, iudicium feceris ad accu-  
 satorum arbitrium et pro tua aequitate ex duabus auribus non  
 75 alteram saltem accusato commodaveris, qui tanto dolore cruciatur  
 et affligitur, ut « vultu oculis fronte » manibus suam animi de-  
 claret acerbiam, quia sese tuum obiectum in odium esse sen-  
 tiat; quod cum per se pessimum sit, tum vero peius esse dicit.  
 quod nulla culpa tolerare poenam debeat.

80 Haec ipsa cum decus laudemque tuam pertingere videantur,  
 pater ac patrona carissime, pro mea in te pietate et tuis in me  
 meritis facere non potui quin a me gnarus fieres. Tu pro tua  
 benignitate mea dicta meliorem in partem accipies et qui omni  
 virtutum genere vineis, patientia quoque vince et meam hanc gar-  
 85 rulitatem aequo fer animo. Vale spes mea et me ut facis com-  
 mendatum habe et illustrissimi principis pedibus me humiliter  
 commenda.

Cic. ad Att.  
XIV 13 B 1.

Ex Argenta XXVII iunii <1429>.

66 transfidos = valde fidos | 80 laudemque: qui, alla fine del f. verso,  
 rimane tronco il cod. 94. | 83 omnes omni?

## 516.

(Est. 57 f. 29<sup>v</sup>; 94 f. 51; Danzica 2224 f. 186<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis cl. iurisconsulto Ugolino Heliae pl. sal. d.

Tuam humanitatem sicut et reliquas virtutes tuas plurimas ac maximas et admiror et laudo, quae facit ut in tanta communi animorum et corporum iactatione nos non deseras et bona spe in dies consolando subleves, cum in vestra valitudine corporis pro- 5 spera etiam partem aliquam constare nostram sospitatem vis. Pro quibus quidem meritis cum nulla alia referendae gratiae spes mihi sit, te amo te observo te veneror et in parentis locum teneo; perge vero et me ut coepisti ama, ut me quem tuum fecisti, tuissimum reddas.

Quousque autem me afflictabit et novis ictibus exulcerabit Pauli dulcissimi memoria et nominis commemoratio, cui necesse est ut quotidie novas, quasi libationes, lacrimas effundam? eius nomen « semper acerbum semper honoratum, sic di voluistis, 15 habebo ». Ecce novus dolori cumulus piae matris ac miserandae factum accedit, quam sine magna et amarissima cogitatione audire non possum. Pono ante oculos afflictissimae matris aegritudinem lacrimas suspiria clamores querelas et ut breviter dicam miserabilem genitricem. Deus vere pius vereque misericors eam et nos respiciat consoletur et doloris acerbitatem mitiget; per- 20 spiciat oportet mulier primaria et reliquam familiam, quae ex ipsius vultu tristitiam gaudiumque suscipiat opus est.

Poterat Iohannes puerorum nostrorum praceptor librum quem illi commodaram tenere quoad illum sibi transcripsisset. Saepissime ut commonefeceras Antonium Brixensem consolari 25 aggredior et cum aliis viis tum scriptis levare non desino, cuius responsio omnis in lacrimas finitur; dies, ut mos est, communem hanc omnibus aegritudinem adimat est necesse. Bene et pro tua consuetudine facis cum Antonium domino nostro commendas; admirandae sane fidei ex eo late patere debet exemplum. Obsecro 30

Verg. Aen. V  
50.

etiam mi Ugoline ornatissime ut cum tempus datur me quoque  
et domino et dominae et communi matri commendes saepius;  
idem fac apud d. Ziliolum cui plurimam salutem et animi et cor-  
poris hoc tempore opto. Dominabus cunctis suam etiam commenda  
35 Tadeam. Vale virtutis speculum.

Ex Argenta pridie kal. iulii <1429>.

Nicolaus puellus meus minor nonnihil pugnat cum veribus.

## 517.

(Est. 57 f. 27v ; 94 f. 51 ; il 97 ha la sola chiusa da *a quibus* 44 fino a *iulii* 46 ; Danzica 2224 f. 186).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Novos quosdam quotidie virtutum tuarum fructus accipio ; nec  
mirum, cum sis bonarum artium et optimae institutionis fons uber-  
rimus. Nam ut alias « praesens in tempus omittam », ex hisce litteris  
5 quas graviter et ornate compositas ad me dedisti, quam placabile  
tuum declaras ingenium animumque modestum ! Quo factum est  
ut, cum aliorum et, si recte auguror, gravioris hominis persua-  
sione commotus esses et magistra pietate vehementius incitatus,  
<tum> amici tui benivoli et fidelissimi familiaris, idest mei,  
10 ratione ac precibus delinitus, cum homine redieris in gratiam, ab  
quo iniuriam accepisse credideras ; quae si tam vera quam veri-  
similis extitisset, non minus mea quam tua, mihi crede, fuisset,  
et instigandus potius quam revocandus fuisses. Maximum itaque  
vereque virile, ut soles, exemplum dedisti, cum animos, qui facile  
15 domari non solent, ut fortis auriga moderans, rationi parere coe-  
gisti. Bene igitur ac scite maiores nostri nullam maiorem in eo  
viro virtutem « placabilitate » statuerunt, qui in rei publicae et in  
gentium negotiorum administratione, ut tu, gubernator futurus

Horat. A. P. 44

Cic. de off. I  
88.

---

33 Ziliolum virum sane peritissimum cui 94 | 37 Nicolaus - ver-  
mibus om. 94.

517, 2 quosdam om. Danz., cotidie om. 57 | 8 est Danz. | 17 viro  
om. 57.

esset. Qua quidem in re non solum tibi, cuius laudi honori dignitati faveo, sed mihi etiam gratulor cum id meae fidei tribuisti 20 quod sapientissimorum hominum auctoritati solet, ut meis precibus pro tua facilitate libere ac libenter acquiesceres.

Ceterum tuas lectitanti litteras mihi obvenit quod de apibus dici solet, quae cum ore mel partuant, tristem sub cauda occultent aculeum. Tuae itidem cum fronte prima suavissimam prae 25 se ferant orationem mellitumque sermonem, acerbam sane sub earum calce narrationem erigunt. Non possum enim lacrimas et singultus continere, cum ad Pauli nostri casum «mater ad auditas stupuit ceu saxea voces». Uno ex facto tam crebro nostra refricantur vulnera, ut nullo pacto cicatricem queant obducere et 30 dolor in timorem convertatur, ut iam genitricis vitae pertimescendum sit, quae quidem res alias nobis ingerit amaritudines. Nostra nanque <atque> omnium tuorum res agitur, quibus ipsa mulier primaria communis est mater tutrix atque patrona. Oremus deum ut ei consolationis robur adhibeat, quo et hos toleranter 35 casus ferre possit et tuos solita benignitate tutari. Interim quam consolabilius potest traducamus hoc tempus tuque inprimis, ad cuius vultum perinde ac speculum mentes nostras frontesque formamus.

Nicolaus filiolus minor cum aliquandiu cum vermbus pugnarit, tandem Iesu Christi gratia victor evadens febricula obsessus mansit, quam tertianam fore puto; reliqua familia satis belle habet, nisi quod ancilla altera cum febricitarit, in dies convalescit. Quam adversa haec studiis nostris, a quibus tamen subsidium et tutamen invoco. Vale pater optime. 45

Ex Argenta kal. iulii 1429.

## 518.

(Est. 57 f. 30<sup>v</sup>; 94 f. 51<sup>v</sup> mutilo alle parole *ita me tibi* 6; Danzica 2224 f. 187).

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Novis quibusdam in dies signis tuam in me benvolentiam vel pietatem potius declaras; nam quantum est quod hesterno die rerum tuarum participem et arcanorum me conscientum esse volui-  
5 sti! quae ex medio caritatis sinu manant. Pro eis autem ita me tibi devincis, ut nihil sit quod tuae humanitati non debeam. Ex quibus cum magnum capiam gaudium, subinde cum bonum illum virus, hui! virus volui dicere considero, non stomachari non possum. Ficta maiestas viri, qui ut deum ita et homines fallere  
10 conatur; quotidianie nanque coetus hominum fugitans sanctas adorat imagines, ut maiorem de se admirationem faciat quam sanctitatem. O vere cothurnum! sic enim Graeci eos appellant qui « duabus solent sedere sellis», idest proditores, quando cothurnus utrique pedi congruens est calceus. Hunc non insectaberis.  
15 hunc suis non punges telis? huic non irasceris? irasci enim male merentibus debes, sicut et bene merentibus conciliari. « Irascimini», inquiunt sacrae litterae « et nolite peccare»: an peccatum est improbos punire et pro dignitate tractare, ut et ipsi ad iniuriam tardiores sint et ceteris praestent exemplum? an dignus  
20 est misericordia qui misericordiam non praestat?

Crede mihi, facta illa oratio est ad veniam impetrandam, insidiosae sunt lacrimae et illa peccati confessio; te ludibrio habet et derisioni, ut magistratus sui diuturniorem assequatur confirmationem. Confirmari vult, et recte sane; est nanque infirmus  
25 inconstans levis, quod et eius anguineum caput ostendit; nam tam tenue tam diminutum caput habet, ut si totum cerebrum fiat, non satis sit ad prudentiae capacitatem. Ut mihi hac in re obsequaris, oro et per deum immortalem obsecro; fac ut illo, quo abutitur, excludatur magistratu; nec id ante sciat, quam successor alter illum eiecerit. Si quando dabitur dicendi et audiendi locus, quam insidiosus quam crudelis in nos esse voluerit videoas faxo; ostende per hunc sceleratos tibi non placere homines. Hic

Sen. *Contra evoc.*  
VII 3; Xenoph.  
*Hell.* II § 31.

*Psalm.* 4, 3.

cfr. Luvenal. X  
30.

cum amici nuper ab temerario conatu in te deterrire vellent : « quid Iacobus Ziliolus in me potest ? non sum » inquit « Marchionis subditus ». Deus melius, qui noluit tam insanias beluas 35 sapientissimo et benignissimo subesse principi. Quid ultra ? contra huius « vervecis » saevitiam tuam exerceas aequissimam se- veritatem, ne in nefarios hosce bestios negligens esse videare. Vale decus meum.

Ex Argenta VIII iulii &lt;1429&gt;.

40

## 519.

(Laur. Ashburnh. 272 f. 114 ; Ambros. C 145 inf. f. 351v.).

Guarinus suavissimo Baptistae sal. pl. d.

Magnam afferunt mihi iocunditatem litterae tuae pro ea ca-  
ritate ac benvolentia quam ipsae undique redolent et mirifice  
prae se ferunt, quotiens ad me deferuntur et delatae leguntur,  
lectae intelliguntur. Effert enim et se effundit amor ille tuus non 5  
affinis tantum ad affinem sed parentis in filium, quod vel proxi-  
me ex nuntio mea de morte auditio singulari quadam affectione  
declaras. Iuvat me sane tuas de me videre lacrimas ; nam te  
ipsum meo dolentem interitu et lacrimantem videre video : adeo  
tuam in me pietatem cerno. Nec parum grata et illa civitatis no- 10  
strae delamentatio, quae sicut in vita ita et in morte suam in  
me ostendit caritatem. Factum est ut mea post fata morientis  
fructum vivens ipse senserim, ut quam carus patriae meae et uni-  
versitati civium sim licuerit intueri, quam cunctas inter res sine  
dubitacione colo amo veneror nec iocundius quicquam ipsa patria 15  
est, quae me procreavit aluit educavit, honoribus ornavit et com-  
modis auxit. Quocirca ei felicitatem statumque tranquillum ab  
deo immortali compreco utque meam <et> omnium in se fidem  
experiatur oro. Quod autem veteri proverbio longioris signum

---

519, 1 L'indirizzo manca nel cod. Ambr. | 6 proximo *codd.* | 9  
[meo] in eo *Ashb.* | 13 humanitati *codd.* | 18 omnem *Ambr.* | 19 vite  
signum *Ambr.*

20 vitae hac ipsa falsae mortis denuntiatione afferri dieis, tu pro tua  
in me dicis indulgentia. Ego vero ita bonam in partem factum  
accipio, ut mortalitatis meae memoriam tenacem firmamque susci-  
piam, ita ut me « in hospitio esse non autem domicilio » arbitrer et  
ita arbitrer ut « sarcinulas colligam » et viaticum parare incipiam;  
25 haud enim longius abesse potest cum « imperator noster deus »  
receptui canet.

Sed ut de me dicere desinam, de te vero incipiam, quid  
facis in urbe? cur te ad tutiora non recipis loca vel apud virum  
nobilem Blasium? ita enim te facturum pollicitus eras, quod ut  
30 facias et me hac anxietate solvas obsecro. « Scrupulum iniecisti »  
de Valle Pollicella minus salubri, quae res multorum civium no-  
strorum incommodo ac periculis futura est. Deus suam per mi-  
sericordiam tanto civitatis periculo salutis manum opponat. Locus  
hic saluberrimus est, quanquam nonnullae tertianae vigeant febres.  
35 sed a quibus multi liberati, nemo perierit. Catharina famula no-  
stra febricitavit iam diebus quindecim; Nicolaus puerus minor  
dentibus nascentibus et vermis admodum laboravit; nunc ambo  
melius habent; reliqui omnes valemus. Tadea sese matri et tuae  
et meae commendat; Iacobum nostrum et uxores vestras salvas  
40 esse optamus. Curares vellem ut iam bis ad te scripsi, redimere  
de manu nobilis viri Vivaldi de Castello libellum meum. Paulo  
de Prato scribo super Epistulis illis, quem rogo per te ut mihi  
velit inservire in absolvendis illis, quibus pars minima restat:  
non ero ingratus. Vale.

45 Ex Argenta XII iulii 1429.

Facito dari has inclusas ex parte Boneti et de responsione  
curabis. Ad Guidotum qui noctuam ferat nuntium nullum invenire  
potui; Iacobus Pompeii se inventurum et missurum mihi  
soppondit. Scribas oro saepius tuam et urbis et agri salutem.

---

22 me Ashb. | 25 Intendi: non può mancare molto che | 31 no-  
ci- Ambr. | 41 Miraldi Ambr. | 42 Protto Ambr. | roga codd. | 45  
Argentea Ashb. | 49 Guarinus suavissimo Baptistae filio s. p. d. add.  
Ambr.

Cic. de sen. 81.  
Juvenal. VI 146.  
Lact. Inst. VI 8.

Ter. Ad. II 2.  
20.

## 520.

(Grenoble 873 f. 155, di mano di Antonio Astesano).

Guarinus Veronensis Antonio Astensi sal.

Qui facis arguta reducem me a morte camena  
 Posteritate frui, nunc Styga quid timeo ?  
 Quas tibi tam suavi reddam pro munere grates,  
 Musarum, Antoni, stirps, decor atque decus ?  
 Magnus ut Hippolytum validis Epidaurius herbis  
     Ad superos traxit ex Acherontis aquis  
 Ac velut Eurydicem Stygiis revocabat ab undis  
     Orpheus blandiloquae carminibus citharae,  
 Sic mihi post obitum lucem das, Virbius alter  
     Ut sim ; detergis tempus edax modulans.  
 Quod si lege forent Parcarum stamina fracta,  
     Non sectandus eram fletibus et gemitu.  
 Mors haec, non vita est, cumulis obsessa malorum ;  
     Illa est omnimodis vita petenda bonis.  
 Dii, precor, aonio plenos tibi fonte propinent  
     Haustus et stringat laurea parta comas ;  
 Laudibus aeternis post te sis ipse superstes  
     Atque per ora virum tempus in omne voles.  
 Tu modo grandisonis, post inclita gesta, Philippum  
     Versibus anguigerum tolle, decus Ligurum,  
 Cui quantam tribues musarum munere vitam,  
     Tantam suscipes vivus honore ducis.

---

520, 3 Cfr. Verg. *Ecl.* V 81 | 5 Cfr. Verg. *Aen.* VII 765-69 | 7  
 Cfr. Verg. *Geo.* IV 486 | 9 *Virbius*, Verg. *Aen.* VII 777 | 18 Verg. *Geo.*  
 III 9; Ovid. *Tr. I* 3, 34 | 19 *Phil. ang.*, Filippo Maria Visconti; i Visconti  
 avevano per insegna una biscia. Esiste autografo nel cod. Parig. lat. 6166,  
 con la data del 1448, *Antonii Astesani civis Astensis de origine et rario  
 regimine civitatis Mediolani libellus*. Cfr. A. Tallone *Antonii Astesani  
 de eius vita et fortunae rarietate carmen in Rer. Ital. Script.* XXIV, I  
 p. XXII.

Ille in te vivet illoque per omnia vives  
 Saecula, dum Latium carmina docta colet.  
 25 Care, vale, Antoni; iubeo salvere Catonem,  
 Quem virtus, leges, quem benefacta probant.

## 520 A

Antonii Astensis querela super morte Guarini Verouensis  
 que falso vulgata fuerat.

Que solita es flavos auro redimire capillos,  
 Nunc fer inornatum Calliopea caput  
 Quique soles viridi circumdare tempora lauro  
 Et facili resonam pollice ferre lyram,  
 5 Depone et letam lugubri tempore laurum,  
 Depone et citharam, pulcher Apollo, tuam.  
 Mitte, Atlantiades, talaria, mitte galerum  
 Quaque soles virga iussa paterna sequi.  
 Sunite nunc atras una tria numina vestes,  
 10 Militis et vestri collacrimate necem.  
 Orator prestans prestansque poeta Guarinus  
 Mortuus est, cuius gloria magna fuit.

## 521.

(Est. 57 f. 34v.; Danzica 2224 f. 188).

Guarinus cl. v. Iacobò Ziliolo pl. sal. d.

Longum videor tecum egisse silentium patronae carissime,  
 cum iandiu nihil inter nos datum ac receptum sit litterarum,  
 qua una re tecum esse tecum loqui tecumque vivere sentio. Pro-  
 5 inde ne hac tam suavissima consuetudine me ipsum privem, ali-  
 quando scribo; quod ne tibi inter magna et multa publica priva-

---

23 L'ultima sillaba di *vicet*, breve, è qui contata per lunga | 25 *Cato*ne, Catone Sacco, professore di giurisprudenza a Pavia.

taque negotia molestiae aut fastidio sit, te etiam atque etiam oro. Speravi proximis diebus Bonaventuram nostrum reddituruni ad nos, in quo geminandae sunt amoris curae et diligentiae vires ad educationem ad mores ad disciplinam, ut, quam minus fieri potest, 10 tempus illi abeat iners et otiosum. Eius autem adventum idecirco futurum credidi, quia commodam satis domum hoc in loco habeo, salubri quidem et incolumi. Adde quod quam id mihi gratum exoptatumque esset per Nicolaum Iohannem tuae amplitudini denuntiavi; non aliter enim eum quam unum ex his quos genui 15 visurus et habiturus sum. Tu tamen qui iudicii et consilii gravitate polles et acunine, rem nostram melius prospicis prudentiusque consulis. Hoc tantum intelligas velim, per me ne stet aut ullus laboris curaeve respectus absterreat te, quin penes me sit puer ipse Bonaventura; et si nolis in praesentia aliqua rationabili causa, quam primum tempus videbitur, ut ipsum ad me mittas et hortor et oro; hoc petit vehementer Tadea et miro quodam afficitur desiderio. De his satis.

Iacobus de Bando habitaculi nostri dominus et possessor sensisse se ait ut filium, qui huc venturus erat, cum magistro re- 25 vocaris, ut tuorum nullus hic sit. Qua ex re fortasse friget eius animus, quia non tibi inservire forte credit, cum mihi inservit. Idecirco te magis atque magis obseero, ut illi declares quam tibi carus sim, quam gratum etiam sit beneficium quod mihi confert; sua enim omnia mihi utenda proposuit et benignis verbis ob- 30 tulit. Ei cum gratias ipse referre non possim, ex te ipso expectet opus est.

Vale vir amplissime, valemus et nos, nisi puer Nicolaus febre detineretur, quae interdum tertiana est, interdum quadriduana, interdum continua tris aut quattuor dies; quiescit cum 35 nocte et cibum non aspernatur. Puella iam dies XL febricitat, nunc intense nunc remisso nunc libera prorsus; has inter agitationes res humanas disco et in dies prospicio. Commenda me

521, 7 rogo *Danz.* | 10 et *codd.* | 11 autem *om.* *Danz.* | 12 ha-  
bes *codd.* | 17 perspicis *Danz.* | 19 ullus *om.* *Danz.* | 24 Iacobus *in-*  
*ras. Est.* | *habitaculum Est.* | 28 ac *Danz.* | 35 continuana *codd.* |  
37 cogitationes *codd.* | 38 res humanas *om.* *Danz.*

humiliter principi nostro et me ama ut facis, patronे mi. Cum  
40 haec scriberem, modestissima filia domina Contessa Pirundula  
sospes curru advecta est.

Argentac <principio del luglio 1429>.

## 522.

(Est. 57 f. 35<sup>v</sup>; Danzica 2224 f. 188<sup>v</sup>).

Guarinus cl. v. d. Ziliolo sal. pl. d.

Nolle tam diuturnum agere tecum silentium, quod amori  
nostro videtur adversum, cum soleant homines ea facile oblivione  
delere, quorum aut raros aut nullos habent sermones. Accedit  
5 quod gratiore futurae sunt inter nos litterae, quo crebriores;  
mutua nanque salus notior futura est, quae hoc potissimum tem-  
pore non solum in dies sed etiam in horas nuntianda est. Iaco-  
bus de Bando cuius domum inhabito, vestra gratia et contempla-  
tione mihi concessam, tuam ad praesentiam, ut idem ait, venturus  
10 est brevi. Tuam humanitatem etiam atque etiam oro, ut ei de-  
clares quam gratum habueris atque habeas, quod tam benigne ac  
liberaliter mihi inserviat; nam non solum domum sed etiam su-  
pellectilem multaque alia utenda promptissime obtulit et accom-  
modavit: id mihi erit honori cum ipse Iacobus intelliget quam  
15 vobis omnibus carus sim.

Aliud unum te oro, Ziliole carissime, ut mihi saepius de-  
nunties nostri Bonaventurae salutem quae, cum ille propinquior  
erat, notior mihi fiebat in horas. Eum carissimum habuisse, si  
penes me habitare deliberassetis; ceterum et meliorem in par-  
20 tem factum vestrum accipio, cum pro vestra sapientia longius  
prospiciatis. Cum autem ut veniat tempus esse videbitur, vehe-  
menter id optabo, nam et cura et diligentia in eo geminanda est.  
Sed nisi aliud intercidat obstaculi, ubi augustus mensis abierit,

40 filia om. *Danz.* | concessa *Danz.*

522, 2 tecum agere *Danz.* | 12 inservivit *Danz.* | 13 alia om.  
*Est.* | 14 Iac - om. *Danz.*

revocandus ad me erit ut accuratiore studio et amissa reparet et nova percipiat. Vale vir insignis, commenda me d. <Ziliolo> 25 et d. Ugolino; Tadea se vestris mulieribus commendat. Vale iterum.

Ex Argenta XVIII iulii <1429>.

### 523.

(Est. 57 f. 38v; Danzica 2224 f. 190).

Guarinus cl. iurisconsulto Ziliolo et d. Ugolino Heliae sal. pl. d.

Hesterno die cum de communis patris languore sensissem, magno sane in dolore fui, ut qui suo languerem in corpore. Sed eo vehementius indolebam quod eum adire visere colloqui et praesens audire non poteram: quae omnia maxima sunt absentiis 5 remedia, cum qui absunt graviora semper reformident atque animo peiora vereantur. Non defuit autem animus vehemensque cupillitas ut accederem et patrem communem laetis in ulnis amplecterer, sed tempora casusque domestici id effecerunt, ne illum offenderem quem omni conatu atque consilio ut delectem elaboro. 10 Proinde me continui magnis interim curis afflictus; at deus vere pius vereque misericors curas solatus est meas; adveniente nanque Laurentio melius se habere dominum nuntiavit, quae res me reviviscere fecit. Pro qua quidem re deo gratias <ago> et nomen Domini benedico. 15

Rogo autem vos viri humanissimi ut quo crebrius fieri queat vestris aut nuntiis aut litteris ipsius statum in dies significetis, ut mecum et vobiscum hoc laetissimum gaudeam gaudium meque illi excusatum facite ne negligentiae crimine damner. Gratias vobis pro vestris egregiis muneribus ago; me commendate domino 20 et onines nos omnibus vobis.

Ex Argenta VII augusti <1429>.

25 Vale - insignis om. *Danz.* | 28 XVIII *Danz.*

523, 1 Guar. c. v. d. Ugolino et Ziliolo p. s. d. *Est.* | 3 magnopere in *Est.* | 4 audire *Danz.* | 17 signifies *Danz.*

## 524.

(Est. 57 f. 39v ; Danzica 2224 f. 190v ).

Guarinus cl. v. dominis Ugolino et Ziliolo pl. sal. d.

Hanc vicariam epistulam mitto ut dominum nostrum salvare iubeat et eius statum exploret; vos itaque eam certiorem reddetis uti se habeat dominus et quae salutis spes sit, ex qua nostra pendet incolumitas. Leonardus de Ouretis civis noster optimus ac Ferrariae accola libenter hic remanere vellet, cum ex Assisio revertatur et iam mense extra Ferrariam se ipsum continuerit. Rector autem huius castelli id posse facere negat ob domini nostri marchionis mandata. Itaque si honestas patitur 10 opem Iacobi implorat, cui ut auxilio sit rogo, sed ita rogo ut dignitati Iacobi primo consultum sit. Valete et me domino commendate.

Ex Argenta <prima metà d'agosto 1429>.

## 525.

(Est. 57 f. 39; 94 f. 40v ; Danzica 2224 f. 190).

Guarinus Veronensis suo amantissimo Antonio sal. pl. d.

Cum longiores ad te dare litteras statuissem ut hoc pacto diutius tecum essem, quoad corpore simul esse dabitur, quod post hunc augusti mensem fore spero, subitus occurrit nuntius qui me breviorem esse fecit. Baptista meus hesterno die huc adventavit, 5 hodie Forlivium profectus; is magnam prae se ferebat cupiditatem tui videndi et amplectendi, ut est homo suavissimus. Is nuntiavit obsignatum esse cuidam mercatori hue venturo quampr-

**524,** 1 Guarinus *Danz.*: e niente più | 6 et *Danz.* | 10 rogo sed ita *om.* *Danz.*

**525,** 1 Guarinus *Danz.*: e niente più | 8 *rel.* designatam *codd.*

muin brach. 11 et quart. 3 panni camorae optimi, quem emit  
Guidottus noster sold. 50 brach.; venit igitur ad summam duc. 10  
7 sold. 42, quos habere cuperet in reditu propter expensam  
quandam ab eo faciendam. Tu quid faciam iube. Sartor qui hic  
tuum habet venalem pannum, 25 bononienses habere posse, non  
ultra, dicit. Mitto epistulam illam pro nostro Paulo a me inter  
tot negotia conscriptam; velim ut eam dissemines et aliquot exem- 15  
plis spargas. Plurimam salutem nuntia Francisco et Roverellae  
a me, a Philippo, ab Ugutione, ab Francisco Ariosto; salvus sit  
et dulcis noster Bonaventura memoriterque perdiscat coimmone-  
facito. Vale et a Tadea.

Argentae VIIIII augusti <1429>.

20

## 526.

(Est. 57 f. 45v; Danzica 2224 f. 192).

Guarinus suo amantissimo Antonio sal. pl. d.

Cum tuas avidissimus expectarem, quibus tuam salutem et  
aliorum nostrorum perdiscerem et quibus absens praesens fierem,  
donec una vivere pristino more dabitur, allatae sunt tuae febri- 5  
citantes litterae et sane illarum tremor faciesque deformata lan-  
guorem pre se ferunt. Incussisti autem dolorem non mediocrem  
hoc potissimum tempore, quo tam cara est sanitas et rara; ce-  
terum cum genus lan-<sub>g</sub>ris animo verto prae reliquo et me ip-  
sum consolcr et spe bona sum. Bono igitur fac sis animo teque  
ad meliora serva tempora, quibus una vivere una discere una 10  
meliores fieri dabitur. Accepi simul et ducatos septem pro illo  
panno; dabo ut iubes et ipse supplebo reliquum. In reliquis quae  
scribis faciam; commendabo te domino vicecomiti et quaestori.

Baptista nudius tertius rediit et iam, ut arbitror, in patria  
est. Isnardus mecum quotidie de te sermones facit pro suo in te 15

9 *camorae*: sarà il camo o camoiardo.

526, 1 Guarinus *Danz.*: e niente più | 3 nostrorum salutem *Danz.*

| 5 difformata *Danz.* | 12 dabo *om.* *Danz.* | requam *Danz.*

amore plurimo. Audio contubernales tuos Roverellam et Calcagninum febre etiam laborare, quod permolestum mihi est; ceterum mutuum vobis debet esse levamen languoris societas; ut febrem vestram colludatis censeo, ut sic onus febris deponere liceat.

20 Pannus servabitur apud sartorem, fortasse aut pluris vendetur aut in tuos servabitur usus. Philippus, Franciscus et Tadea tibi salutem plurimam nuntiant. Cum plus valebis dextera, scribes; interim quietem ama et valitudinem tuam cura. Salvus sit et noster Bonaventura, quem videre mirum in modum cupio. Manuel  
25 noster hac hora totus tardus est; nescio an febris aliquid illum invadet, quod nolit deus, ne et hoc ad alias Tadeae occupationes accedat, quae vix quietis habet locum propter alios duos nondum convalescentes, quanquam meliuscule habentes. Vale.

Ex Argenta <oltre la metà d'agosto 1429>.

### 527.

(Est. 57 f. 40<sup>v</sup>; Danzica 2224 f. 190<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis dilectissimo Antonio Brixensi sal. pl. d.

Cum sponte mea magis ac magis tuas optarem litteras, quarum commercio absentes videremur esse praesentes, auxit cupiditatem tua minus prospera valitudo, quae pro mutua nostra caritate atque benivolentia mirum in modum me torquet et affigit.  
5 Adde quod carissimi nostri Calcagninus et Roverella, quos singulari pietate prosequor, me sua aegrotatione discruciant; est autem, ut pro tua prudentia nosti, amoris comes metus. Te itaque oro ut aliquid ad me litterarum non prolixarum quidem sed pu-  
10 sicularum des, quibus te valere ac ipsos contubernales nostros intelligam. Libens quoque de nostro Bonaventura sentiam ut bene valeat.

---

22 salu. plures *Danz.* | valebit *Danz.* | 23 tuam om. *Danz.* | no-  
ster om. *Danz.* | 25 noster om. *Danz.* | 26 vadet *Danz.* | 27 non *Danz.*

527, 1 Ver - dil - om. *Danz.* | Brix Danz., om. Est. | 5 atque] ae  
*Danz.* | 8 motus comes *Danz.*

De me vero ut discas accipe. Nicolaus cum bonae valitudini restituatur sensim in dies, alios duos aegrotatio invasit; Augustinus enim tertiana laborat, qua iam quinques vexatus est; 15 Manuel cum p[re]ferocia ingenii illius indomiti tripodem collo gestaret, suum se equum gestare dictitans, collapsus est in faciem et ex ipso easu ictum accepit in occipite, unde non mediocre sibi vulnus inflixit. Medicus tamen illum iam bonum, ut aint, ad portum pervexit et propediem cicatrix succedit. Hae sunt rosarum 20 huius mundi spinae; haec omnia commemoratu iocunda fient, cum in tutum fuerimus recepti et solitum redierimus ad victimum. Vale amantissime Antoni et plurimam salutem dic a me Bonaventurae, Caleagnino et Roverellae.

Ex Argenta XXVI augusti <1429>.

25

## 528.

(Palat. 492 f. 187; Monac. Universit. 2<sup>o</sup> 607 f. 243; Vindob. 3330 f. 232; Treveri 1879 f. 98<sup>v</sup>; Arundel 70 f. 147; Olmütz Bibl. d. Studi 159 f. 73<sup>v</sup> fino a ero 14).

Guarinus Veronensis suo Baptistae Zendratae sal. pl. d.

Si vales gaudeo, ego quoque cum meis recte valeo.

Haec tempora seu verius tempestates, quibus nostrae res in dies immo in horas agitantur, crebriores postulant epistulas, quibus mutuo significemus salutem et perdiscamus. Sic deus nostrae 5 nos mortalitatis commonefaciens et fragilitatis ambiguae, singulae enim horae nos mortibus admovent et obtrudunt, nostram castigat elationem ac superbos spiritus infractas<que> cervices utque nostrum alibi tranquillitatis portum speremus et hic hospitium potius quam domicilium esse parandum, quotidianis commonstrat 10 verberibus, nisi pervicaces obsurdescimus. Inter has agitationes dissipati et in variis locati partibus, ut quam minime simus absentes, litterarum auxilio laborandum erit; quam quidem ad rem ipse tibi vel dux vel hortator vel socius ero.

---

16 tripedem *Danz.* | 19 inflexit *codd.* | 21 rata *Danz.* | iocunde *Est.*

528, 7 admonent *codd.* | castigant *codd.* | 9 vel sper - frang - portum *codd.*

15 Cum hinc discederes, bonum ego de tuo discessu omen cepi  
 quia tam fidelem illum tibi catulum videbam comitem; veniebat  
 enim in mentem peregrinationis illius quam Tobias duce angelo  
 Raphaele suscepit « gressus heriles comitante » catulo. Deus itaque  
 vere pius vere misericors laetum tibi in patriam et ad tuos instar  
 20 Tobiae fecerit redditum, ut cum ad tuos congratulantes pedem  
 retuleris, cum Tobia dicere liceat: « benedico te deus Israel ». Tob. II, 17.  
 Etsi tibi coram mandata dederim, tamen cum nonnulla restarent,  
 dedita opera facebam ne, si omnia effudissem, mutus perstarem  
 in posterum et dulcis quaedam consuetudinis nostrae causa et  
 25 occasio tolleretur. Sponte igitur taeui quod in praesentia faciet  
 scribendis hisce litteris argumentum. Clarissimus compater noster  
 Damianus Burgus olim cum Venetias suo ex magistratu peteret,  
 rogatus a Tadea zonae sericae comparandae curam suscepit; in-  
 tercurrentibus causis quibusdam id factum non est; huius rei ut  
 30 compatrem suum commoneas Tadea rogarat sitque coloris morelli  
 meminerit. Accipe et hoc, quod tecum tacitus tenebis. Dum foris  
 mihi manendum esse statui, subit cogitatio ut pecuniam habeam  
 rationem rerum domesticarum, ex quibus fructum capere posse  
 video me. Animadverti domum meam satis superque amplam esse  
 35 matri habitationem, quae frequentiorem cuperet familiam; itaque  
 si eam locarem, grandem inde satis pecuniam colligerem. Sed  
 opus est antea matris habitationi providere, ut commode habitat:  
 esset autem idonea Antonii Veritatis domus e regione nostrae  
 sita, quam tenui tempore superiore et quam eidem meo nomine  
 40 refutasti. Sed astutia quaedam exentienda est, ut tu cautis verbis  
 cum matre ageres, quasi ab ea consilium captans, ut huic rei as-  
 sentiretur et quodammodo probaret factum: quod si ei placeret, ab  
 Antonio per biennium reconducere domum posses. Haec hactenus.

Urgente nuntio brevior ero; alias scribam si quid fuerit hic  
 45 omissum. Salutem plurimam nuntiabis civi optimo et homini eru-  
 ditissimo Augustino Montagnae collegae tuo; Tadeam commendam  
 matri et uxoribus vestris; salvus sit et Iacobus frater a me. Habeo  
 pecunias pro panno, sed nondum pannum habui.

Ex Argenta XXVIII augusti <1429>.

26 vel nos - comp - cold. | 35 rel matris cold. | caperet?

(Est. 57 f. 42; Danzica 2224 f. 191).

Guarinus cl. iurisconsulto d. Ugolino Heliae pl. sal. d.

Magna consolatione inter aceras molestias tuae me affe-  
runt litterae, quod et dominum robustius se habere significant  
(idque eo gratius est quod praeter spem videtur allatum) et  
puellum nostrum si non convaluisse, at non se peius habere nun- 5  
tiant, quod etiam Iohannes hoc mane confirmat. Deus nostram  
levet sollicitudinem et animi aegritudinem. Statum omnium in  
dies, si tibi commode cadet, describas mihi rogo.

Nuper sinistrum quippiam in rebus, non autem in personis  
nostris accidit, quod ut cognoscas opus est. Postquam in domo illa 10  
Ludovici Morelli acerbus ille ac mortifer nostris casus ingruit,  
curam et omnem adhibui diligentiam ne quis eam ingrederetur,  
ea potissimum cubilia in quibus adulescens uterque periit. Audivi  
enim et saepe expertos vidi, ut qui pannos attigissent aliquorum  
morbo defunctorum contagioso in veneni modum consumpti sint. 15  
Clausis itaque cubilibus rem omnem incuriae ac negligentiae de-  
deram: lectulos pulvinos linteal vestes ceteraque id genus. In-  
ventus tamen est qui subire loca illa non formidarit et mortem  
ipsam quae timorum timor esse et omnium terribilissimum fertur,  
suadente avaritia non extimuerit. Quocirca non iniuria poeta pree- 20

Verg. Aen. III  
36. clarissimus exclamat; « quid non mortalia pectora cogis auri  
sacra fames? » « Quisnam iste? » inquires: homo religiosus, pau-  
pertatis professor et monasticam pree se ferens vitam ordinis  
praedicatorum. Is cum vestes pulvinos linteal cultram et alia  
quaedam intercepisset, res palam elata est; quo autem modo, 25  
longum esset dictu. Cum igitur cura et importunitate opeque  
R<sup>ini</sup> patris domini archiepiscopi et vicecomitis multa in manum  
meam revocarim, et multa deesse reperio nec fur ipse fateri illa

---

529, 4 praeter om. Danz. | 5 habuisse habere Danz. | 8 eadit Danz.  
| 14 enim om. Danz. | attigisset 57 | 22 iste] est Danz. | 25 incepis-  
set Danz. | 26 est 57 | 27 R. P. domini 57, R. d. domini Danz. |  
28 ipsa Danz.

vult, quin se vidisse pernegat, forte quia ordinis et professionis  
 30 suae iure se cogi vi non posse intelligit. Quid faciam ignoro ;  
 credo vero et multa deesse quae ignota mihi sunt. Vellem itaque,  
 si ullo pacto fieri potest, ut Antonius noster Brixiensis, cui pro  
 sua diligentia res puerorum numero non ignoratae sunt, quidnam  
 35 in cubiculo remansisset exponeret : si qua diplois, si qua vestis,  
 si qua mutatoria relicta fuissent. Interea dominum nostrum facies  
 harum rerum certiorem, ut suum quod sequamur consilium ape-  
 riat. Nolle fratrem vel furatrem verius hinc fugere priusquam  
 suaे villicationis rationem redderet.

Vale mi amantissime Ugoline et te mihi tuisque pro viribus  
 40 incolumem serva.

Ex Argenta pridie kal. septembris <1429>.

### 530.

(Est. 57 f. 209<sup>v</sup> ; Laur. Ashburnh. 278 f. 28<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis dulcissimo suo Laelio Todesco pl. sal. d.

Tua in me caritas benivolentia et observantia nunquam mihi  
 dubia extitit et animi tui gratitudo, quibus me patri tuo viro op-  
 timo et peritissimo adaequasti. Id vero tuis ad me datis nuper  
 5 litteris praecipuo testimonio declarasti, qui ut mecum esse possis,  
 si non corpore at sermone et epistularum vicaria praesentia,  
 omni studio et desiderio conaris, hac praesertim tempestate quae  
 nos dissipavit et animo coniunctos corporibus fecit esse longin-  
 quos ; « dabit deus his quoque finem ». Sed interim fallendum  
 10 et traducendum est hoc tempus studiorum nostrorum delibatione :  
 quod ut tu quoque facias et hortor et moneo, ut ex necessitate  
 voluntatem elicias. Antiqua repete, alia quaedam memoriae com-  
 menda, aliquid per te novum studio et diligentia consequere,

Verg. Aen. 1  
199.

30 iure] vite Danz. | 36 et codd. | 38 rationem om. Danz. | reddet  
Danz.

530, 1 s.p.d. Est. | 4 nuper datis Est. | 8 animos Est. | 10 nostro-  
rum in marg. Ashb.

nonnunquam ingenio et cogitatione quippiam eude. Sic iners otium, adversante fortuna irrogatum, industria et diligentia utile 15 converte ad negotium. Hoc tamen consilium vix ipse capessere possum, tot curis molestiis et angoribus vexor hoc tempore, ita mihi distrahit animum meorum languor et domesticorum febres, quibus inspersus hic ager videtur undique, sicut et te ipso teste de nostris audio Antonio, Bartholomaeo, Calcagnino et Bonaventura, 20 quos tertiana laborare intelligo. Haec sunt huius mundi voluptatum genera et humanae felicitatis experimenta, in quibus tamen tanta nos vitae cupiditas tenet.

Gaudeo funebrem illam de Paulo nostro epistulam ad te pervenisse, qui pro tua diligentia eam in ipsius Pauli memoriam 25 disseminabis. Eam ad parentem tuum mittes harum studiosissimum rerum, qui « solet meas esse aliquid putare nugas ». Is complures iam dies misit ad me civem quendam mutinensem Bartholomaum Carandinum, ut arbitror virum sane gravem et multa praeditum prudentia, cui iussit ut librum quem petis obsignarem, 30 quod et factum est: itaque ex patre illum poteris repeterem. Vale dilectissime Laeli; Tadea quae te vehementer diligit tibi salutem plurimam nuntiat; filioli nonnulli languore diurno tenentur et magna familiae pars. Cura valitudinem tuam.

Catull. 1, 4.  
Ex Argenta IIII nonas septembbris 1429.

35

### 531.

(Est. 57 f. 41v).

Guarinus cl. iurisconsulto d. Ugolino pl. sal. d.

Confecisti me dolore acerbo cum aegrotum horrendo illo morbi genere Hieronymum denuntiasti; uno nanque ictu multorum me respectus vulneravit, quorum periculum ante oculos pono. Succurrit tua et uxoris tuae pudicissimae praesentia et quidem 5

---

19 sic *Est.* | 20 *Calc.* *om.* *Ashb.* | 22 tamen] tm (tantum) *Ashb.*  
| 26 harum *om.* *Ashb.* | 31 potes *Ashb.* | 32 Tadeaque *Est.* | 35 IIII-  
1429 *om.* *Est.*

praegnantis, qui quomodo longius enatetis tanto e naufragio non recte perspicio. Quid de d. Ziliolo, de tota familia, quid de domino nostro, in cuius capite et omnes et toti periclitamur? Una restat spes, ut a Domino deo deserit nos non posse confidam.

10 Fortem et tuis dignum studiis animum induit, Ugoline vir insignis, et quantum res ipsa patitur tuam valitudinem cura; quidque tum de puello factum fuerit, tum de socero senseris, me facito crebro certiorem; semper enim tum dolore tum metu fluctuans dies agitabor et noctes, donec rerum eventum sensero. Vale

15 mi amantissime Ugoline teque deus vere pius vereque misericors servet incolunem precor.

Ex Argenta <primi giorni di settembre 1429>.

### 532.

(Est. 57 f. 43v ; 94 f. 42v ; Danzica 2224 f. 191v ).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Ziliolo sal. pl. d.

Tua in me caritas amor et benivolentia universis nota et perspecta adeo est, ut si quis abs te quippiam impetratum velit, continuo eat ad me; gaudeo vero cum homini tanta virtute sapientia et doctrina insignito placere landem mihi afferat et dignitatem. Euntibus igitur ad me et commendaticias petentibus litteras negare non audeo, ne illis inimicus sim aut parum habere videar humanitatis. Scribo igitur; tu autem cum singulari polleas prudentia, iudicabis quantum consequi debeant; et si negandum videbitur quod petunt, fronte tamen oculis et verborum hilaritate repulsas dabis, ne frigide pro illis scripsisse me suspicentur. Praeterea « haud decet maestum quempiam a principis conspectu discedere ». Ecce enim dominus Antonius ecclesiae S. Iacobi hoc in castello rector cupit hinc evolare et Ferrariam habitatum discedere, in locum videlicet d. Goguli qui defunctus est nuper: non dico in sepulcrum, sed ecclesiam et beneficia, quae vivens ille possidebat, vel ecclesiam saltem S. Nicolai de Curtili. Ei rei ut apud humanitatem tuam mea intercessione sim adiutor et is obsecrat et alii complures pro eo. Id autem quantum ipse suis con-

Suet. Tit. 8, 3.

sequi meritis debeat, testis eris optimus cui homo non incognitus 20  
est; ego nanque nil abs te implorare statui nisi pro amicitiae  
iure ac lege, quae eius generis est « ut ab amicis honesta peta-  
*Cic. de am. 44.* mus et amicorum causa honesta faciamus ».

Vale patronे carissime et me ut soles ama.

Ex Argenta V septembris <1429>.

25

### 533.

(Est. 57 f. 44; Danzica 2224 f. 191<sup>v</sup>).

Guarinus suo amantissimo Antonio Brixensi pl. sal. d.

Ut intelligas tuum me desiderium impatientius ferre cum  
aliquid magis abs te litterarum expectare quam ad te dare oport-  
teat, obvius tamen procedo et has ad te mitto. Primum quidem  
scire abs te cupio quonam pacto cum febre decertes induciasne 5  
habeas an bellum an pacem, deinde me bene valere. Mei varie  
se habent: Augustinus pugnat cum tertiana, Manuelis vulnus fere  
ad cicatricem deductum est, Catharina libera est febri, sed ita  
macilenta et imbecilla, ut vivens cadaver censeri queat, Elisabeth  
agitatur a tertiana, Nicolaus expulsa febre tanta laborat fame, ut 10  
cibus omnis in illo causa sit cibi et dormitantibus ceteris ipse  
« papare » concupiscat ac clamitet.

Nova quae tibi describam et obstupescas haec sunt. Cum  
hic eras Argentae vidisti credo quendam fratrem ordinis praedi-  
catorum vel praedatorum verius. Is, ut postea mihi renuntiatum 15  
est, se meum esse discipulum et rerum mearum dispensatorem  
iactavit et vulgo persuasit (quem tamen bis aut ter vix allocutus  
sum), ut cum aliquotiens domum illam priorem die medio palam  
ingressus fuerit iussuque meo id facere dictitarit, extulerit plurima  
lintea diploides libros, cultram vestram, mantella caligas et vel 20

---

533, 1 Guarinus Danz.: e niente più | 3 litt-abs te Danz. | 5 decer-  
tas Danz. | 8 ductum Est. | 9 imb-et mac- Danz. | Eliz - Danz. | 10 la-  
borarat Est. | 11 omnis om. Danz. | 12 et Danz. | 14 audisti Danz. |  
19 dictitavit Danz. (an dictitaverit?) | 20 nostram (?) Danz.

incantu vel adulterinis clavibus omnes subierit thalamos. Tandem reparatis ferme omnibus, desunt enim nonnulla, fuga « se corri-  
puit ». Hoc unum. Accipe alterum. Amicus noster, de quo epi-  
stulam illam Bononiensem nuper una legeramus, hue adventavit  
25 (credo ab inferis reiectus sit, fastidente hominem Orco) sordida-  
tus, macritudine insignis ; cumque domi me convenisset (scire se  
cupere aiebat meum de se consilium, an recipere eum statuerem)  
multaque pollicendo longiorem fecisset orationem, paucis subse-  
cutus sum nihil me de futuris scire propter temporum incertitu-  
30 dinem, immo et incertam huius loci habitationem mihi esse ; con-  
sulere enim me aliorum tendere. Demum abiit, nihil ulterius a  
me intelligens ; credo illi suam conscientiam multa nunc afferre  
tormenta, nam ut in proverbio est, « conscientia mille testes ». Verg. Aen. VI  
472.  
Audio eum esse in hospitio in suburbio ; nescio quid expectat ;  
35 medicus qui eum curavit in inguine multa de illo questus ad bul-  
letas eum interdixit. Quintil. V 11,  
41.

Commonefaciendus est Philippus noster ut vestem illam,  
quae Ferrariae deposita erat, sequestrari faciat, ne suam amittat  
pecuniam. De his hactenus.

40 Quid remansit in thalamo post tuum discessum, de vestibus  
dico et rebus minutis, libenter scirem ; audio ibi post furta illa  
visam esse diploidem novam olim Pauli. Cura valitudinem tuam  
ut convivere liceat futuram hiemem summa cum hilaritate et lae-  
titia. Salvus sit Bonaventura noster ; vale Antoni dilectissime.

45 Argentae VI septembbris <1429>.

### 534.

(Est. 57 f. 49v ; Danzica 2224 f. 193).

Guarinus suo Philippo amabilissimo sal.

Etsi nullo tempore dubitarim me apud te priores in amore  
partes tenere, quod sexcentis declarasti modis, obsequendo obser-  
vando colendo, me delectando, iuvando, tamen hisce litteris tuis

22 surripuit *Danz.* | 38 est *Danz.*

534, 1 Guarinus *Danz.* : e niente più | 2 dubitarem *Danz.*

Corbulanis sole, ut aiunt, clarius aperuisti ; omni enim ex verbo, 5  
 omni ex syllaba, omni ex littera, « quasi ex rimis », tuae cari-  
 tatis dulcedo scatet, « hac atque illac perfluit ». Adde ornatum  
 ipsum et dicendi genus amoenissimum ; nunc te, nunc Terentium,  
 nunc Plautum, nunc Ciceronem, nunc omnes simul unā quadam  
 consonantissima harmonia videor audire et suavissimum sonum 10  
 aure captare. Nec minus gratus tnae incolumitatis nuntius, in quo  
 et ipse sum incolamus, in quo perinde ac iocundissimo « diverso-  
 rior acquiesco » Quas igitur grates pro hisce tam bonis litteris,  
 Verg. Eccl. V 81. « quae tibi quae reddam tali pro munere dona ? ».

Et quoniam tabellarius importunus urget, brevior ero et ad 15  
 quae sita veniam. Patria nostra melius habet et praeter omnium  
 spem. Nam cum ei timeremus omnes et grandem stragem omi-  
 naremur, dei gratia non ita factum est, quia pereuntibus paucis,  
 agri nostri pars maxima salubris extitit ; in urbe circa idus au-  
 gusti tres aut summum quattuor expirabant, in exitu autem intra 20  
 triduum unus aut item alter. Sit igitur nomen Domini benedic-  
 tum. De me longa est quaedam fabula, si languores meorum si  
 errores si trepidationes explicarim. Puelli ferme cuncti febre ve-  
 xati nunc convalescunt ; nutrix quaedam factus sum ; qua ex re  
 quis ad litteras inter eiulatus clamores strepitus applicare ani- 25  
 mumi possit ? Ex his autem « hoc fructi » colligo : pati disco,  
 mundanam intelligo felicitatem quam inanis quam inconstans  
 quam fallax.

Ter. Ad. V 4, 16.

Plaut. Epid. 108.

Ut autem ad Iustinum redeam, nolim « vitio yortas » Antonio  
 nostro vel negligentiae vel parvae fidei quod librarius ille illum 30  
 non absolverit, quippe quem viderim saepius obiurgantem et sti-  
 mulos adicientem. Sed quid prodest testudinem agitare caleari-  
 bus ? « Deum testor et sanctos angelos eius », ut tibi commodius  
 et otiosius inserviret et opus ipsi navaret sex domi meae fuisse  
 menses illum soli inservientem ventri ergasilice, ne ullam haberet 35  
 excusationem non absolvendi operis tui simul et Madii nostri, cui

---

5 litteris corbolanis *Danz.* Scritta da Corbola, paese del Polesine |  
 7 profuit *Est.*, hac-perfluit *om.* *Danz.* | 12 proinde *Est.* | 20 summa  
*Danz.* | 28 fugax *Danz.* | 30 illum *om.* *Est.* | 33 angelos sanctos *Danz.*  
 | 34 ipsis *codd.* | 35 soli *om.* *Est.* | ergasilice : allude a Ergasilus, il pa-  
 rassita dei *Captivi* di Plauto.

et grandem satis bōnum ille vir debet pecuniam. Damnum merum  
mihi interim eum afferre patiebar, ut vestris inservirem utilita-  
tibus. Rei autem caput et summa huc redit, ut depositam eius  
40 tunicam penes eius compotorem interdici facias et sequestrari,  
nec obdormiseendum est tibi. Nec ego in re tua obdormieram;  
videbis enim quid iam Antonio Brixensi super ea re scripserim:  
is tibi viam sequestrandi commonstrabit et hominem. Interim anime  
mi bene vale et mutuis litteris fac mecum sis, qui tamen a me  
45 nunquam abes. Plurimam salutem dic a me Guilielmo et Bona-  
venturae meo.

Ex Argenta VII idus septembbris <1429>.

### 535.

(Est. 57 f. 48v).

Guarinus Veronensis praestantissimo iurisconsulto d. Ugolino  
Heliae sal. pl. d.

Quo magis magisque tuam experior in dies benvolentiam,  
eo certiores edis notas et testimonia tuae in me pietatis. Nam  
5 me tuarum facis molestiarum acerbitatumque participem; quod  
verum amicitiae munus et officium est, tam secundarum quam  
adversarum rerum communicationem impertire. In nostri Hiero-  
nymi obitu, qui magno mihi maerori fuit, nonnihil consolationis  
extitit, quod feminam primariam tuam tolerantius ferre easum  
10 hunc puelli significas. Vicinum, credo, et eius capitis periculum,  
cum permixtum propriae salutis timorem haberet, filioli dolorem  
diminuit, sicut et in maritimo discrimine cernimus, cum fluctuan-  
te navi et undis perniciem utrinque minitantibus, si qua ex parte  
naufragium fieri contingat, non tam pereuntibus aliis affligimur  
15 quam expavescimus nobis, quod « praesentem viris intentant omnia

Verg. Aen. I  
91.

---

42 super ea re Ant - Br - Danz. | 45 die om. Est. | guielmo Danz.  
| 47 IIII Danz.

mortem ». Deus nobis reliquos servet incolumes et dominum nostrum in primis.

Cum tuum mittes huc nuntium, id quod apud me est ex Athanasio mittam. Vale et domino nostro cum scribis aut vides, me commenda. Convalescunt in dies mei ex febribus; Manuelis 20 vulnus satis grande fere pervenit ad cicatricem; Augustino instabat hac die tertianae terminus; illa eum non invasit; Catharina sine febre est iam dies octo, sed adeo debilis mansit, ut cadaver vivens iudicetur. Nicolaus sincerus plures iam dies est, sed tanta illum fames invasit, ut in somnis nil nisi cibum efflagitet ac dormiens dentem in dente fatiget. Elisabeth e febri nuper evadens hodie fusum invasit et colum. Habes meorum catalogum aegrotantium, et inter has conflictationes quisnam litteris aut studio animos applicare possit? Vale iterum.

Argentae VII sept. <1429>.

30

### 536.

(Est. 57 f. 51; Danzica 2224 f. 193v).

Guarinus cl. v. Ugolino Heliae pl. sal. d.

Per deum immortalem te Ugoline vir clarissime oro atque obtestor ut tuum et nostrorum statum signifies, Ziliolorum inquam omnium. Nam fere nullus abit proxime dies quin sinister aliquis de vobis rumor aures meas vulneret et me ipsum exanimet: alium aegrotare, alium alio genere morbi extrema trahere, alium expirasse. Itaque ut hisce me exolvas angustiis et cordoliis obsecro. Nos valemus de more et melius non nihil.

Argentae X septembbris <1429>.

## 537.

(Vatic. 8914 f. 40; Rhediger. 138; Casanat. D V 14 f. 110v ; Est. IV F 24 f. 188v ).

Guarinus Veronensis Ferrariae civitati sal.

Salve terra viris pollens Ferraria, salve,  
 Atque potens opibus, varias celebrata per artes ;  
 Quam pater Eridanus largis amplectitur undis,  
 Fortiter adversum propulset ut eminus hostem ;  
 Teque ferax enutrit ager, te prata coronant :  
 Te quoque iustitia et duris celeberrimus armis  
 Marchio magnanimus servat Nicolaus et auget.  
 Tu procul excelsas, tu, formosissima, turre  
 Ornatasque domos aperis, quasi fronte serena  
 Invitans, nostro adventu laeteris amica.  
 Post tempestates peragrataque rura benigne  
 Suscipe nos, placidis retinens complexibus, atque  
 Hospitio dignare tuo. Tibi prisca salutis  
 Tempora iam redeant, reparent nova germina plebem  
 Amissam, foetus duplicet Lucina novellos.  
 Sic Pater omnipotens, sic Virgo puerpera firmet,  
 Ut decus aeternum et felix tibi floreat aevum.

Argentae id<ibus> sept<embris> 1429.

---

537, Guarinus post sedatam pestem rediens Ferrariam *Rhed.*, Guarini Veronensis post sedatam pestem redientis Ferrariam metra *Cas.* | 4 fortior *Cas.* | 8 excelsis *Vatic.* | 10 letaris *Vatic.* | 17 ut] et *Vatic.* | La data è del solo Rhedig.

## 538.

(Est. 57 f. 51v; Danzica 2224 f. 193v).

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Ut tuos quantum est in me ac meis bene valere laeteris, nos  
sanos esse nuntio; quod tibi iocundum fore scio, qui meorum  
bonorum auctor et conservator es; siveque tuam sapientiam rogo  
ut tuam tuorumque vel nostrorum potius, qui adeo dissipati sunt, 5  
ineolumitatem signifies vehementerque obsecro. Id erit mihi tanto  
iocundius, quanto crebri rumores meas de vobis aures verberant,  
utque se habeat Bonaventura noster et Antonius scire sitio.  
Vale mi patronae carissime.

Argentae XIII septembris <1429>.

## 539.

(Est. 57 f. 53; 94 f. 43; Danzica 2224 f. 194).

Guarinus Veronensis cl. v. et patrono amantissimo Iacobo  
Ziliolo pl. sal. d.

Inter multas et quotidianas molestias non mediocrem capio  
consolationem, cum te imprimis ac reliquam familiam incolorem  
esse intelligo. In te enim plurimorum salus cum reposita sit, 5  
modo recte valeas, multos recte valere necesse est, me maxime  
cum meis, qui te ancoram portumque tenemus et tibi stamus af-  
fixi propter tot tantaque quae in dies abs te suscipimus benefi-  
cia et ab tuis permulta. Quae ut non ignores velim. Proximis  
diebus cum foras emissem nuntium qui pro me frumentum 10  
emeret quia carius hic ipsum est, Petrus de Bando tui et tuo-

538, 1 Guarinus Danz.: e niente più | 3 sioc - tibi Danz. | 4 bon -  
meor - Danz. | 6 rogo Danz.

539, 1 Guarinus Danz.: e niente più.

rum amantissimus tuis provocatus beneficiis, ad me ex Philo ad-  
 volavit illico et suum omne quod hic domi habet ultro gratis  
 obtulit; ut uterque magnis obsecrabat precibus nec minus urgebat  
 15 ut acciperem quam si famelicus ipse ut caperet optaret ab dante.  
 Ut tamen nolui hominis liberalitate, quae profecto et tempore  
 observato et frontis liberalitate et animi promptitudine mirifica  
 visa est. Ei ut gratias pares referam per me ipsum cum despe-  
 rem (nam quis ego sum aut quid possum?), per te referre spero.  
 20 qui quantum ceteris laudibus alios mortales aquas, tantum in  
 referenda gratia et reddendis beneficiis omnes antecellis. Qua  
 vero in re illi reddas, una quaedam succurrit animo, ut videlicet  
 illum ex pedite, ut dici solet, facias equitem. Audio Phili potes-  
 statem esse quendam, cuius officio terminus non procul est et  
 25 quanquam ipse Petrus tabellionatum sub eo potestate gerat, non  
 tamen minus idoneus ad ipsum praeturae magistratum admini-  
 strandum esset quam ille qui nunc eam administrat; immo Pe-  
 trus ipse illam administrat, cubante potestate ipso propter febris  
 longitudinem. Hoc si efficeris, honoratissime Iacobe, non solum  
 30 meritis Iacobi patris et Petri filii erga me satisfecisse arbitrabor,  
 sed etiam singularem mihi laudem ut soles attribues, cum gratus  
 benefactoribus iudicabor, et honore afficies me cum tantum apud  
 te posse dicar qui consuesti et laudatos amare et laudatos facere.  
 Erit hoc quoque tuorum erga me ac meos meritorum cumulo ad-  
 35 scribendum et adiungendum.

Vale mi benefactor optime, nec plura de homine ipso eius-  
 que virtute dicam, ut plus precibus quam causa apud te va-  
 leam. Salutem plurimam dic a me dilectissimo amico et viro pru-  
 dentissimo d. Ziliolo; bene valeat et nobilis vir Nicolaus de Pi-  
 40 rondulis gener tuus amantissimus.

Argentae XVIII septembris <1429>.

---

12 Philo: Filo è un paese del comune di Argenta | 37 ne?

## 540.

(Est. 57 f. 54<sup>v</sup> ; Danzica 2224 f. 194<sup>v</sup> ).

Guarinus praestantissimo iurisconsulto d. Ugolino Heliae  
pl. sal. d.

Nuper mecum quid ad te scriberem, cogitatione versabam,  
indignum nanque putabam tam diuturnum tecum tenere silentium,  
quem visere quem amplexari quem alloqui ardeo cupiditate qua- 5  
dam incredibili ; quarum rerum officium supplere vicaria potest  
epistula. Non audebam autem tua de aegrostratione scribere et  
tecum conqueri, ne ad languorem quasi cumulus accederet dolor  
meus, cum et detestari et execrari liceret febrem ipsam et eius  
stultam ineptiam, cui cum mille offerantur aqualiculi solidi ven- 10  
tris et otiosi, in quibus febris ipsa delicatum haberet hospitium,  
te potius invaserit, ubi praeter sobrietatem, asperum victum som-  
nosque inmodicos unicam inveniat macitudinem. Haec dum animo  
verterem, vir nobilis accessit et utriusque nostrum amantissimus  
Ziliolus optimus, qui laetissimum attulit nuntium, te bellissimo 15  
auctum esse filio cum matris salute ; qua in re « tibi gratulor  
et mihi gaudeo » quod eum formosum suavem lepidum et gratio-  
sum tibi natum infantem audio, qui qualiscunque fuisset, tuo na-  
tus ex germine carus gratus et acceptus extitisset. Benedictus  
deus qui eum in lucem edidit, qui non tui cognominis solum, 20  
verum etiam virtutis et optimarum artium particeps fiat. Hi sunt,  
idest tui similes, quibus optandi sunt liberi, qui sicut olivae sem-  
per exuberent et longaevi crescent super terram. Videre videor  
exultantem avum nec minus aviam, qui quasi nova pullulante ra-  
dice longius aucti sint. « Salvus ades grandisque veni feliciter 25  
infans Inque probos mores atque artes cresce paternas ».

<sup>Cic. ad fam.</sup>  
VI 15.

---

540, 1 Guarinus Danz.: e niente più | 10 ventres Est. | 11 in] e-  
ciam Danz. | 12 sonosque Danz. | 15 optimus om. Danz. | 25 sunt Danz.  
| 26 Sono due versi di Guarino, foggiati probabilmente su questa strofa  
saffica di Stazio *Silv.* IV 7, 41-44. Duret in longum generosus infans  
Perque non multis iter expeditum Crescat in mores patrios a-  
vumque Provocet actis.

Vale Ugoline vir integerrime et valitudinem hanc non tibi solum sed etiam filio et tuis omnibus extende. Vestem quandam panni purpurei olim ad Iohannein Estensem missam domi vestrae 30 esse sentio, quam servari meo nomine opto nec cuiquam me inscio tradi: hoc abs te etiam atque etiam rogo.

Ex Argenta XVIII septembris <1429>.

### 541.

(Est. 57 f. 55<sup>v</sup>; Danzica 2224 f. 195).

Guarinus Veronensis dulcissimo Philippo pl. sal. d.

Verum est profecto quod vulgo dici solet: pauperis ad locum pletem iniqua semper est concertatio constituta; ego nanque ex nobis, idest te ac me, coniecturam facio. Nam cum unas tibi debem, priusquam tibi pro eo aere alieno facerem satis, alteras praemisisti et una gravatum epistula secundo obligasti debito. Qua ex re non queror, sed gratulor divitiis ingenii tui, quod cum per se exuberet, addito studio colis polis ornas et vere Bende- 10 deum idest Agathotheon esse declaras. Ita fac, Philippe carissime, et ipsa naturae bona maiorem in modum studio bonarum artium et usu amplifica. Meam de tuis moribus opinionem vincis in dies, quod innata tibi probitas et liberalis voluntas facit; itaque ante expectatum opusculum illud diligenter accurateque transcriptum abs te recepi, qua in re grates tibi ago et eo iocundius, quo 15 illud futurum est tui « monumentum et pignus amoris ».

Accessit ad gratiam quasi cumulus quidam voluptatis secunda epistula, a vertice, ut aiunt, ad calcem laetitiae plena; nuntias nanque copiosa tua oratione statum Ugolini mei, hominis cum bonis artibus, tum vero omni virtutum genere ornatissimi. Et 20 quanquam gravior est de illo febricitante nuntius, tamen quia

28 soli Danz. | et nobis tuis Est, ut nobis tuis Danz. | extrude (?) Danz. | 32 VIII Danz.

541, 1 Guarinus Danz.: e niente più | 2 est om. Danz. | 3 iniqua] unqua codd. | 4 idem Est. | 8 quod per se exuberent Danz.

graviora senseram, in luerum minus omne quod nuntias accipio. O febris importuna et tuae voluptatis ignara, hominem macilenta sobrium et omnis temperantiae studiosum elegisti, quem vexares! i stulta et corpulentos illos, vinosos et helluones invade quos depascaris, ubi te oblectes et meum Ugolinum indulgentia 25 potius quam vexatione dignum desere omitte effuge. Hunc autem ob nuntium et ceterorum quos amo salutem ingentes tibi, Philippe, gratias habeo; et nihil est quod tibi non debeam, cum antea maxima eneta tibi deberem. Visam ego quoque meum illum aliquando Ugolinum, quem complecti ardeo pro mea in illum ea- 30 ritate dilectione pietate: ita enim meritus est de me pro meorum commodorum et honoris studio.

Vale; valeo et ipse cum meis. Valet in praesentia et Argentae multitudo; nemo languet, cum superioribus diebus quidam peste perierint ex iis qui nescio quos morbo captos visere <et> 35 ministrare non dubitarunt: et uno quasi fonte et una linea perierte. Nos stultos aiunt qui contagiosum hoc morbi genus asserimus, quod tamen iam exuleerati confiteri coeperunt. Vale iterum duleissime Philippe ab tua sorore Tadea et a me, quem unice diligo. Quosdam nuper edidi versiculos, quanquam ab cantu in- 40 praesentiarum abhorreat animus: tu index eris et particeps. Vale iterum.

Argentae XX septembris <1429>.

## 542.

(Est. 57 f. 56v; 94 f. 44; Danzica 2224 f. 195v).

Guarinus Veronensis suo patrono ac patri Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Hoc tempore matutino Petrus de Bando venit ad me. Sensusse se ait hoc in loco nonnullos morbo captos pestilenti; ideireo pro sua in me benvolentia et patris sui venisse, ut si qua in re 5

22 ignota *Danz.* | 36 *fonte:* non capisco | luna perire *Danz.*

542, 1 Bertholdus Megnen. *Danz.* (probabilmente Bertholdus Mognensis è il copista del manoscritto, che sarà stato alla scuola di Guarino).

mihi opus sit opera eorum, iubeam cum paratus advenerit parere. Hac in re fluctuo et quo me vertam nescio, cum omnia periculis involuta loca videam. Accedit quod hoc in loco multa mihi sunt commoda, praecipue ex ipsa provisione quotidiana quam ad 10 multas necessitates verto, qua deficiente cum alia irem ad loca, quomodo mihi et meis succurrerem non satis video, praesertim cum multis sim evacuatus ferme pecuniis propter assiduas impensas et deficientia lucra. Tamen ad tuam confugio sapientiam ac humanitatem singularem ut mihi sis et consilio et auxilio, 15 sicut semper extitisti, cum sis mearum curarum portus et ancora. Est domus quaedam Longastrini ultra Philum, cuius possessor est dominus Iacobus Balbus, tibi benivolentia et familiaritate iunctus, ut idem ait Petrus; cui si scribis, eam pro tuis cupere habere hoc tempore, non dubitat quin statim liberaliter eam tibi 20 concedat: interim deus praestabit opem. Refert idem Petrus locum illum cum hoc anno morbo laborarit, tamen in praesentia ita salubrem esse ut iam mensibus tribus nec languerit quisquam nec vita excesserit. Commendo me ac meos tuis in manibus patrone optime. Vale.

25 Argentae XXII septembbris <1429>.

### 543.

(Est. 57 f. 57v; Danzica 2224 f. 195v).

Guarinus patrono optimo Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Tua in me pietas et munificentia facit ut in rebus meis nihil ambigam tuam implorare ope<sup>m</sup>, cum vel sponte tua ante expectatum non vocatus succurrere soleas; quod eo promptius facis, 5 quia me ac meos in tuam adoptasti familiam, cuius cura et studium ad tuam quoque pertinet diligentiam. Et ne longius abeam,

15 ac] et 94 | 16 Longastrini: Longastrino è un paese del comune di Argenta | rel Filum codd. | 21 laborant codd. | 24 vale om. 57, Danz. | 25 septembres codd. Est.

543, 1 Guarinus Danz.: e niente più.

locus hic Argentae hisce proximis diebus quosdam aperuit morbo  
captos pestilenti et quosdam iam eodem morbo consumptos ; quo-  
circa fugitantibus nonnullis hinc hominibus, priusquam res inva-  
lescat in peius, locus aliquis circumspiciendus est refugii, quod 10  
tua ope invenisse arbitror. Pridie de Longastrino scripseram, sed  
indaganti postmodum alia commonistrata sunt idonea magis loca.  
Est vicus hic prope, quem S. Blasium appellant ; ibi duo sunt  
domicilia nostrae familiae salubriora, alterum Pauli Rasponi, qui  
nunc Bagnacavalli magistratum habet, alterum abbatis S. Blasii 15  
vacuum, idest quod alias habitavit vir egregius Fabricius, cum  
facienda bastitae curam gerebat. Tuam nunc exeras caritatem  
et diligentiam, qua in beneficiendo amicis vigilantissimus es, ut  
tuo interventu, tuo consilio ac sapientia horum alterum consequar.  
Non dicam : « hoc fac et hoc » ; tu melius me nosti viam ; urgent 20  
filioli, urget uxor, quae non multis a pariendo distat mensibus. Eo  
vadunt cives aliqui ferrarienses, quorum uxores prudentes mulieres,  
praesertim circa parientes satis peritae et Tadeae familiares hoc  
tempore factae. Non videor pati posse aliquid gravius in partu  
Tadeae praesentibus illis. Si videbitur etiam aliquid significare 25  
camerario ut me commendatum habeat, non obstante quod locum  
mutem, id erit et commodum et utile nobis.

Quid multa ? Commando me tibi et puellos meos, quorum  
vita salusque tua in manu positae sunt. Res has et capsas si vi-  
debitur Consandulum mittam vel alio quo iusseris : vel quid fa- 30  
ciam mandabis. Vale spes mea.

Ex Argenta VII <kal.> octobris <1429>.

---

7 his *Danz.* | 8 quosdam eo *Danz.* | 11 pridem ? | 15 - vali *Danz.*  
| 19 et *Danz.* | 30 Consandalum *Danz.* Consandolo è un paese del co-  
mune di Argenta | 32 VII octobris *Danz.*, om. *Est.*

## 544.

(Est. 57 f. 60).

Guarinus suo Antonio humanissimo pl. sal. d.

Cum tuas maxime expectarem et rationes tarditatis reputarem, venit epistula tua laborum tuorum et molestiarum nuntia, cui horsum advenienti nil novum nil inusitatum videri debet, si 5 ab laboribus et molestiis exiens, labores subibit atque molestias. Nam cum superioribus diebus nullum ferme sine angoribus domesticis diem duxerim, nunc publicus accessit maeror, si quid*<em>*, cum proxime complures uno perierint impetu, tanta iniecta est omnibus fuga, ut captae sit urbis imago. Omnes 10 undique erumpunt; solus ego quo me vertam nescio tum locorum ignoratione tum nostri domini afflictione, qui nobis ut opus esset succurrere non potest, praecipue cum loca sua suspicione referta sint propter multas plagas quas in suis suscepit. Accedit quod tam insalubria omnia sunt, ut plena timoris sint omnia. Nihilo- 15 minus dominus noster invocatus me non deseruit; scripsit enim ad multos ut domicilia mihi salutaria comperiat: expecto nuntios quos misi pro domiciliis inveniendis, qui si exauditas litteras renuntiabunt, cum familia me recipiam; sin autem, Domine miserere mei. Pueri omnes praeter Hieronymum febricitantur, qui quanquam liberati sint, tamen reliquias habent cum palliditate atque debilitate. Vereor autem si migrandum alio sit, ne frigore et inconcinnitate aeris et locorum recidant.

Ut vero ad tuas revertar, magnam maeroribus meis consolationem attulit epistula tua; nuntiata salute tua quam meam 25 quoque iudico; deus illam et confirmet et augeat, ut si in filiolis langueo, in amicis saltem conquiescam et valeam. Urget quoque me Bonaventurae valitudo illa stomachi, sed me consolatur quia huiusmodi languor timeri nequit, ut febris ut reliqua; eius saluti faveo et eam cupio eo magis, quo <\*\*\*> aliorum heres esse 30 debet, apud nos caritatis studii et benivolentiae. Bene igitur valeat.

---

544, 9 *invecta cod.* | 29 Forse: quo *<apud alios honorum>* aliorum.

De illo fratre praedatore alias plura coram: abiit irrediturus; idem de amico altero qui abiit, quorsum autem nescitur; itaque litteras ad eum dare non possum, nisi fortunae commendem. Errorem deprehendi sartoris nostri; doleo quod iusus sit, quia res ipsa meum quodammodo ad respectum pertinet. Pannus ipse pro 35  
7 illis ducatis apud me est et servabitur donec iusseris; de'panno altero quid fiet nescio, maxime fugitantibus universis: sentiam tamen si sartor quicquam confecisset.

Paravi biretum pellis cum Plauto; reliqua mittentur in dies ut petis. Epistulas Plinii una die petiit Laelius et pater, et quia 40 pater antevortit, eius proprio nuntio obsignavi. Tadea libens te convaluisse audiit, cuius misereor cum et laboribus circumcessa sit et aegrotis mulier gravida, quietis magis et iacendi cupida et indigens. Ego vero nutricis vices obeo, nunc huic nunc illi assisto obsequio; Elisabeth et Catharina non plane convale- 45 scunt; aures mihi eiulatibus et clamoribus puellorum occalluerunt, quae res litterarum fastidium ingenerarunt, ut neque scribendi neque legendi commoditas aut voluptas adsit. Libenter inservirem postulatis tuis super Servio, sed tot occupationes, tot animi et corporis perplexiones implicant, ut litteras non secus ac scorpiones 50 aspectem. Re vera parum intervenit temporis, quin aures sinistro aliquo verberentur nuntio; vix unus cessavit, alter accedit; itaque aliud serenius expectandum est tempus ut Iacobo, cui omnia de- beo, morem geram.

Ut primum videro dominum vicecomitem, camerarium, Isnardum tua dicta renuntiabo. Isnardus crebros habet summa cum caritate de te sermones, te amat ex corde; tuas illi misi litteras quas gratissimas accepit. Hoe habe, Antoni carissime, tantis in molestiis satis aequo animo rerum eventus ferre, quantum ad me ipsum pertinet; sed uxoris et liberorum causa aegre habeo. Non 60 equo non curru satis commode vectari possunt; iacet Manuel graviore vexatus febre, in qua<m> post curatum vulnus incidit, ut finis alterius mali gradus sit futuri. Vale; ne plura dicam voces obstant puerorum et Manuelis instantia nunc potum flagi-

---

31 *irrediturus*: per non più tornare; un neologismo che s'incontra nelle prose e nelle poesie del Petrarca | 40 epistulas Lelii cod. | 45 obsequor? | 52 verberarentur?

65 tantis nunc fervorem lamentantis. Strata iacet uxor labore et sarcina, quam gestat, et renum dolore querula. Vale iterum; cum ad me scribis, Antoni carissime, ne me oratorem appelles velim: maius est onus quam vel docti homines ferre queunt; id erit pergratum. Salutem plurimam dicio Philippo meo amicissimo.

70 Argentae <circa 26 settembre 1429>.

### 545.

(Est. 57 f. 58v; Danzica 2224 f. 196).

Guarinus amantissimo patri suo Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Quantum nobis omibus, idest mihi et meis immo et tuis  
inservierit semper Franciscus ex Massa tonsor, et tuae sapientiae  
scripsi et Antonius noster Brixensis novit. Idecirco ut ei grates  
5 referam nec possum nec contingit, sed tua liberalitas ut illi re-  
tribuat a me invocatur. Venit enim ut recipiatur in villa S. Blasii  
tua ope et consilio. Ipse nanquo potestas edictum fecit hominibus  
loci illius ut nullum recipient ex Argenta venientem; itaque si  
mandatum aliquod habebit potestas ipse, non dubitat quin reci-  
10 piatur. Id mihi tam gratum erit, sicut et tua omnia, ut mihi col-  
latum videatur ipsum beneficium; immo et si tibi videbitur, ut in  
mea persona mandatum recipiat, ne excludar si illuc eundum erit,  
nuntium misi ad dominum Iacobum de Rasponibus. Nondum re-  
diit; spero, cum responsum habuerimus, illuc ire vel saltem  
15 ut parem. Res autem huius loci remissa nonnihil videtur, nam  
quidam aegroti melius habent, noviter nullus incidit in morbum.  
Respondebo postmodum tuis sapientissimis fortissimis et huma-  
nissimis litteris. Quid sit de puello me certiore pro mea conso-  
latione facito.

65 labore in marg. cod.

545, 1 Guarinus Danz.: e nulla più | 3 ex] de Danz.

Vale vir fortissime et humanissime pater. Quod de rebus 20  
scripseram et capsis, dicebam quia quaedam res vestrae et ma-  
gistri Antonii hic sunt ut, si mihi esset abeundum, curarentur  
an hic domi dimittendae cum meis, an aliud mandaretis.

Argentae <25-26 settembre 1429>.

### 546.

(Est. 57 f. 59).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Ziliolo patri et patrono  
amantissimo sal.

Hesterno vesperi litteras accepi ab insigni viro Paulo de  
Rasponibus responsivas ad vestras, utrasque sane gratiores. Ita-  
que illis acceptis statim dedi operam ut domum, quam nobis et 5  
promptissimo animo pollicetur et offert, viserem. Eam vidi et ut  
apparetur instituo, quo facto mox huc cum familia et rebus ad-  
volabo. Litteras ipsius Pauli ad tuam sapientiam mitto, ut ani-  
mum ipsius, epistula teste, perspicere queas pater optime.

Dicere non possum quantum quottidie Iacobus de Bando et 10  
filius eius, optimus vir et amicus, suis me beneficiis adiuvent  
accumulent; nam uterque ut sensit de meo discessu, adfuerunt  
suis personis omnem curam laborem et studium pollicentes, et  
mihi revera maximo sunt usui et commodo; quo factum est ut  
me ac meos in perpetuum obligarint. Eis autem cum mea parvi- 15  
tate gratias referre desperem suis dignas meritis, ad te  
idest liberalitatis fontem configio, ut eis pro me qui omnia mihi  
tua gratia conferunt, grates debitas persolvias. Venit itaque Petrus  
meus, immo vero noster, ut tuam personam, quam amat colit ve-  
neratur, visitet; et cum tempus accedat ad exitum illius magi- 20  
stratus et dignitatis, de qua nuper ad amplitudinem tuam scripsi  
et clarissimo iurisconsulto d. Ziliolo coram locutus sum, obsecro

---

21 quique res *Danz.* | 22 esset *in marg.* *Est., om.* *Danz.* | 23 meis  
*scil.* *rebus.*

546, 4 responsuras cod.

tuam illam liberalitatem, qua nulli mortalium cedis, ut ipsi Petro  
 opem afferas ad consequendum quod intendit. Id enim honori sibi,  
 25 quem super omne lucrum et commoditatem affectat; mihi vero rem  
 ita gratam ac iocundam feceris ut vel hoc solo non recusem tibi  
 et tuis immortaliter esse devinctus. Amantissime pater, cum vi-  
 deam me tibi conferre beneficia non posse pro mea parvitate, ut  
 30 mihi conferas peto et in dies flagito; ut cum dando me tibi al-  
 ligare non possim, saltem accipiendo me tibi ac tuis deligem.  
 Vale pater optime.

Ex S. Blasio <X> XVII sept. <1429>.

### 547.

(Est. 57 f. 62v; 94 f. 44v).

Guarinus Veronensis cl. iurisconsulto d. Ziliole pl. sal. d.

Optime novit tua sapientia quod quantumve mihi beneficium  
 in dies conferat Iacobus de Bando ac eius filius Petrus per ea  
 quae coram tecum explicavi cum nuper Argentam adventasses;  
 5 seis praeterea quantopere ipsum Petrum tibi commendavi, ut  
 quantum liceret eum patri et carum <et> commendatum face-  
 res. Nunc idem Petrus ad vos venit ut patrem visitet; eum ita-  
 que tibi in primis quantum ex corde atque animo possum com-  
 mendo. Fac oro te, mi Ziliole humanissime, Petrus « intelligat  
 10 meam apud te commendationem non vulgarem esse » sed tantum <sup>Cic. ad fam. I</sup><sub>3, 2.</sub>  
 posse quantum sua voluntas affectat super dignitate illa quam  
 tibi coram exposui. Vale suavissime Ziliole et me ama.

Ex S. Blasio XXVII sept. <1429>.

---

24 enim] erit? | 30 diligem cod. | 32 17 cod. | 32 S. Blasio: un  
 paesello vicino ad Argenta; cfr. 543, 13.

547, 3 in dies ac codd. | 8 tibi commendando codd. | 10 vulgarem  
 non 57 | 12 suaviss - ama om. 57.

## 548.

(Est. 57 f. 64v.)

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Si tu cum tuis vales bene est, ego cum meis recte valeo.

Deo gratias et tibi, pater optime, qui tua opera id effecisti,  
ut idoneum hoc tempore portum habeam, ubi meos ab imminenti  
procella tutari possim quantum humano provideri potest consilio. 5  
Pro quibus quidem meritis erga me ac meos tuis grates agerem  
si verba rebus convenire iudicarem. De his hactenus.

Verg. Aen. VI  
682.Ter. Ad. II 2,  
19.

Quando non datur « vivas audire ac reddere voces » et te  
praesentem intueri, dulcissime benefactor, litteris agendum esse  
statui ne tandiu privemur sermone mutuo, quo soleo cupide te- 10  
cum frui. Erit igitur gratissimum in primis tuam ac tuorum sa-  
lutem discere utque noster Bonaventura sese habeat quem mirum  
in modum bene valentem videre cupio. Quid agit Baptista puer  
dulcissimus, de quo pridem « scrupulum tuae iniecerant » litte- 15  
rae? addo etiam de viro insigni Ugolino integerrimo iuriscon-  
sulto, cuius quartana me cruciat dies noctesque. Praeterea quia  
de constituendo tibi et tuis domicilio et mansione consultabas, si  
quid adhuc decrevisti libens scirem. Sedulus ipse sum de obste-  
trice et nutrice invenienda; iam enim pariendi tempus instat uxori. 20  
Veniebat in mentem visitare dominum \*\*\* cum ex Arimino hac  
iter habebit, ita tamen si tu id consulis nec ingratus futurus sit  
domino accessus meus propter temporum suspiciones. Vale feli-  
citer, amantissime pater; salutem plurimam dic d. Ziliolo et Ni-  
colao Pironculo.

Ex S. Blasio 9 octob. &lt;1429&gt;.

25

---

548, 20 Nella lacuna furono dolosamente raschiiate le iniziali del  
nome personale, forse M. N.

## 549.

(Est. 57 f. 64; 94 f. 45).

Guarinus Veronensis praestantissimo iurisconsulto d. Ziliolo  
pl. sal. d.

Quid faciet haec tempestas tam abominanda? an nos nondum simul esse simulque loqui sinet? At litteris loqui licet et ea invita simul esse, quando animi nostri non simul esse non possunt. Nuper rediit a vobis prudens iuvenis Petrus de Bando bonae spei plenus ea ex re, super qua et tibi verba feceram et parenti optimo scripseram. Quae res mihi pericunda fuit cum ci gratus sic videri vestro merito possim; et quia pro eo curiosus sum, memor sis oro ne propter patris absentiam aliquis interveneret, qui apud principem nostrum et quidem liberalissimum impetraret et Petrum de spe deiceret. Huic rei si quod adhibendum remedium est et vel P. Gyronda commonefaciendus, qui praesens usque principi est, curam hanc tibi suscipias mea causa rogo, dulcissime Ziliole: id mihi erit super omnia gratum. Vale et patri optimo <me> commenda.

Ex S. Blasio VIII octobris <1429>.

## 550.

(Est. 57 f. 65; 94 f. 42).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Magnus erit mihi labor et negotium, si explicare voluero quantam in rebus meis diligentiam et dilectionem in dies declarat Petrus de Bando et pater eius; quod cum tua gratia et amore faciant, tu quoque pro tua consuetudine grates illis persolves. qui nullum bonum tibi ac tuis factum dimittis irremuneratum. Is cum admodum de tua tuorumque salute sollicitus sit, saepius ad me percontatum advenit hodieque cum multos iam dies nihil de te sensissemus, constituit eius patrem mittere qui te visendi et

salutandi gratia veniat et sibi tua de salute ac tuorum renuntiet. 10  
Id erit igitur mihi sibique gratissimum, ut omnium tuorum immo-  
vero nostrorum statum incolumitatemque reseribas. Vale pater op-  
time et Petrum ac patrem commendatum habe.

Ex S. Blasio XI octobris 1429.

### 551.

(Est. 57 f. 66).

Guarinus integerrimo iurisconsulto d. Ugolino pl. sal. d.

Hoc unum inter cetera tulit incommodum habitationis per-  
mutatio ex Argenta quod de vobis, idest domino teque ac reli-  
quis, rarer ad me nuntius adventat, cum crebro solere de cunc-  
torum statu certior fieri. Est autem hoc tempore gravis expec- 5  
tatio, quae *<in>* amantibus sociam semper habet formidinem ;  
idecirco quoniam modo te geras cum febre, bellumne secum geras  
an inducas, libens scirem. De qua melior me spes cepit, post-  
quam de Philippo sapientissimo in primis philosopho et medico  
fidelissimo ac peritissimo ad vos eunte factus sum certior ; scio 10  
enim qua cura qua fide qua diligentia qua solertia patrem no-  
strum Iacobum ex mediis febris morsibus exemerit. Si qua igitur  
via scribendi dabitur, non tibi quidem, quem fatigatum languore  
scio, sed alteri cuiusdam pro te, fac oro tuum statum cognoscam  
et de amantissimo domino Ziliolo, de Bonaventura, de magistro 15  
Antonio et reliquis, in primis de domino et dominabus.

De me si scire cupis, valeo corpore et animus adversum for-  
tunam militat : illa minatur, ego patientiae clipeo indutus obsisto.  
Valent flioli ; et qui nostro ex Argenta discessu febricitabant,  
convaluere penitus, nescio an loci mutatione, qui non ita humec- 20  
tus est, an febre quae iam fessa destitit. Uxor belle se habet ;  
signa pariendo crebra facit, deinde quasi paeniteat, fortior assur-  
git. Parata omnia sunt ; obstetrix inventa idonea quidem et, ut

audio, ei mirum in modum inimicatur aqua et S. Martini praecipua tenetur devotione; alioquin perita egregie. Doleo ne obstetricem non esse et eius arti operam non dedissem; nam alienam et externam ad obstetricandum si advocaverit uxor, exeundum est non solum *<e>* lectulo sed etiam thalamo, qui solus nobis est. Quorsum autem vadim nondum scio. Locus hic hospitale nullum habet; decrevi cum caupone familiaritatem aliquam contrahere, ut noctu me suscipiat, si nocturnus erit partus; sunt qui mihi consulunt ut intra ovilia subeam, nam hoc potissimum tempore calent. Est vero thalamus hic noster ut pauperculorum indumenta, quae chlamydis interdum, nonnunquam tunicae, quantum doque lectuli vicem habent: sic et cubile nostrum nunc coquina est, nunc cella penaria, modo porticus, aliquando studium et alias horreum semperque cenaculum. Quae omnia voluptati mihi sunt potius quam molestiae, dico enim Virgilianum illud: « et hoc olim meminisse iuvabit ». De his hactenus.

40 Commenda Tadeam dominae nostrae et dominae Catharinae utriusque; commenda etiam me claro physico m*<agistro>* Philippo.

Auct. 1203.

Ex S. Blasio XXVI octobris *<1429>*.

## 552.

(Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 234<sup>v</sup>; Vindob. 3330 f. 223<sup>v</sup>: Treveri 1879 f. 91; Arundel 70 f. 142<sup>v</sup>; Palat. 492 f. 178).

Guarinus Veronensis suavissimo Baptista Zendratae pl. sal. d.

Hodie ex Ravenna tuae mihi litterae cum pellibus XIII ad me delatae sunt; credo eas esse quas Cavasio consignaras. Video dulcissime Baptista te in scribendo audacem factum esse et iam 5 mihi bellum litterarium indicentem. Facis ut qui fugiendo minantur: multa te scripturum polliceris: et tamen plurimis a me

24 Cfr. i proverbi italiani: a S. Martino il nuovo vino, a S. Martino ogni mosto è vino ecc. Anche la levatrice Terenziana (*And. I 4*) è ubbriacona.

552, 1 Cendr. - *Trev.* | 3 cauosio (*vel* canasio) *codd.*

receptis unicam epistulam rescriptsse contentus conquiscis. " Tu-  
tius est igitur te fictis contendere verbis quam manu „; si manum  
conferre fueris ausus, « senties qui vir siem »; homines cunctos  
labore frango ex adverso congregidentes. Itaque cum quo milite 10  
opus sit ignoras, tamen simulabo fugam, ut audaciam suscipias.

Ter. Eun. 11,  
21.

Locundissimum est ut meam in te caritatem intelligas; quid enim amplius cupio, quam ut te a me amari cognoscas, quem amo  
colo omnibusque animi viribus complector? Tuum autem de domo  
mea iudicium habeo et ut hominis gravis meo semper antepono; 15  
volo tamen ut non nisi ducatis XX eam loces, tempus autem sit  
annorum duorum: tandiu enim abesse cogito et quicquam colligere.  
De reliquis rebus praesens an absens sim, mea nihil inter-  
est: adeo tua solers est et accurata semper in rebus meis dili-  
gentia, pro qua omnia tibi debeo et immortaliter obligor: deus 20  
tibi grates et « praemia digna ferat ». Commodissime advenerunt  
pelles illae optimae, quae consanguineae succurrent in tempore,  
cui par*< i >*endi tempus instat; parata omnia erant, nutrix, obste-  
trix: pellicia restabat. Itaque gratias tibi agit ingentes et te be-  
nedit tuamque tollit diligentiam in caelum laudibus. Probo et 25  
ratum habeo quod de soccida abs te factum est. Credidi vaccam  
illam fuisse praegnantem; quae *< si >* non *< \*\*\* >* mihi sic vi-  
detur. Bernardo sartori volebam uvas pro libris decem dari idque  
tibi scripseram; sed quando non habuit uvas, vinum ei dari tan-  
tum facito, quia iam uvae vindemiatae esse debent, et litterae 30  
fuere tardiores, nam quas XXIII septembris emisisti, vigesimo  
sesto praesentis recepi.

Ad rem d. Madii venio. Doleo Bartholomaeam illum floren-  
tinum non inservisse d. Madio, ut debebat et obligatus est; nec  
mea unquam defuit diligentia instantia et urgentes preces. Testor 35  
deum et sanctos angelos eius me nullum iniunxisse illi opus  
transcribendum pro me, ut opus d. Madii absolveret; fuisse au-

10 ex adverso] exosso (exoso, exosse) *codd.* | 22 consanguineo *codd.*  
| succerrent *Pal.*, concurrunt *Vind.* (*an succurrunt?*) | 26 societate *Vind.*  
(soccida è riduzione veneta di *societas*) | 27 sic *om.* *Pal.* Si potrebbe com-  
piere: quae si non est, eam vendere poteris: mihi sic videtur | 31 vige-  
simo sexto] *vel XXVI codd.* | 32 *vel accepi codd.* | 36 *vel ang - sanctos*  
*codd.*

tem domi meae sumptibus meis sine ullo mihi collato fructu menses sex totos, unde et mihi plurimos debet ducatos: totum autem  
 40 patienter tollerabam ut illas perficeret Epistulas. Quod vero de Tito Livio dieit, verum illud est, quod unam mihi scripsit decadem cum rure essent, et eam perfecit priusquam in urbem remeare in infra menses septem; postea vero si quid mihi scripsit, perire me male videas. Quid a me peccatum est, quae mea culpa? pro-  
 45 misi me urgere instare: feci. Pannus illi, non mihi datus est. Post illos duos qui peste perierunt dissipavi omnes qui meae domi erant. Abiit ille Bartholomaeus qui morbo captus est. Diu in lectulo Ravennae iacuit; inde fugatus errat; vix spiritus membra tenet. Ille domi mecum esse non potest, ego enim morbosos  
 50 domi suscipere nolim. Post incohatum Argentae morbum « rura peragrare et diversas quaerere terras » cogor, ut filiorum saluti consulam, sed damnum perpessus sum et impensas. Ut d. Madio bonus ille vir satisfaceret quod debebat, euravi pro viribus; at preces meae inanes fuere, non mea culpa, sed illius hominis fal-  
 55 lacia. An instam querelam habuit, iudicabis. Sum tamen ita d. Madii « et usu et possessione » pro suis in me beneficiis, ut omnia sua bonam in partem accepturus sim. Cum has legeris, si iudicabis ut d. Madio scribam, id libens faciam.

Gaudeo civitati nostrae redire sanitatem. De noctua, quia  
 60 tempus abierat et nullus occurrebat nuntius et me fugitare oportebat, tardior fui, quamvis et Bartholomaeus meus tardior ad significandum fuit. De domo dominae Antoniae quid actum sit scribes et de nostra domo Montorianae. Tadea se matri et tibi et Iacobo commendat; linum inquirit et optimum. Valete vos omnes  
 65 et Bartholomaeum Matreianum salvere a me iube. Litteras dirige patrocinio, ut soles.

Ex Sancto Blasio XXVII mensis octobris <1429>.

42 esset codd. | 43 intra Pal. | 44 rel quod codd. | culpa postea (?) Vind. | 46 dissipari codd. | 47 essent Vind. | rel qui om. codd. | 48 lecto Vind. | latuit Pal. | rel erat codd. | 49 rel illi codd. | 50 Argentae] urgente (urgentem) codd. | 53 rel ille bonus codd. | satisfaciat quod debet (debet om. Pal.) si curam codd. | at] et codd. | 55 rel nisitam (uisitem) codd. | 65 maijtreianum (matreianum, matreyanum) codd. | 66 rel patro-  
 cino codd. = patrono meo (?) cioè lo Zilioli) | 67 XXVII Trer.. Pal., XXII rell.

Verg. Aen. III

## 553.

(Vindob. 3330 f. 198 : Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 209 ; Treveri 1879 f. 63 ; Arundel 70 f. 129 ; Palat. 492 f. 143 ; S. Pietro di Salzburg b VI 31 f. 24).

Guarinus Veronensis suo Zenoni de Ottobellis sal. pl. d.

Solebas, amantissime Zenon, tantam in amicorum et mei praesertim rebus curam et diligentiam gerere, ut mihi ante expectatum semper consilium auxiliumque contuleris. Nunc autem tantam illius liberalissimae tuae consuetudinis mutationem factam 5 esse intelligo, ut etiam multotiens commodis meis invocatus obaudias et tua deficiente ope atque opera in illo transcribendo instrumento in periculum res mea devocetur. Has itaque denuo tibi scribo, ut tuum ne deseras Guarinum, ne tibi dicatur quod locorum et oculorum longitudo animorum quoque longitudinem et 10 separationem effecerit, quod in amicitia vehementer reprehendi solet. Si pergis et preces meas contemnis, Ottobellum meum invokebo, qui te ita quotidianis obtundet precibus, ut fastidio rogantem sis exauditurus. Quod si is quoque reicietur inanis, meum invokebo Thomam, qui sua a fortate ac vocis tono maiores addet 15 tibi stimulos, quibus vel testudini vel cochliae cursum incuteret. Quod si et is frustra rogat<sup><ur></sup>us erit, te ad Amoris tribunal

Ter. *Fab.* II 3, 92. Verg. *Ecl.* X 69.

citabo et « grandem tibi dicam ordiar », qua damnatus exaudies : huic scio contradicere nequibus, « omnia enim vincit amor ». Eia igitur, amabilissime Zeno, solitam exere benvolentiam curam 20 studium et me cum necessitas postulet iuva. Plura non dicam ne tuae diligentiae et dilectioni diffidere videar.

---

553, 1 *vel* Othob. - *codd.* | 5 immut - *Vind.* | 6 multotiens] sepe *Vind.* | *commodis*: forse c'è guasto | *invitatus in ras.* *Vind.* | *obaudias*: nel senso di *non exaudire* | 11 *vel* separationem alias *codd.*; forse l'una delle due parole è variante dell'altra | 12 *vel* Othob. - *codd.* | 14 *vel* inanis *codd.* | 16 *stimulos* ut *testudini* *Trev.*, *Sal.* | 20 *exerce* (*exercere*) *codd.*

Commenda me insigni iurisconsulto d. Madio et pl. sal. die  
a me Thomae et Ottobello et Donato Fanensi. Salvus sit et Cap-  
25 podasinus meus.

Ex Sancto Blasio die XXVIIII octobris <1429>.

### 554.

(Est. 57 f. 67v).

Guarinus cl. iurisconsulto d. Ugolino pl. sal. d.

Laetitiam et consolationem explicare vix possem, quas tuae  
attulerunt mihi litterae illae suaves et benivolentia refertae: ca-  
talogan enim domesticae sanitatis et conditionis omnium nostro-  
rum conficientes veritatemque contra mendacia reserantes, non  
parvam dederunt animo iocunditatem. Haud enim est sine causa,  
Ugoline dilectissime, quod totiens a te singulorum vestrum sta-  
tum conditionemque requiro; frequentes nanque oriuntur nuntii  
qui mihi sinistro aliquo rumore aures animumque percutiunt et  
10 nunc gravissimum alieuius morbum, nunc repentinam mortem si-  
gnificant eorum potissime, quos deinde sanissimos esse invenio.  
Gratulor igitur vestrae omnium vel saluti vel conditioni meliori:  
qua ex causa deo immortali gratias ago. Adiunctum est alterum,  
quasi cumulus, gaudium ex litteris domini nostri, quem incolu-  
15 mem esse cognovi; quem ita confirmet Omnipotens et reliquos  
pristinae reddat incolumitati.

Quod de loci mutatione scripsi sine molestia et ioco scripsi:  
nam tantam capio ex salubris huius loci conditione voluptatem,  
ut reliquas incommoditates facile obliviscar. De obstetricie decre-  
20 vit Tadea hanc ipsam retinere; sic enim pepigit mecum, ut di-  
luculo edat in lucem infantem, non occidente sole aut nocte me-  
dia. Hoc enim pacto et sopori meo consultum erit et obstetricandi  
periculo; ea nanque hora est, quae nos vocat de somno surgere  
et digestione facta sobrietas viget. Habemus autem gratias tuae

24 vel Othob - codd. | vel Fauensi codd. | cappodassinus *Trer.*, *Sal.*,  
cappadosinus *rell.* | 26 XXIX *Trer.*, XXVIII *rell.*

diligentiae ac dilectioni, qui tuam illam probam perdoctamque 25 nobis offers. Hace nostra perita sane eius artis est, sed cum eius consuetudinem quidam probent et minime potricem esse defendant, respondeo in ceteris linguam loqui solere, in hac autem oculos, qui eius coloris purpurei sunt, ut non sobrietate sed sorbietate pullulent. 30

Libentissime videbo et amplexabor et lacertis et « toto, ut aiunt, pectore » dulcissimum dominum Ziliolum nostrum, si suo sine incommodo sese videndum obtulerit. Praedicandus est et tollendus in astra physicus illustrissimus Philippus, qui cum sacerum revocarit ab inferis, et generum referat saluti antiquae arte et vigilantia sua, ut vobis sit Aesculapius alter, « animas cui reddere ademptas fas erit ». Vos igitur sua estis opera, sicut Phidiae Minerva et Aesculapii restitutus Hippolytus. Ei me commendes oro et suo ita in sinu me colloces, ut cum se recingat ei tamen non excidam. Vale, vir optime et amicee praestantissime ; Tadeam- 40 que dominae seniori et dominabus reliquis cominenda.

Ex S. Blasio XXVIII octobris <1429>.

Obsecro te, mi Ugoline, ut huic Antonio amico meo super re sua quam exponet consilium auxiliumque feras. Id mihi erit gratum in primis. 45

### 555.

(Est. 57 f. 68v).

Guarinus eximio iurisconsulto d. Ziliolo pl. sal. d.

Sexenti videntur anni intercessisse postquam mutuo frui non licet aspectu ; qui quidem amicitiae est fructus amplissimus, nam ut inquit Catullus poeta conterraneus meus « amantes non longe a caro corpore abesse volunt ». Hoc ut crebro faceremus 5 prohibuit saeva tempestas et nostra negotia ac domesticae molestiae ; at interdum si scribimus non omnino abesse videbimur ; quam ad rem « eo prae, tu sequere ». Multos iam menses institeram nescio quid scribere quod sub tuos venturum erat oculos ;

10 sed totiens vexatus sum corpore, turbatus et afflictus animo, ut  
 ingeniolum concinnare vel torquere nunquam potuerim. Nunc  
 vero paululum nactus otii conabor id aggredi; verum tua mihi  
 opus est opera et informatione rerum quarum ignarus sum. Scire  
 cupiebam in primis nomen patris, quot auctorum dominam Theo-  
 doram duxit uxorem, quot ex ea filios procreavit, quo tempore  
 vidua relictam est, quot annis continentiam mutuam vir uxorque  
 servarunt; pater item quis fuerit dominae Theodorae eiusque no-  
 men. Si qua interim venient in mentem alia vel litteris quaeram  
 vel vivo sermone rogabo. Tu vale et rem Iacobi de Bando menti  
 20 habe cum tempus erit. Valemus omnes; Tadea minatur partum  
 non procul. Franciscum de Massa nostrum tibi maiorem in mo-  
 dum commendo, quem diligentem amicum in dies experior.

Ex S. Blasio III nov. <1429>.

### 556.

(Est. 57 f. 70v).

Guarinus eximio iurisconsulto d. Ziliolo pl. sal. d.

Dicere non possem quanto tui videndi desiderio tenear; ita-  
 que si alterum equum habere possem, ad te sine dubio volitarem.  
 Opus autem habeo ire Portum propter quandam ibi repertam nu-  
 5 tricem. Si mihi significas ubi te reperire possim, ad te ibo. Con-  
 silium vero mihi est die Veneris S. Martini Portum equitare,  
 modo pluvia impedimento non sit. Vellem omnino tecum capere  
 consilium super ea re quam de avia quondam tua tibi scripsi et  
 iam incohata habeo. Si quid habes de domino nostro mihi nun-  
 10 tia. Commenda me domino Ugolino et Tadeam dominabus vestris  
 commenda, quae in dies partum pollicetur. Vale dulcissime Zi-  
 liole.

Ex S. Blasio VIII nov. <1429>.

556, 4 *Portum*: oggi Portomaggiore in provincia di Ferrara | 6 La  
 festa di S. Martino (11 novembre) del 1429 cadde in venerdì.

## 557.

(Bergamo A II 32 f. 117<sup>v</sup>; Balliol 135 f. 131, che resta tronco alle parole *unimus cum lectionis* 35).

Guarinus Veronensis illustrissimo principi domino Leonello Estensi sal. pl. d.

Superioribus ad te litteris publicas locis huius conditiones attigi; nunc ut scribendi argumentum aliquod capiam privatas perstringam et peregrinationis ratio reddenda est, ut vitae meae 5 quam tibi dicavi usus constet. Lego studeoque et quantum licet tempus litteris attribuo, ne id furtim iners effluat. Clarorum hominum libens vitam imitarer, qui omne tempus perditum arbitrantur quod honestis non impenditur studiis et artibus bonis. Dixi « quantum licet »; nam eo in domicilio locatus vel verius inclusus sum, ut idem locus cubiculum mihi sit, coquina, porticus et studendi receptaculum. Cernere saepius est, cum una collocatum sit atramentarium salinum cyathus atque sartago, calatum qui pro atramento sal haurit aut acetum. Quod si taedio scribendi lectionem sumpsero, adest infantium strepitus: hic trocho clamitat, 10 ille panem efflagitat, alter novo vociferans ludo aures oculosque perturbat. Quod si ventus aut imber insaniat, occludenda fenestra est ne libris corporique simul officiat et die medio incendendae sunt lucernae quae infusas vident tenebras. At fumus interea late aediculas occupat, qui prae lacrimis natantia reddit lumina. 20

Hasce vitae molestias, in quibus philosophandum est, dum lenire ac temperare instituo, venit in mentem virum generosum et natura magnificum visere Ludovicum Sancti Bonifacii comitem, ad quem visendum flumine subvectus adverso et amoenum et iocundum sum inter navigandum adeptus diversorium. Occurrent 25 bant oculis virentes utrinque ripae, umbrosae quaquaversum et procerae quidem arbores, arva, vineta, arbusta et agrorum lata planities culta diligenter, quae res dulce afferebant spectaculum, cum agro bene culto nihil possit esse speciosius. Accedebant vice

---

557, 1 pl. d. om. Be | 3 contentiones Be | 4 aliquod Be | 6 dicam Ba | 13 atramentum Be | 13 calamusque codd. | 28 afferebat Ba.

30 frequentissimis habitati villis, longo latoque porrecti spatio ; quod-  
que pacis et beatitudinis inditum, finitimis invidiosum et Estensi  
regno gloriosum est, agricolarum cantibus et choreis circumsona-  
bant omnia. Tantis per, ut non minus animum quam aures pro-  
spectumque pascerem, liber genibus accumbebat, legebam, anno-  
35 tabam, exercebam. Sic animus cum lectionis fructum con*cipe-*  
*ret, oculus* > spectandi amoenitate laetitia fruebatur amplissima.  
Cogitausque mecum quanta portione vestrum fimbrias propagarit  
imperium, tacitus triumphabam, quia vestra felicitas vestris quo-  
que communis sit amicis et subditis, inter quos et ipse pro vir-  
40 tute ac beneficiis vestris non postremus annumeror.

Lendenariam tandem ventum est, ubi ab magnifico et vere  
bonifacio exceptus hospite, omne honoris genus, ut est liberalis  
et humanissimus, consecutus sum. Bone deus ! quantum illustri  
genitori tuo, quantum tibi peculiariter deditus; quam longe tua  
45 de magnificentia producti sunt sermones ! Si quis audisset exter-  
nus, dubitaret profecto nunquid de domino an de filio aut de  
germano verba faceret : tantam prae se ferebat observantiam pie-  
tatem caritatem. Demum ab eo rogitatus hoc discessi, ut eum sic  
commendatum carumque facerem ut, qui tibi pro hereditaria qua-  
50 dam benivolentia devi*< n >*ctus esse debet (semper enim Boni-  
facia Estensi prosapia usque a prisorum origine intime coniuncta  
fuit) praecipuo quodam vinculo ligatus appareat. Itaque tuam hu-  
manitatem pro mea in te fide rogo oro et obtestor, ut si quid  
ad me rescribere non gravaberis, quod instar honorifici munieris  
55 amplexabor, praecipuam facias eo de viro mentionem. Sic enim  
et fide*< I >*i functus legatione videbor et tu humanitatis tuae et  
in tuos benivolentiae testimonium aperire. Vale mea lux et me  
amare perge.

< S. Biagio nov. 1429 >.

---

30 habitat Ba, habitu Be | 31 inditum] vultum codd. | 32 genero-  
sum Be | 33 persp-Be | 37 fimbrias: oggetto di propagarit; ma la pa-  
rola è guasta: si può correggere fines | 55 viro] iure cod.

## 558.

(Laurenz. Ashburnh. 278 f. 29v).

Guarinus Veronensis suo Stephano Todesco sal. pl. d.

Tardum ac paene mutum me reddunt immortales occupationes et molestiae. Unum abs te impetratum pro quodam magno beneficio cupio. Eximius vir Cambiator noster tanto in me incensus est amore, ut nihil sit quod pro laude mea non faciat et extollat in sidera. Itaque nonnullis in me verbis utitur quovis

Verg Aen. I  
335. principe dignissimis; verum ego « haud euidem tali me dignor honore ». Velim igitur ut tu qui tuis praedicationibus huic indignae dignitati causam praebuisti, suadeas domino Thome ut eis me honorificeat verbis, quae neque mihi derisionem pariant neque invidiosa sentiantur. Ei rescribo multa ioco, quae nolim in malam accipiat partem: nollem ullo modo irritare hominem quem omni laude et dignitate ornare vellem.

Carissime Stephane, cuperem quandam hinc mulierem quae mecum domi esset ad rei familiaris curam et uxoris societati foret interdum; in hac reperienda quicquam laboris et curae velim impendas et salaryum tu ipse statués. Id mihi erit pergratum et commodum; et si quid spei habes certiorem me facito; in ea reperienda aetatis esset supra annos triginta. Vides quid possit amor! eius fiducia ut tibi humilia imponam officia facit; si pecco, amori culpam assigna. Vale.

Ex Sancto Blasio XII novembris 1429.

Saluta nostros illos agnatos.

## 559.

(Est. 57 f. 71<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis cl. v. &lt;d.&gt; Ziliolo pl. sal. d.

Quam incerti sint nostrarum cogitationum exitus et in contrarium nostra vertant consilia, multi mortales exemplo sunt et ego in primis; nam cum nudius tertius ea mente hinc equitas-  
 5 sem, ut te visendo, dulces tecum sermones habendo, plenus lac-  
 titia et iocunditate redirem, res in oppositum versa est. Siquidem  
 te cum non invenerim, ita delusus mansi ut qui maxima in siti  
 fugientes « captat aquas »: sic inanes evanuere cogitatus mei et  
 10 deliberationes vacuae factae. Accessit altera molestia et cordis acer-  
 bitas. Nam cum omni cura et astu providissem ne quis dome-  
 sticorum praeter d. Ugolinum adventus mei notitiam haberet,  
 factum est, ut accepi, ut domina meum odoraretur adventum et  
 in gemitus ac ploratus ruens maestum exigat tempus ac « cordo-  
 15 lium »: quae res tantam mihi incussit amaritudinem, ut diem  
 execrer quo hi<n>c pedem extulerim meque ipsum oderim. Cru-  
 cior animo quia vel in sciis dominae dolorem fecerim, quae con-  
 solatione in tot domesticis maeroribus erat delinienda. Accedit  
 20 quod vestra domusque vestrae consuetudine privati videmur ego  
 atque uxor, quae solum ex eius colloquio consilio aspectu gau-  
 dium sperabat et auxilium. Deus matris dolorem consoletur et  
 meum. Ne dominus hoc sibi adscribat ad iniuriam vehementer  
 timeo, quem vel minima in re offendere magis rebus omnibus  
 25 expavesco; idcirco ut apud eum me miserum excuses oro ac  
 mirum in modum deprecor. Hanc ob causam longe magis tuam vi-  
 dere personam cupio locumque ut mihi statuas aliquem, quo ve-  
 niam et te visam et alloquar et meam soler afflictionem.

Iacobus de Bando cupit mirum in modum tibi commendatus  
 esse in hoc potissimum tempore quo dantur officia, ut illud as-  
 sequi possit tua procuratione et diligentia, de quo alias factus est  
 30 sermo. Vale mea dulcedo.

Ex S. Blasio XIII nov. &lt;1429&gt;.

## 560.

(Est. 57 f. 80).

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Nuper ad me scripsit Anna uxor olim Ludovici Morelli, qui tuus erat, ut nosti. Exposuit mihi molestias multas et afflictiones, quas ex maritorum morte, quasi hereditatem propriam, viduae consecuntur; lites multae ac turbationes mulierem implicant, qua- 5 rum tamen consolationem non parvam colligit praeter spem ex viro egregio ac prudenti procuratore Nicolao de Corlo, qui omnes eius molestias ut clipeus propulsat et omnia fideliter facere velle pollicetur, modo dictus Nicolaus levetur onere ac damno cuiusdam condemnationis, qua Nicolaus multatus erat ob quaedam et verba 10 et verbera, quibus quondam implicitus fuerat cum Ludovico. Et quoniam ipsa condemnationis solutio in ipsius Annae detrimentum redundaret, quam solvere oporteret potius quam ab ipsius Nicolai defensione privaretur, meam imploravit operam ut apud te intercedam, ut camerarius Argentae aliquanto supersedeat ab 15 ipsius condemnationis exactione donec aliquod adhibeat remedium. Ne igitur frustra meam implorasse videatur operam, tuam oro humanitatem ut afflictam miserari velis feminam et animi dolore ac corporis aegrotatione confectam. Hoc pacto suis et mariti officiis in nos satisfactum esse videbitur; cum Ludovicus erga nos 20 multa liberaliter exercuerit, uxor non minus « obsequiosa » extitit. Si hoc abs te impetrat, magna videbitur acerbatis parte levata; id ut facias suae comprecationes implorant eamque camerario ut commendes etiam atque etiam obsecrat. Vale.

Plaut. Capt.  
518.

Ex S. Blasio XIII nov. &lt;1429&gt;.

25

## 561.

(Est. 57 f. 77).

Guarinus amantissimo patri Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Ad te confugio consilium expetens atque auxilium, benefactor optime. Ecce fama est civitatem Ferrariae in dies convalescere; quo quidem munere sit nomen Domini benedictum, qui ferit et 5 sanat et qui bellum indicit et nobiscum reddit in gratiam. Audio igitur et cives multos in patriam quasi ex longa fluctuatione in portum sese recipere. De me quid faciam nonnihil ambigo; nam cum id facere quod alii faciunt percupiam, impedimento est partus uxoris qui non longe progressurus videtur. Subinde ne 10 illustrissimi et excelsi principis voluntatem offendam subvereor, si redeuntibus aliis foris moram traxero. Tamen ne ullus sit offensionis locus aut reprehensionis adversus me apud eum principem, cuius voluntati morem gerere etiam supra vires statui, omnia postponam et in urbem advolabo. Tu itaque dubium rege 15 me et quod sequar iter monstrabis; qui enim das ut sim, curare debes ut cum laude sim. De hoc satis.

Coepi nuper, insignis Iacobe, onus quoddam aggredi, quod quantum voluntati respondeat tu ipse pro tua sapientia iudicabis. Nam cum matronale decus in matre tua sepultum viderem, in- 20 dignum censui si eius virtutes et sanctimoniam, quantum in me est, silentio involvi sinerem, cui laudes vel publicae debentur. cum universorum benefactrix extiterit et quasi bene vivendi speculum. Verum cum mater fuerit ostentationis inimica (multa latere possunt quae mihi homini externo patere nequibant) insti- 25 tueram ut antequam scripta ederem, ea iudicis oculis inspiceres. ut si quid addendum esset praeter ea quae indagare valui, matrem suae gloriae debito non fraudarem. Dehinc eos addam colores et ornamenta quae pro meae officinae inopia potero. Hac- 30 tenus enim more sculptorum feci, qui principio ita marmora eru- diunt, ut equi aut leonis aut hominis adhuc in forma detegant imaginem, nondum splendor adiectus extremusque color <sit>. Sic et ipse locos quosdam assumptos in unum ita coegi, ut cor- pus et forma compareat, necdum autem expolita membra pro

mei ingenioli facultate sunt. Quod si de hoc opusculo tuam aperire sententiam institueris, gratum futurum est et lectoribus et artifici, 35 cuius laudi consules ut maior in laudando accedat auctoritas.

Restat et tertium quod ad te praesens ferat epistula. Sunt nonnulli, amantissime Iacobe, qui te ac tuos mirifico amplectuntur amore; idecirco cum me in tuorum numero pro tuis in me officiis et commendationibus esse videant, multis me commodatis 40 afficiunt et saepissime prosunt. Quibus cum gratiam referre parvitas mea non sinat, me tamen paratum offero si qua in re me utilem esse intelligant. Veniunt igitur hoc tempore cum distribuendorum tempus officiorum adesse videtur meque ut vehementer pro illis intercedam tibique accurate scribam efflagitant; 45 addunt tuam illis benignitatem adeo notam esse et tuam erga me benivolentiam, ut, si voluero, sese <putent> compotes voti futuros. Te igitur, liberalissime Iacobe, rogo ut quantum tua dignitas honorque patitur, sic illos exaudias ut et ipse non ingratus illis esse credar nec eos tuae in me caritatis opinio fallat. 50 Iacobus enim de Bando eius loci custodiam petit quem nosti; eum ut certum reddas oro sese indubie consecuturum quod optat et me ab eius instantia exoneres precibusque quotidianis, cui quantum debeam alias me referente cognosti. Blasius de Marciis ex aliquibus officiis aut negotiis unum petebat: aut unam postam 55 inferioris Portae Consilice aut custodiam Pontis Marini; ex quibus si unum conferri ei facies, magno erit a me debito satisfactum. Et quoniam tres Gratiae a poetis esse feruntur, tertia succedit petitio. Blasii frater Dominicus duo petit officia, alterum quidem bulletarum officium Argentae, quod si meo intercessu consequetur abs te, nihil 60 est quod non mihi debere velit, cum ego multa illi debeam; alterum quod petit officium tacebo, nec enim convenire visum est.

Vides, amplissime vir, quam importunus abs te multa petam. Quidnam miri est? iudignum est parvis quibusdam vasculis uberrimos adire fontes? num cernimus pusillos et arentes fluvios exiguos navigari lembis, cum contra latos lacus magna gestare navigia videamus? Sic ad te abundantem liberalitatis fontem si in petendo vela extendimus, ne doleas aut nobis succenseas. Vale et me ut facis ama et fove et Blasium in primis commendatum habe.

Ex S. Blasio XVI nov. <1429>.

## 562.

(Corsin. 33 E 27 f. 56; Parig. 5834 f. 128; Balliol 135 f. 121<sup>v</sup>; Tioli XXII da un cod. di S. Maria del Popolo in Roma: pubblicata dal Tiraboschi *Bibliot. Modenese* I 368, e in parte dal Verani N. *Giornale dei letter.* XX 297).

Guarinus Veronensis d. Thomae Cambiatori viro doctissima  
sal. pl. d.

Si litterarum inter nos agi commercium cupis, hoc abs te in primis peto posco et flagito ut eo abstineas epigrammatum genere. 5 quod licet a benvolentia proficiscitur et honorificandi voluntate, tamen et invidiosum est et magnis viris ac excelsis dignum baronibus. Id mihi erit gratissimum ac honorificum, magne vir Thoma, ut praestet hirsuta repuisse toga quam illustri paludamento incedere. De hoc satis. Nuper foras dierum aliquot spatium equi- 10 taram, ita enim res postulabat, cum rediens tuas offendit; quod idecirco dixi, ne mearum tarditatem accuses. Praeterea cum ex Argenta me pestis extrusisset, in hanc secessi villam, ubi codem in loco et cubile et coquina et porticus et horreum est. Saepe numero cernere est eyathum cacabum codices parapsidem de loci 15 possessione contendentes, cumque ad atramentum calamus extenditur, saline quandoque demergitur. Interim pueri obstrepunt et sic auribus intonant, ut cogitationem infringant ingeniolumque perturbent; quod mihi obtingere fateor, quia a sensibus mentem separare nescio, ut andiens non audiam et oculos habens non 20 videam, quod multi habiti graves viri et praecepisse et factitasse iactantur, idest « se homine exuerunt ». Ego non ita sum prudens, fateor: proinde illa merito mihi contingunt et stultitiae meae poenas do: itaque si negligentius ad te scripsero et « quicquid in buccam venerit » dixero, praeter imperitiam meam 25 ipsi etiam incommoditati assignabis.

Non possum, Thoma sapientissime, « amorem non amare tuum » qui videris ita meis delectari nugis, ut patres nonnulli qui longe magis balbutientis puelli verbulum probant et exosculantur

Cic. *De fin.* V  
35.

Cic. *ad Att.* I  
12, 4; Hieronym.  
*Epist.* 85.

Cic. *ad fin.*  
IX 16, 1.

quam acutissimum aliquod et disertissime prolatum enthymema Ciceronis aut Demosthenis. Perge vero, me lauda me ama, modo 30 tuarum laudum apud me censura maneat. Deinde me vocas ad iocos, ita ut sit iocis ipsis mixta severitas: sic in severitate iocosus es et in iocositate severus; ad quod invitatis accedo, hoc enim pacto domesticas temperabo molestias. Credo, suavissime Thoma, tibi ad scribendum defuisse materiam itaque ut a me 35 dicta, addendo, corrigeres ad civilis iuris nexus confugisti, qui ab sapientissimo quodam viro aranearum telis comparati sunt, quae cum culices et misellas quasdam irretiant muscas, ab vespis et crabronibus primo solvuntur impetu et volatu citatiore dissipantur. Nam quod in transferendo in te «usu» mei addendum «usui» «fructum» iactasti, idque ex medio iuris civilis arcano et legum vestrarum oraculo, sexcentis confutari modis potest. Id antequam faciam, paulisper *< r >*evocanda est oratio.

Tuam, vir eximie, animi magnitudinem cum aliis laudatissimis rebus, tum vero ex hac una intelligo, quod praeclaris aliis 45 studiis operam dare voluisti, ut mentem legendi saturares et peritus evaderes: id quod ex iure civili consequi posse desperabas. Nam cum hanc involutam quandam institutionem formulis quibusdam et actionibus videres esse compositam, quam nonnulli sicuti filiolam in sinu gestitant et exosculantur, non scientiam perdidi- 50 cessc sed operam perdidisse putasti, si ea tantum non tam peritus sed impeditus in hominum iudicium conspectumque prodires. Audieras enim sapientissimum et eloquentissimum illum hominem, apud quem ita scriptum inveneras: « itaque dignitas consularis in ista iuris scientia nunquam fuit, quae tota ex rebus fictis con- 55 menticiisque constaret; quid enim dignitatis in tam tenui doctrina esse possit, in qua et res parvae continentur et prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatae sunt? » Quod ita esse etiam haec sophistica tua testatur epistula; nam quod laudare probe dictum debuisti, prae studio et cupiditate io- 60 candi redarguis. Quod enim modesti verecundi minimeque prae- sumptuosi est, « ut me tuo uteris arbitratu », ipse tuae condonabam potestati; quod arrogantis studiosique iactatoris extitisset

Cic. p. Mar.  
25.

45 vel om. vero codd. | 48 voluntariam codd.

subticui « fructum videlicet atque lucrum ». Nam quis ego sum,  
 65 qui tibi tale aliquid polliceri possim? quid absurdius quam si sic  
 a me scriptum prolatumve foret: « ut utaris me licebit, qui tibi  
 fructuosus et magnae frugi futurus sum? » Esto autem sic vo-  
 luisse te, ut et usum et fructum tibi de me ipso pollicerer « ad  
 habendum tenendum possidendum utendum fruendum ». Nec id  
 70 sat esset, certo scio; addendum erat « sub hypotheca et obliga-  
 tione omnium meorum bonorum ». Nondum satis esse dices;  
 adiungendum esset: « mobilium et immobilium ». Necdum suffi-  
 cere dices; apponere debuissem: « et praesentium et futuro-  
 rum ». O nugatoriam facultatem verbosamque solertiam! hui,  
 75 catum te hominem existimavi! nam in locis innumeris lectitasse  
 debuisti in « usu » « fructus » quoque significationem inesse; si-  
 cut cum dictum est: « magno nobis usu*<i>* tua erit amicitia ».  
 Eodem ex fonte « usus » derivatur et « utilitas »; quocirca utrum-  
 que recte dictum est: « iejuniorum non mediocris extat utilitas »  
 80 et « labor egregium mortalibus usum afferre solet ». Nec ignoro  
 sic inter « uti » ac « frui » solere distingui, ut « uti » ad aliud.  
 perinde ac instrumentum aliquod referatur, « frui » vero quietem  
 et finitam prae se ferat intentionem. Miles armis utitur, victoria  
 vero tandem parta fruitur; codice utor, disciplina tandem per-  
 85 cepta fruor; pecuniis recte utimur ad elemosynas, vita beata  
 fruimur; Hannibali obiectum est « si Cannarum victoria uti magis  
 21. Flor. II 6, 12.  
 quam frui voluisse, triduo intra Capitolium cenaturum fuisse ».  
 Quae quanquam ita sint, quis recte loquens ea re se usum dicet,  
 quae detrimentum perditionem dedecusque pariat? hi*<n>c* « uti »  
 90 atque « abuti » differre voluerunt; si quis igitur argentum dilapi-  
 darit, argento non « usus » sed « abusus » dicitur.

Credo, dulcissime Thoma, iam tui paenitere sophismatis te-  
 que *<fateri>* verba nimis violenta loquutum: nesciebas quocum  
 certandum tibi pugile. Proinde si me consiliario uti non dedi-  
 95 gnaberis, civilium verborum formulam exercebis inter forenses  
 cancellos et clamosa tribunalia, ne parum multa scire videaris  
 neu clientes frustra salarium impendisse clamitent, si nihil scriptis

---

70 sat certe *Ball.* | 85 tamen *vel* tantum *codd.* | tamen *vel* tantum  
*codd.* | 90 *vel* differri *codd.* | 93 minus *codd.* | loquentem *vel* loquente  
*codd.* | 95 intra *Ball.* | 96 ne] *vel* ut *codd.* | 97 *vel* nec *codd.*

addideris ; nec ceteros latine eleganter pureque loquentes, sicut et contrahentes, legalibus allegabis verbulis, nisi oratorum poetarum et approbatorum scriptorum consuetudini congruant. 100

Haec quidem ioco ; illa serio : volo quantum in me est tuae laudi commodis ac dignitati adesse idque tuo iure mihi imperes. Sed quod petere vis ab illustri Principe et litterarum Maecenate, ut te in futurum Ferrariae esse velit, non recte accipio ; num tibi Ferrariam adenundi et ibidem commorandi libera potestas est ? 105 quod magis incertum mihi est, quia non addis quo pacto quamque ad rem ibi te esse velint. Magnum video tibi susceptum esse laborem ut Virgilium vertas ; quid facies, si Virgilius in te fuerit invictus, quod cum propria spolias veste, quam ut ornatiorem efficeret multos dies ac noctes consumpsit ? Sed et haec ioco 110 dicta mittamus. Vale et siquid valeo tu me pro tuo iure vel utere vel fruere.

Ex Sancto Blasio XVI novembris 1429.

### 563.

(Est. 57 f. 76v).

Guarinus cl. v. d. Ziliolo pl. sal. d.

Tuus humanissimus adventus ad me quam tui videndi gerbam aviditatem ita auxit, ut quem primum videre cupiebam, nunc tecum esse tecum vivere mirum in modum ardeam : tantum pollet tua suavitas, animi moderatio et singularis illa morum tuorum dulcedo, quae vel barbaros omnes et humanitatis expertes ad te diligendum colendumque perlicerent. Quocirca quoad per huius tempestatis molestias lieuerit una vivere et praesentia ora tueri, te litteris sequar et tecum interdum ero. Ut autem tua mandata exequerer post tuum discessum curavi, in quibus magnam voluptatem suscepi, cum sensi me tuae voluntati morem gerere. Si forte ut volebas a me factum non erit, vires accusato,

---

103 quidem *codd.* | 107 *vel* *velit* *codd.* | 110 *sed*] *si* *codd.* | 111 *iure* *statue* *trude* (*vel* *tende*) *codd.*

non voluntatem. Vale, compater honorande; quid enim mutuae necessitudinis et vinculi novi fructu uti cessemus?

15 Postquam has ferme conscripseram, venit nuntius ab d. U-golino, qui mea suscipere pro iure suo non est dignatus. Si portio ipsa eum delectat, oro ut cumbam quandam mittat et va-sculum capiat: id mihi erit gratissimum. Vale iterum; memento mittere folia.

20 Ex S. Blasio XVIII nov. <1429>.

### 564.

(Est. 57 f. 81).

Guarinus patri optimo Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Vixdum alteras ad te litteras scripseram, cum maestus et infelix nuntius aures meas atque animum perculit, filiam carissimam diem suum obiisse. Quae res quasi dolorum nostrorum 5 cumulus accessit. Video mulierem pudicissimam et matronarum decus e vita discessisse; quocirca publica haec ipsa delamentatio tuo dolore geminatur: dolemus eius obitu, dolentius et dolore tuo qui noster est. Una nobis accedit consolatio, quod tam fortiter easus adversos ferre soles, quod te non imitari turpe videtur.  
 10 Credo etiam pro tua sapientia has dei visitationes esse cognoscis, in quibus tuam exercet et experitur fortitudinem et animi granditatem, qua humana omnia nihili facis et caduca simul et incerta esse cogitas; nec hanc, quam appellamus vitam, vitam esse sed mortem, ubi omnia simul ac in vitam perducta sunt in mortem continuo devolant. Quid? quod hanc malorum sentinam non iniuria quis dixerit, ita ut, quandiu in ea simus, miseri esse non desinimus, nisi duce ratione muniti et ut clipeo armati mundana calcemus et ingruentes propulsemus ictus. Quod cum strenue semper feceris, denuo quoque facies. Considerabis, vir magnanime,  
 15 nihil mali accidisse Comitissae, quae cum e tantis effugerit mundi fluctibus, duce pudicitia, morum sanctimonia, probitate et dei ti-

---

564, 15 continue cod.

more beatum veluti in portum confugit. Nomen igitur Domini benedices, cuius bona omnia sunt opera, ne si nimium querulus esse perges, divinae adversari videaris voluntati, cui in omni vita dicendo ac faciendo semper consonare studiasti. Cogitabis patera tuo ex animo ac vultu multis ex tuis maeorem laetitiamque manare. Vale fortis vir.

Ex S. Blasio XXVII nov. <1429>.

### 565.

(Est. 57 f. 83<sup>v</sup>).

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Etsi te sentiam domesticis vexatum angoribus, ut consolatione magis quam occupatione opus tibi foret, tamen quia plus in te publica cura quam privata potest molestia, quoniam non tibi soli sed etiam amicis ac patriae natus es, non desistam quin 5 ad te scribam super re Petri de Bando. Obsecro te pro ea caritate quam mihi et re et verbis ostendis, ut, si tuo cum honore fieri possit, eam illi conferas praeturam quam tantopere expetit. Magno nanque honori id sibi et suis fore putat, si tua ope atque opera paulo condescendet altius; id in primis erit mihi gratissimum 10 et honorificum, si suis in me officiis hac in parte satisficeris. Vale benefactor optime.

Ex S. Blasio XXVIII nov. <1429>.

### 566.

(Est. 57 f. 74<sup>v</sup>).

Guarinus cl. v. Iacobo Ziliolo pl. sal. d.

Quanto magis magisque te pro rerum varietate perspicio, tanto magis tuam virtutem admiror colo et celebro. Alibi fides alibi humanitas alibi sapientia liberalitas mansuetudo sese aperit; nuper autem quanta animi tui sublimitas fortitudo patientia effulsa! 5

adeo humana omnia despicias calcas et parvi facis, ut venientes casus fortis praeliator propulses ac dissipes. Amissa nanque vel verius praemissa tanti pudoris sanctimoniae gravitatis filia, alius caelum deploratione frangeret, caput pectusque ictibus fa-  
 10 tigaret, consolantium vocibus aures clauderet et aegritudinem dolendo augeret. Tu autem, vir magnanime, adeo graves et acerbissimos eventus aequo toleras animo, ut tantum animi robur non admirari non possim; facisque pro animosi gubernatoris officio, qui quo turbulentior fluctus insurgit terribiliorque procella cir-  
 15 cumtonat, eo praesentior animo est et vigilantius cum virtute artem exercet. Nemo est qui ex te ipso te dolentem intelligat: sic vultus constans, firma vox, virilis oratio perstat, ut si quem tui gratia maerentem aspexeris, eum consoleris lenias animes. De me ut dicam, sic afflxit me casus iste, ut vulnera quac nondum  
 20 « callum obduxerant » « recrudescerent », cum tuae gravis doctae christianaee epistulae adventu me sic muliebriter doluisse pudeat; turpe nanque visum est me non tam toleranter tuos casus pati quam ipse tu vulneri propior fers, et negligere videris, immo vero gratulanter excepsisse. Non filiae et quidem amantissimae  
 25 funus, sed nuptias celebrasse iudicaris. Sicut aurum in fornace. te probat Dominus, ubi non more palearum fuliginem sed fulvum splendorem emittis. Quis igitur non te felicem dixerit, qui ad hosce terrores et saevos ictus non dormitas? vere dixerim: « benedictus quem Dominus invenerit vigilantem ».

Cic. *Tusca. II*  
36; *ad finm. IV*  
6, 2.

Lue. 42, 37.

30 Vera tibi fatebor, vir fortior Hercule, cum allatae mihi sunt litterae tuae fortitudinem undique patientiamque spirantes, oratione quaedam versabatur inter manus quam in sanctae feminae Theodorae matris memoriam componere labore. Cogitabam et totus anhelabam qua consolationis forma in tantae iactura mu-  
 35 lieris uterer, cum tuis aspectis lectis accurateque perpensis magna ad consolandum oblata est materia multique detecti loci; quia cum in tanto detimento me ipsum consolari nequirem, alium ab dolendo revocare non poteram. Sit igitur nomen Domini benedictum qui sauciat et sanat, qui verberat et blanditur.  
 40 qui castigat et diligit. Non parvum autem ex hisce litteris tuis fructum colligo, quibus quantum me diligis et carum habeas

sponte declaras. Nam ut superiori tempore secundarum, sic nunc  
adversarum rerum participem facis et onus impartiris; quod verae  
amicitiae officium est idque quam mihi in tanta amaritudine dulce  
sit et honorificum, explicare non possum. Unum autem mihi dif- 45  
ficilius est, meam Tadeam lenire dolentem, quae cum insignem  
ac suavissimam Comitissam miro complecteretur amore, quem  
morum dulcedo creaverat, consuetudo et familiaritas auxerat, eius  
obitum inconsolabiliter patitur augetque maerorem compassio et  
condolentia molestissima, qua dominae Ferrariae, quam loco ina- 50  
tris adoptavit, afficitur, ita ut et proprio et alieno dolore gravetur.  
Accedit et pondus hoc ad partum qui videtur non procul instare.  
Induam et ego vel exemplo tuo patientiae clipeum.

Sed mi Iacobe, mi pater mi patrona, quid faciam? Audio  
cives complures in urbem se post sedatam pestem referre; ego 55  
paritura uxore detentus tardiusculus videor. Vereor autem ne  
illu<strissimi> principis nostri animum mora mea offendat;  
quod tamen si ita existimas, urbem repetam, hic uxore dimissa.  
Libens igitur consilium tuum audiam pater optime. Vale et me  
commendatum habe. De Bonaventura nostro quidnam <agat> 60  
et ubi sit libenter scirem; itidem de viro praestantissimo d.  
Ugolino nostro; amantissimus quoque quid agat magister Anto-  
nius scire opto. Vale iterum ac perpetuo pater mi.

Gratum esset et ad orationis illius ornamentum conducearet,  
si quod egregium dictum factumve matris nostrae memoria tenes 65  
idque notatum velut in inventarium redigeres; decet enim ad  
splendorem bonorum et ad ceterorum imitationem insignia non  
taceri. Interim quanto aetatis anno obdormivit in Domino, facies  
ut sciам.

Ex S. Blasio ultimo novembris <1429>.

70

### 567.

(Est. 57 f. 84).

Guarinus dulcissimo patrono Iacobo Zilio pl. sal. d.

Rediens ad me Petrus de Bando totum me refersit laetitia,  
quia te in tanta conquassatione firmum et inconcussum et corpore

et animo nuntiavit, ut orationi constantissima et gravis ac stabiliis vita consonet. Innata sic tibi videtur altitudo animi et rerum humanarum parvipensio, ut eius rei in aliis laus « in te desinat esse laus ». Hi sunt disciplinarum fructus, quibus aliis te speculum constituis et exemplar. De his satis.

Placet etiam admodum quod super eius praeturae petitione 10 absolutum reportavit abs te responsum, ne tandiu pendeat animi. Sed idem Petrus, ut est apud Terentium, « hæc non successit, alia aggredietur via ; » statuit nanque ex tribus praeturis, si poterit, unam impetrare : Codigori, Massae, Miliarii : superque ea re quandam excelso principi nostro petitionem supplex porrigitere 15 decrevit, tua spe et ope fretus et quia me apud te et te apud dominum omnia posse confidit. Tuam rogo humanitatem ut ei faveas, ne frustra meum implorasse videatur auxilium aut forte suspicetur me parum diligenter scripsisse aut frigide pro eo intercessisse. Id tanti facturus est Petrus, ut pro iis quae hac tem- 20 pestate mihi saepe obtulit officiis vel hac una re sibi abunde satisfactum sit. Eum igitur tibi ex animo commendo, ut magis commendare non possim.

Attulit idem laetum mihi nuntium, quod et amicissimus d. Ugolinus convaleret et melius in dies haberet: nam litteras ad 25 me miserat quidam, cum vita functum esse. Crede mihi pater optime, rari dies intercedunt quin sinister aliquis « nuntius aures mihi vulneret », quo fit ut studia litterarum sic abhorream, uti spinas, et nisi sacros interdum codices lectitarem quos ex his ecclesiis eruo, vita mihi esset acerba. Deus itaque benedictus sit. 30 Plura non dicam cum nudius quartus longiuseulas tibi rescripserim; quas cum acceperis pro tua humanitate inter tot occupationes aliquid respondere ne dedigneris. Integerrimos viros P<sub><aulum></sub> Girundam et Constantinum salvere opto. Vale mi pater ac benefactor optime.

35 Ex S. Blasio <3 dicembre 1429>.

*Aad. IV 1, 56.*

*Verg. Aen. VIII  
382.*

567, 4 constantissime cod. | 11 hoc cod. | 13 Codigoro, Massa Fi-seaglia e Migliaro tre paesi della provineia di Ferrara | 24 haberet num- tiavit cod.

## 568.

(Laur. Ashburnh. 278 f. 30<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis suo amantissimo Stephano sal. pl. d.

Antequam legendi cura et occupationes me ipsum circumvalent, aeri alieno quod tecum contraxi satisfaciam; unas enim tibi debeo litteras pro eis quas ad me misisti cum in Sancto Blasio eram. Gaudeo mi Stephane cum mea tibi, viro in primis gravi et ornato, probari video incipioque mihi placere cum tibi placebo. Nam eam subvererer non nihil hominem amicum offendere litteris meis, maluissem si ita censuisses, imperitus quam ineptus haberi. Bene igitur habet cum factum probas; tamen rarius ad eum scribendum deinceps erit bonis ex causis, ne crabrones irritasse videar. Tu tamen sis tacitus; nolle ullo pacto eius generis epigrammata ad me scribi, cum aliorum causa tum mea, qui me « intus et in cute novi ».

Pers. III 30.

Horat. A. P.  
304.

Video quid de muliere inveniunda spores vel desperes potius; aliorum dirigenda erit cogitatio. Laelius. ut primum veni, ad me advolavit: is bene valet; ei operam afferam ad haec studia quam mea sinet ruditas; « fungar vice cotis, acutam reddere quae ferrum valet, exors ipsa secandi ». Agnatos meos salvare opto, tu bene vale.

Ferrariae XXI decembris 1429.

20

## 569.

(Monac. lat. 504 f. 406<sup>v</sup>; 5639 f. 16<sup>v</sup> incompleto; Wolfenbüttel Aug. 2.<sup>o</sup> 83, 25 f. 90<sup>v</sup>; Kreismünster 10 f. 268<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis suo Marco Campesano sal. pl. d.

Si te a me diligi non tibi persuades, aut parvae fidei es aut magnae inconstantiae ego, qui putas meum in te amorem viguisse

---

568, 3 ere cod. | 8 ista cod. | 12 epigrammata: s' intendono le intestazioni troppo encomiastiche delle lettere, cfr. 562, 4 | 20 novembris cod. 569, 1 Capesano Krem. | 2 vel a me te codd. | 3 ego] eo Krem.

dum praesens eras, evanuisse cum absens factus sis. Non ita est:  
 5 te amo te carum habeo, teque frequens cogitatio absentem esse  
 non sinit. « Modicae igitur fidei, quare dubitasti? » revoca te ipsum  
 et meliora de me cogita, idest eum esse qui quondam, nec tem-  
 poris spatio nec locorum intercapedine benivolentiam mutare aut  
 10 ulla ex parte diminuere. Quod et experientia probo; nam quo-  
 tiens ad me scripsisti, totiens ad te et quidem grandes epistulas  
 rescripsi. Sed gravitatis erit officium vel nuntios vel alias accu-  
 sare occupationes quam voluntatem in te meam.

Matth. 14, 31.

Quantum enim fortuna me exagitarit per multorum domestici-  
 corum et morbos et mortes, triste est meminisse. Non dicam er-  
 15 rores et vagata saepius rura dum meorum saluti consulio, non  
 dicam impensas et damna. « Sit nomen Domini benedictum » :  
 filii tamen divina adspirante gratia incolumes sunt cum uxore  
 post longos variosque languores. Accedit nunc amici illius mors  
 quam nuntias, de qua et nomen Domini benedico, quia et ipse  
 20 nos creat et ipse nos hinc revocat. Hi sunt huius saeculi labores  
 et haec praeimia laborum, ut post vigilias sudores irrequietamque  
 vitam senectus languores mors demum surrepat. I nunc et spem  
 in tam fugacibus pone rebus. Paulus Ziliolus et Iohannes Esten-  
 sis domi meae paucis diebus excessere. Multis iam mensibus fa-  
 25 miliam omnem dissipavi, ne si simul omnes essemus, magis ex-  
 candesceret incendium. Bartholomaeus \*\* abiit, quorsum nescio:  
 Antonius Brixensis rura peragravit; Roverella graviter febri-  
 tavit, nunc convaluit proxime; Bonaventura ita graviter habuit,  
 ut ter limen mortis adierit.

30 Quocirca desine tam iniquo ferre animo infelicitates tuorum,  
 commune enim hoc infortunium est, nec tantas effunde querelas,  
 si aliorum litteris earueris, cum et domestica mala et nuntiorum  
 inopia magno fuerit litterarum scribendarum impedimento. Interea  
 35 codicem aliquem invenisti ex vetustis illis nostris dum tantum agri  
 discurris? Ego postquam a me discessisti, nunquam vagari cum  
 familia destiti incumbente morbo; nudius tertius redii in hanc

11 erat? | 13 enim] *vel* vero *codd.* | 21 laborum premia *Krem.* | 26  
 Barth. etcetera abiit *codd.* | 27 Roverola *codd.* | 35 *vel* transcurris *codd.*  
 | a me *om.* *Krem.*

urbeni iam pristinae restitutam incolumitati. Vale et d. Cincium  
a me salvere opta et virum primarium Poggium; et commenda  
me humiliter reverendissimo domino meo Ursino.

Ex Ferraria 25 decembris 1429.

40

## 570.

(Marc. lat. XIV 221 f. 83; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 200).

Guarinus Veronensis suavissimo Philippo sal. pl. d.

Vin meam audire stultitiam et rerum ignorantiam? Nuper scribens ad Antonium Brixensem nostrum, ut tibi verbis meis salutem diceret obsecrabam; addideram, mihi ut suas acommodearet Epistulas. Is mihi rescripsit te iam dudum Venetias profectum, deinde Veronam te rediisse tecumque suas esse Epistulas, quas si vellem ab ipso repetendas esse. Non aliter affectus sum animo quam qui, visis et inventis per somnia thesauris, expergefactus quaerit et inanes sibi manus comperit. Hoc tamen fructi nova haec pariet delusio, ut ad te scribam tecumque litteris sim, qui corpore praesens esse non possum. Nam cum iandiu <sup>Verg. Aen. I 3.</sup> « terris sim iactatus et alto » dum meorum saluti consulo, vix tandem hanc in urbem enatavi; ubi hieme oppressus cum propter filiolos parvulos navigare in patriam commode et cum salute non possim, praegnante praesertim uxore, haec iuventus Ferrariensis quam frequens me obsecrat ut ei ad haec studia nostra vel dux vel socius vel adiutor esse velim: non parva promittuntur. Quid multa? decrevi periculum facere; idecirco scribo ut meorum sis consiliorum particeps, cum quo feci mea omnia communia.

Tu autem curabis Epistulas illas Antonianas mittere, ut eas <sup>Verg. Ecl. II</sup> 71. habeam, « quarum indiget usus ». Commentum illud in Speram

---

37 vel Cineiciun codd. | 38 vel Pagium codd. | 40 decemb. Krem., sept. (vel om.) rell.

570, 1 Guarinus Veronensis ad d. Philippum canonicum add. cod. E nota a piè di pagina il Morelli che questi era il Rizzoni (doveva dire Regini) | 4 tuas cod. | 16 quae cod. | 21 inspenam cod.

Prosdicimi vel mitte vel mihi transcribi facito. Et quoniam Petrum Paulum de ingenuis moribus tibi satisfecisse arbitror, illum etiam mitte, quia multi a me illud petunt vel efflagitant 25 magis. Quod aliud scribam nihil habeo, praesertim cum in reconcinnanda supellectile sim occupatus; nuper enim redii. Tu vale; sal. pl. dic Lavagnolo amantissimo.

Ex Ferraria 3 kalendas ianuarias 1429.

### 571.

(Palat. 492 f. 173; Arundel 70 f. 141; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 231; Vindobon. 3330 f. 220; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 201).

Guarinus Veronensis suo dulcissimo affini Baptistae Zen-  
dratae sal. pl. d.

Acerbum hodie vulnus tuis ex litteris accepi, eo quidem gravius, quo minus hoc tempore expectatum. Nam cum parens 5 dulcissima quasi anniversario morbo per hibernos dies teneri soleret et gravius implicari, adventante vere bonae satis validitudini restitui solebat. Talem sui languoris exitum expectans, heu infelicem me! mortis eius nuntium pro sanitate suscepit. Nunc magno vitae lenimine destitutus quid faciam? eiusne casum an infelicitatem meam deplorabo? At, dicet aliquis, nihil feceris, quia ad reparationem tam pretiosae iacturae lacrimae funduntur inanes; eas tamen frenare non possum, quas pietatis dulcedo et maternae caritatis vis effundit. Inter hosce gemitus et suspiria vel id documenti decerpo, quod cum ex mortali me natum matre hoc eius 15 eventu intelligam, et me mortalem esse cognosco et ita cognosco quod « colligendarum sarcinarum admoneor » et me ad iter ut parem iubeor. Consolationis in hoc meo casu non parum accipio, quod pro tua in me caritate et in omnibus rebus diligentia nihil ei defuisse video quod pro virili parte conferri potuit; qua in re 20 me ipsum immortaliter natosque meos tibi obligasti. Accedit ad

Varr. R.R. I  
1, 1.

cumulum et consolationis meae et materna laudis ipsa in primis  
elari et sapientissimi iurisconsulti Madii oratio et commendatio  
in funere habita; quid enim maius ad matris laudem accedere  
potuit, quam viri omni honore et laude dignissimi commendatio?  
Ei meo nomine grates et quidem maximas dico; accedit et hoc 25  
ad innumerabilia eius in me beneficia: deus illum mihi reservet  
incolumem, quo sospite nihil mihi et filiis ad laete et honorifice  
vivendum deesse posse arbitror. Tu vero, mi Baptista dulcissime,  
et tuum in manus tuas Guarinum suscipe et ut soles ama.

Ex Ferraria kal. martiis MCCCCXXX.

30

## 572.

(Est. 57 f. 6<sup>v</sup>; Danzica 2224 f. 180).

Guarinus Veronensis cl. iurisconsulto d. Ziliolo pl. sal. d.

Scalabrinus proxime rediens tuam bonam valitudinem et  
res secundas nuntiavit. Quae quidem res cum maximam mihi lac-  
titiam et animi iocunditatem attulissent, tua enim omnia mea esse  
duxii, adiecit ad voluptatis cumulum te per summam hilaritatem 5  
et applausum exceptum fuisse ab ipso pontifice maximo et dein-  
ceps honorifice ab dominis cardinalibus. Id autem auditu iocun-  
dissimum extitit, tametsi eo tacente vaticinari poteram, concur-  
rentibus multis ad vaticinium faciendum. Primum quidem lega-  
tionis officium est, qua fungeris illustrissimi et excelsi domini 10  
Marchionis nomine, quem pro divina eius humanitate ac munifi-  
centia cunctis admirationi et caritati scimus esse; non dicam sa-  
pientiam aequitatem, animi magnitudinem, quibus et apud exterias  
nationes colitur amatitur veneratur. Adde patris amorem, quem  
apud romanae curiae viros omnes pro ipsius prudentia liberali- 15  
tate moderatione integritate consecutus est: cuius cum sis imago  
et viventis heres ac virtutum successor, quis non te diligat com-

---

25 vel multas codd.

572, 1 Veron - om. Danz. | Troilo in ras. Est. | 4 esse me Danz.  
| 8 eo tac - om. Danz. | 10 illustris Danz.

pleteatur et benivolentia prosequatur? Harum rerum commemo-  
ratio tuae molestias lenit absentiae et nostrum de te desiderium  
20 mitigat. Quantam iam tuo ex reditu voluptatem concepi, cum res  
omnes ad unguem exprimes, cum te referente magnificentiam cu-  
riae, devotissima templo, urbis magnitudinem, aedificiorum et ar-  
tificiorum admirationem et vetustatis monumenta ita perdiscere  
licebit, ut coram cernere et praesentia tueri credidero!

25 De nobis quod audias est in primis patris tuorumque omnium  
ac nostrorum incolumitas. Dominus Ugo<linus> noster pristinam  
paulatim reparat sanitatem, in quo convalescimus omnes, qui in  
eius languore aegrotabamus. Tadea puellam peperit, quam cum  
30 baptizandam tardassemus te expectantes, demum ita volente patre,  
domina Catharina uxore adveniente, compaternitas inita est. Sed  
audies divinam principis humanitatem nostri, qui dignatus non  
est mihi compater effici, quod honorificentissimum mihi in vita  
contigit.

Vale et me R.<sup>mis</sup> dominis cardinalibus et patribus singula-  
35 ribus commenda domino de Ursinis et domino de Sancta Cruce.  
Salvus sit humanitatis hospes et litterarum splendor Poggius et  
d. Cincius vir integerrimus et doctissimus. Commendo tibi Petrum  
de Bando harum latorem.

Ferrariae XXV martii <1430>.

### 573.

(Marc. lat. XIV 221 f. 83<sup>v</sup>).

Guarinus amicissimo Philippo canonico veronensi sal. pl. d.

Nullum est aut dictum aut factum tuum, Philippe carissime,  
in quo non singularem erga me benvolentiam tuam significaris;  
sed eam proximis diebus ita exploratam fecisti, ut eam quasi  
5 manibus tangere videar; adeo tuam omnem voluntatem meo su-

---

20 Quantam] Quocirea Est. | 25 quid Danz. | 26 Ugo Danz., Petrus  
in ras. Est. | noster] non Danz. | 27 convalescemus Danz.

*Sall. Cat.* 29, biecisti iudicio, ut verum illud reddideris « amicorum idem velle et idem nolle » : pro quibus quidem meritis te diligo te amo « te in sinu gesto ». *Gratulor tibi praeterea quod ex tua epistula tantum ex claro viro Iacobo Ziliolo amorem tibi vel conciliasti vel auxisti, ut nihil supra.* Ita fac mi Philippe ; grandia omnia sapis ; 10 et pecuniam in loco negligere magnum lucrum esse et tibi persuade et aliis exemplum para ; amicorum voluntatem rebus omnibus antepone ; id, mihi crede, maius atque maius tibi faenerabit. Librum Epistularum petenti Iacobo condona, cui et te ipsum, quod multo carius est, dudum condonasti ; adde ad eiusmodi munerum cumulum tuam nobis praesentiam, quam in primis opto : ea mihi diem festum paritura est. Vale et me vigilans et somnians ama.

Ex Ferraria XXI aprilis 1430.

### 574.

(Pavese 400 f. 26 ; Est. 597 f. 18v ; Roma Vitt. Em. Varia X f. 278 ; Bolog. Comun. 16 b. III 3 f. 8v ; Guarner. 80 f. 105 ; Querin. A VII 1 f. 47 ; Parig. 5829 ; 5831 f. 382 ; Canon. lat. 173 f. 241 ; pubblicato in *Vitae Gr. Rom.*, Parisiis 1532, 422 ; in *Plutarchi*, Basileae 1563, I 755 ; dal Bandini *Cod. lat.* II 181-182 e in parte dal Rosmini *Guarino* II 131 da un codice dell'Archivio segr. della bibliot. Vaticana, forse l'odierno 8086 f. 17 ; cfr. Hodius 60).

Guarini Veronensis ad cl. physicum Philippum Mediolanensem in vitam Platonis prohemium.

<Guarinus Veronensis clar. physico Philippo Mediolanensi sal. pl. d.>

Multum diuque animo verti, Philippe vir doctissime, humilitatem tuam moresque suavissimos, quibus effectum est ut quantum scientia et magnarum rerum cognitione, tantum facilitate et vivendi suavitate praecellas. Eius generis medici sunt, quos lit-

573, 11 neglige cod.

574, 1 vel Guarini Ver. v. cl. in vitam Platonis prohemium ad cl. Philippum physicum Mediolanensem codd.

terarum parens Homerus inter alios principatum habere cecinit :  
 10 « vir medicus pretio multos aequaverit unus ». Quid igitur mirum  
 est si carus adeo, acceptus ac iocundus es huic illustri nostro  
 principi, subtili hominum aestimatori et fautori virtutis optimo ?  
 qui quantum gradu et fortuna, tantum dignitate sapientiaque  
 inter mortales antecedit. Tuarum sane rerum cum alii permulti,  
 15 tum vero ipse tibi sum testis non infimus, quem singulari beni-  
 volentia, stricta familiaritate, assidua consuetudine, colloquiis inti-  
 mis, tuenda mei meorumque valitudine et omni denique neces-  
 situdine tibi devinctum tenes. Cuius quidem rei memoriam tam  
 iocundam tam honestam atque probabilem si qua ratione perpetuo  
 20 conservare liceat, saepius mecum verso. Sicut Aegyptiorum arti-  
 ficio et excogitatis quibusdam odoribus incorrupta teneri corpora  
 « pater historiae » tradit Herodotus, id demum facile fieri posse  
 intelligo si litteris, quasi perenni condimento et fideli rerum ge-  
 starum custode, posteritatis etiam commendatione crebrisque ser-  
 25 monibus durare curabimus.

Itaque cogitanti mihi quidnam hoc potissimum tempore, quo  
 tantis immergor occupationibus, scribendum aggrederer, aptissima  
 Platonis persona visa est, in cuius lectione perinde ac delicatis-  
 sima degustatione utriusque recordatio condiretur. Eum idecirco  
 30 potissimum delegi, quia cum de illo nonnulla disseruisse in eo  
 suburbano Ferrariae proximo, cui ob eximiam quandam amoeni-  
 tatem Pulchroflori agnomen inditum est, tibi sum pollicitus me  
 de hominis aetate responsurum. Non contentus autem promissa  
 tantum reddere, ut accumulatius *hęc* aes alienum tibi persolverem,  
 35 eius viri genus, vitam ac nonnulla divinis ipsius studiis perti-  
 nentia coniunxi. Hoc pacto omni ex parte Platonem notum ac  
 familiarem tibi fecero.

Claram Platonis extitisse progeniem — Aristo creat.

Haec sunt, Philippe vir doctissime, quae de Platonis genere  
 40 scripturum me tibi pollicitus fueram ; quo pacto etiam in studiis  
 vitam degerit adiunxi, ut cumulatius tuae voluntati munus elar-  
 girer, in quo si legens interdum obversabere, tu mihi ego tibi  
 praesentes esse videbimur, cum frequentes nostrae occupationes  
 iocundissimam nobis invitis consuetudinem praesentiamque dis-  
 45 solvant. Et quod initio dixi, nostrae benvolentiae memoria et  
 amicitiae fides hoc litterarum beneficio et custodia durare ac ser-

Aen. IV 83. vari diutius poterit; sic utrique virgilianum illud obveniet: « absentem absens auditque videtque ».

<Ferrara 1430>.

### 575.

(Monac. Universit. 4.<sup>o</sup> 768 f. 160<sup>v</sup>; Monac. lat. 504 f. 152<sup>v</sup>; Treveri 1879 f. 9<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis suo dulcissimo Martino Veronensi sal. pl. d.

Quod et sero et breviter tibi respondeo, dulcibus provocatus litteris tuis, non me sed occupationes meas immortales accusabis, quibus vix sufficio ac resisto. Quod tibi nihil litterarum aut salutem nullam miserim, succensere mihi posses, si id aut parvo amore aut oblivione proficiisci putas;<sup>49</sup> sed cum te in meorum loco desumpserim liberorum et adoptarim, oblivione deleri a me ne putas velim. Verum cum, nescio unde, te post obductum vel extinetum Bononiae bellum ex Florentia migrasse didicissem, tecum tacitus eram calamo, non eram tamen tacitus animo, qui tecum est. Video consilia vestra mutata esse, ita cogente fortuna; amittendus non est animus: « spera in deo et fac bonitatem ». Haec de te.

Psalm. 36, 3. Laudo Bar tholomaei | nostri consilium in patriam ire destinantis, postea quam ei fortunae favor arridere incipit; sic et suis litteris factus sum certior, quibus ut respondeam prohibet tempus et negotia; nec tamen aliquid urgens est, quia omnia vicissem, si opus ei rescribere fuisset. Vale, mi carissime Martine, et Mariotto humano in primis homini sal. pl. a me nuntia.

Ex Ferraria V kal. april. <1430?>.

49 Explicit Plato feliciter. Ego Bartolameus de Ganasonibus scripsi 1439 die XXVII septembris Querin.

575, 3 proyocatis *codd.* | 5 vel nil *codd.* | 6 possetis *codd.* *Monac.* | 7 proficiisti (- stis) *codd.* | 12 nostra *codd.* | 15 barbarum *Trec.* | 18 quin? | 19 vicissim *codd.*

## 576.

(Parig. 5834 f. 127v ; Balliol 135 f. 120v ).

Guarinus Veronensis dulcissimo Stephano Todesco sal. pl. d.

Quo te nomine appellem non satis scio ; nam cum tuas litteras contemplor et mores utrinque sane suaves, tu mihi pure Latinus videris, adeo et dulciter scribis et modeste vivis ; cum 5 tuum animo verto cognomen, tu appellandus nomine tantum Todescus es, qui praeter syllabas todescum nihil habes. Ubi vero tuam in adeundo me consuetudinem perpendo, tu Persa et ex medio Persarum regno advectus appares ; ferunt nanque qui mores gentium diversarum conscripserunt, Persas nunquam eorum 10 adire reges vacua manu solitos, quasi regis aditus eis semper emendus sit : tu quoque, liberalissime Stephane, ad me tuis ire litteris nefas esse ducis nisi quippiam semper apportes muneris. Quam ob rem mi Stephane ? quibus meis in te meritis ? an non intelligis quam in amore me facis iniquum, ubi tu semper dans 15 nihil accipias, contra ego nihil dans semper accipio ? Nec tibi satis est pro tua tibi innata munificentia me uxoremque ac mensam locupletare, nisi et Guarinellos omni voluptatis genere et per congrua quoque munuscula mulceas. Non cessant in dies sa- 20 liferorum gestus iudicare extollere arridere et, quod plus est, imi- tari ; et, quasi vivi audiant, illos castigant monent vocant et iam impositis uniuique nominibus eos salutant appellant invitant. Quid tibi dicam ? in re muta dicacitas tanta fit, ut non modo salem sed etiam sales baiulent ; et in eis tua in primis viget memoria. Vasa quoque illa mirum in modum delectant, adeo ut 25 in vase ipso artificis mirer ingenium ; et decrevi multiformia inde mihi vendicare vascula, quae cum forma sint egregia, tum vero humanitatis nescio quid habere videntur : non superbunt, non recusant imperium ; vocas, praesto adsunt ; si pulsas et digitis excitas, respondent et quidem concinne, ac tinnitu quodam oboe- 30 dire velle significant. Quid tibi caseum praedicem ? in quo sapor

ora, color oculos, tui nominis memoria omni dulcior ambrosia pa-  
scit animos. Quibus tot tantisque rebus quis dignas tibi gratias  
agere valuerit? ego si referre non possum, at habeo et quidem  
maximas, si modo id tibi sat est.

Varronem paratum exposui Laelio, ut cum certum repererit 35  
nuntium, cui tuto committi possit, ne litterarum mearum more  
vanescat, eum desumat tibi transmittendum. Eo uti et reliquis,  
immo et me ipso, tuo utitor arbitratu: sum enim tuus « et usu  
et possessione » et si mavis fructu; quandoquidem Cambiator  
noster usum non satis esse putat: cui me commendato. Vale, lit- 40  
terarum helluo, et in his tibi parsimoniam facito, nam otium  
nullum adest nisi me furem fecero. Nescio quid habeo in mani-  
bus, non magnis istis viris sed nostri generis dignum hominibus,  
quod aliquando vises. Vale; habebis et a familia nostra litteras,  
ab Tadea et Hieronymo, qui primas nescio <quas> suorum 45  
fratrum et suo nomine scribere seu linere ad te voluit. Gaudeo  
libellum, quem remissum accepi, tibi iocundum vel iocosum exti-  
tisse; et si te ipse explere non possum pro tua rerum mearum  
aviditate, implorata meorum auditorum ope te prenam, quem vi-  
deo « lassatum quidem fieri posse, satiatum vero nunquam ». 50  
Vale. Platonem novellum, si cupies, videre faciam.

<Ferrara aprile 1430>

## 577.

(Est. 57 f. 208v; Parig. 5834 f. 124v).

Guarinus Veronensis Stephano Todesco suo sal. pl. d.

Inter multas et immortales occupationes meas grandis ac-  
cumulatur labor ex litteris paene innumerabilibus quotidianie et  
dictandis et transcribendis; idcirco careres saepius responsionibus  
meis, nisi intercederet et succurreret « omnia qui vincit amor ». 5

Verg. Ecl. X  
69.

---

33 voluerit *codd.* | res referre *Ball.* | 37 cum desumant *codd.* | 45  
primitias? | 46 linire *Ball.*, *om. in lac. Paris.* | 48 et] ut *codd.* | 50 et  
sat - *codd.*

Cum autem adiungis et tua munera quibus respondendum est,  
 nisi videri velim ingratus, duplicato labore ut succumbam opus  
 est. Quocirca si utrius rei tardiorum aut deficientem prorsus a-  
 spicis, aut tibi causam attribue qui me nimis oneras aut vires  
 10 argue, cum animus plurimum valeat, cui vires ipsae non respon-  
 dent. Verum enimvero quod facile facere potero, te amabo te a-  
 nimo gestabo te memori semper ore servabo.

Tua mihi munera « monumentum et pignus amoris » ante  
 oculos in dies, immo et in horas habebo. Vascula illa, cum mensis  
 15 assideo, cerno, quibus tui reconditur recordatio. Guarinellos meos  
 eo gratiore habeo, quo illos tibi tantopere complacitos video,  
 quia et in eis quoque tuum amorem amo. Vaseulum vinarium  
 nondum exhausi, nam filioli sui dulcedo et suavitas visa digna  
 est, quae parcus observetur et diutius teneatur: ita quae aliis  
 20 ebrietatis causam attulisset, mihi sobrietatem persuadet. Censeo  
 vero ut eius patrono solvam pretium, quia et tam cito effoetum  
 futurum non est et vinariae supellectili meae consulet; quod si  
 facere poteris, mihi de pretio significato ut illud mittam.

De oratione illa quid sentias cum doctis hominibus, tua mihi  
 25 nuntiat epistula. Incipio mihi ipsi non displicere quando mea tibi  
 et eruditorum iudicio placere intelligo et iis potissimum qui, in  
 laude educati, in laude vivunt et reliquos laude libenter afficiunt.  
 Hoc mihi sit calcar ad laudem volo, si quid laudis excudere  
 licet. Laelium ut commendes mihi opus non est: ita enim in  
 30 meorum et quidem intimorum numerum adoptavi adulescentem  
 egregium, pro eius moribus et ingenio amplexandum. Vale pa-  
 trone dulcissime: commenda me viro praeclaro d. Troilo et ho-  
 mini insigni d. Thomae. Vale iterum.

Ferrariae IIII kalendas maias <1430>.

---

577, 9 adhibe *codd.* | 15 assidue *codd.* | 17 tuum quoque *Par.* | 19  
 itaque *codd.* | 20 censem *Par.* | 21 vere *codd.* | effoetum *Par.*, efectum  
*Est.* | 29 ita] iam *Par.* | 32 Troilo *Est.* | 44 La data è del cod. *Par.*

## 578.

(Est. 57 f. 15; Danzica 2224 f. 183; pubblicata da me *Storia e critica di testi latini*, Catania 1914, 331).

Guarinus cl. v. et doctissimo iurisconsulto d. Ziliolo <sal. pl. d.>.

Quanto magis magisque tua et dicta et facta perpendo, tanto maiorem tuam in me benivolentiam cerno et experior. Nam ut alia omittam, proxima haec epistula, quam ad me dedisti et verbis 5 et sententiis ornatissimam, quantam p[re]fert caritatem, quantum denique pietatem! Non enim amicus modo amico aut frater fratri, sed patri filius verba facere visus es. Hoc ipsum tametsi laudabile excellens ac probatissimum sit, tamen in te minus mirandum est, qui ex tuo genere, qui ex parente optimo, qui ex te 10 ipso innatam habes mansuetudinem, comitatem ac benignam quandam facilitatem, ita ut in tanta rerum copia, in tanta potestate, in tanta status amplitudine nihil elatum, nihil durum, nihil sublime sapiatis sed per omnes vitae partes medioeritas molitudo placabilitas eluceat. Quae cum ita sint, nisi te ipsum diligam amem obseruem et omni cultu complectar, ingratissimus sim. Accipe igitur me totum, vir ornatissime Ziliole, accipe animum tuo iuri deditissimum, accipe non modo vires, sed et si quid supra vires adest et tuo me utitor arbitratu. Magnificum si quidem in vita munus adeptus fuero, si licuerit inscribere « Guarinus Zilioli », 20 quasi poma quaedam pretiosissimo in vase collocata maius adipiscuntur ornamentum.

Tuam moram nonnihil diuturniorem graviuscule ferre inciperem, nisi honor tuus et dignitas tuam consolaretur absentiam et meum de te desiderium deliniret. Nam cum undique perferatur ad nos quam laete, quam honorifice, quam libenter omnibus tuus excipiatur adventus et tam magnis quam medioeribus summo in honore sis, non possum non gratulari et summo gaudio affici. Accedit et nova quaedam gaudendi causa; nam cum tuae rei publi-

---

578, 7 aut] ut *Dan.* | 18 iuri] viri *Dan.* | 20 fuero om. *Dan.* | 21 magis *Dan.*

30 cae legatione fungaris, et rei litterariae legationem suscias  
opus est. Fama enim est apud dominum Ursinum vero prioris  
saeculi virum pro summa eius sapientia et humanitate singulari  
auctores quosdam in lucem editos esse et qui diem suum obisse  
putabantur, in vitam revocatos esse; qua ex re mens praesaga  
35 quoddam facit augurium, quod vix audeo dicere. Oro igitur tuam  
vigilantiam, compater dulcissime, ut nunc tuum erigas ingenium,  
nunc vires expromas, ut eorum copiam habeamus; pro qua qui-  
dem re, nulli pareas impensa: omnem ego tibi restituam pecu-  
niā. Sed hunc in modum agendum censeo. Principio ut tran-  
40 scribi facias decem comoedias Plauti, quae repertae nuper sunt  
ultra eas quas habebamus antea. Ad reperiendum autem librarium,  
qualisunque haberi poterit, tibi auxilio erit vir ornatissimus Pog-  
gius, harum rerum strenuus indagator. Reliqui sunt libri quos  
45 antea inemendatos habebamus. Idecirco si quem ad exemplar re-  
pertum emendare liceret, minus esset laboris; de Q. Curtio et  
A. Gellio dico, quos truncatos habeo et « laceros crudeliter ora ». Verg. Aene. VI  
493.

Ad hos etiam duos ad nostra studia redigendos alia quaeretur via.

Cum magnam ex ista legatione laudem et patriae fructum  
reportaturus sis, non minus fervens esse debabis in hisce codi-  
50 cibus « postliminio » revocandis, quibus universum ordinem lit-  
terarium iuvare poteris. Lucullo non parva praedicatio accessit,  
quod ad Italos ex Cerasunte Ponti urbe poma detulit, quae ce-  
rasa vocata, ex ipso quoque Luculliana sunt appellata et in dies  
auctoris nomen illustrant. Quid tibi debebimus! qua laude tolle-  
55 mus ad sidera, quotiens Ziliolum legemus in Plauto! Unum me-  
mineris oro, ut, si transcribi feceris, ad exemplar corrigantur.

Vale, viro magno et excelsi animi d. Dominico de Capranica  
singulari quodam verborum ordine me totum ex animo commenda.  
Plurimam salutem dic a me domino Poggio et domino Cincio  
60 viris doctis et ornatissimis. Commissum denuo me facito R.<sup>mis</sup>

Die. Top. 37.

Plin. N. H. XV  
102.

---

30 fundaris *Dan.* | 44 antea *om. Dan.* | 47 queritur *Dan.* | 48 magna  
*Est.* | 50 litterarum *Dan.* | 54 nomen autoris *Dan.* | 55 meminerimus  
*Dan.* | 57 Crepanica *Est.* | 59 Cintio *Est.* | 60 me denuo *Dan.*

Verg. Aen. II  
281.

patribus et dominis de Ursinis et de S. Cruce. Vale iterum. dul-  
cissime compater et « spes mea fidissima ».

Ex Ferraria XIII maii <1430>.

Post has iam descriptas nova quaedam scribendi oblata erat  
materia, gratulatio scilicet tuae prudentiae, quam tuo collega Iu- 65  
liano referente edidie. Adeo de te magnifice et sentit et praed-  
dicat, ut nulla tanta sit res, quam tua prudentia regere, consilio  
sustentare, virtute perficere nequeas. Sed haec alias, praesertim  
eum temporis angustia vetet longioribus tecum esse. Vale.

### 579.

(Parig. 5834 f. 125; Brera AD XIV 27 f. 99v; Arundel 70 f. 112; Padov.  
Semin. 89 p. 43; 692 f. 107; Vindobon. 3330 f. 166; Balliol 135 f.  
118v; Corsin. 33 E 27 f. 50v; Guarner. 247 p. 415; 114 f. 123; Brit.  
Mus. Add. 15336 f. 50; Monac. lat. 504 f. 186v; Monac. Universit.  
4.º 768 f. 187v; Treveri 1879 f. 37: pubblicata dal Pez *Thes.* VI,  
III p. 164).

Guarinus Veronensis pro illustri Leonello Estensi ad cardinalem Ursinum.

<Leonellus Estensis R.<sup>mo</sup> patri d. cardinali Ursino s. p. d.>

Fama volat dudum. R.<sup>me</sup> pater et domine, Plantum yetnsum  
comoediarum scriptorem et facetiarum parentem tuos penates in- 5  
colere et apud te humanitatis hospitem post multa saccula quasi  
e morte revixisse: qua ex re cum omnes gratulentur qui studia  
complectuntur et litterarum suavitate delectantur et venerandam  
contemplantur antiquitatem, non minus gratulamur omnes qui  
tuae gloriae famae dignitique favemus. Video namque adeo 10  
cunctorum oculos ad tuam beneficentiam humanitatemque erectos  
ut, cum eius viri exemplar tuis ex liberalissimis manibns (sic  
enim sperant) suscepint et perinde ac ex beneficentiae fonte  
sitim expleverint, te decantaturi sint, tuum nomen disseminaturi

62 firmissima *Dan.*

579, 11 *rel* coniectos *codd.* | 13 *rel* ac *om. codd.*

15 tuamque laudem immortalitati dicatur. Idque iure quidem ac  
merito; nam si Lucullum clarissimum Romanorum ducem tanto-  
pere commendatum memoriae posteritatis cernimus, quia ex urbe  
Pontica cerasa ad nostrates homines detulit, quae proinde sunt  
Luculliana poma vocitata, quid tibi et praesentes et futuri debe-  
20 bunt, qui tua ope beneficentia humanitate istos Latinis hominibus  
et ordini litterato fructus impartieris, quasi Ceres altera, sicut  
poetae canunt, frumenti semina famelico distribuens orbi! et eo  
magis quia Cereris et Luculli opera corpori et palato cibus por-  
rectus est, at tuum munus studiorum utilitati, eloquentiae splen-  
25 dori et animorum institutioni facultatem parabit et escam. Eia  
igitur vir natura magne, dignitate maior, conferendis beneficiis  
maxime, eius poetae copiam mihi tuae dominationi devotissimo  
concede ut, cum tui liberalis ingenii praedicator disseminatorque  
sim in exaudiendis precibus meis, gravissimum studiosis viris te-  
30 stimonium in hoc beneficio reddas. Fac, humanissime domine quaeso,  
ut cum ab auctore comoediae Plautinae dicantur, ab instauratore  
cognominentur Ursinae. Valeat tua paternitas.

Verg. *Geo.* 1  
117; Ovid. *Fast.*  
IV 401.

<Ferrara maggio 1430>.

## 580.

(Vatic. lat. 4509 f. 20<sup>v</sup>, mutilo alla parola *inconsola* 154; Parig. 5829  
f. 318; nell'inventario del 1495 I n. 285 di Ercole d'Este: « laude  
de misser Iacomo Ziliolo in latino... compose missere Guarino »,  
cfr. G. Bertoni *La bibliot. Est.*, Torino 1903, 245).

Guarinus Veronensis gratulatur e. v. Iacobo Ziliolo ob filium  
ab legatione Ro<mana> cum equestri dignitate remeantem.

Si quando alias hoc praesertim tempore vehementius opto ut  
aliqua mihi, vel ingenio vel doctrina vel imitatione, dicendi fa-  
5 cultas adsit qua tuos mores, Iac<obe> vir sapientissime, et  
praeclera vitae instituta litteris qualescumque sint meis si non

15 *vel* et imm - laudes *codd.* | 18 *vel* perinde *codd.* | 19 *vel* venturi  
*codd.* | 27 *vel* - tionis *codd.* | 29 *vel* gratis - *codd.*

580, 1 Guaerrinus Vat. | 3 ut om. Vat.

ornare saltem attingere et eorum tibi fructu gratulari in Zilio  
viro insigni et ornatissimo filio pro amicitiae nostrae iure possim.  
Quas quidem res tametsi pro animi tui modestia refugis, una be- 10  
ne factorum conscientia contentus, non parum tamen utilitatis af-  
ferre mortalibus in vita queant ut vel tuo exemplo ad colendas  
virtutes animentur: quarum si non ipse splendor alliciat, utilitas  
tamen, dum hoc saeculo « spiritus hos reget artus », invitet.  
Sic enim ferme natura comparati videmur ut aliquam ex fatiga-  
tione nostra mercedem expectemus et expetamus; nam tantos 15  
haud sane labores contentionesque ultiro subiremus, nisi ulla spes  
perducat: cum alios gloria moveat nonnullos honor quosdam opes  
aliquos otium voluptas gaudia. Nec vero cuncta animi tui bona  
exornare et laudibus illustrare mens est, quippe quae magno et  
erudito indigeant ingenio; quam enim arduum est prudentiam 20  
tuam, fidem vigilantiam liberalitatem moderationem aequitatem,  
religionem mirificam in primis illam memoriae pro dignitate com-  
mendare! unam ego praecipuam in te admirari soleo virtutem  
eamque crebris usurpare sermonibus, qua non modo iis quos  
praesens videt aetas sed etiam quos superiora saecula celebrant 25  
vel praestas vel aequas, patientiam scilicet quae, ut a doctis ho-  
minibus diffinitur, est ob honestatis ac utilitatis causam rerum  
arduarum ac difficilium voluntaria ac diurna perpassio. Eam  
operae pretium est in te recognoscere et eius opera recensere et  
eo convenientius quod quae praesentia fuerunt acerba toleratu, 30  
auditu perhorrenda, aspectu miserabilia, nunc commemorando  
iocunda placida fient et honorifica. « Habet enim secura praete-  
riti doloris recordatio voluptatem », quemadmodum ex maris iac-  
tatione atque naufragio scopulos undas ventos enarrare et omnia

Cic. *ad fam.* V 12, 4. Verg. *Aen.* 1 91. postremo quae « praesentem viris mortem intentabant » in portu 35  
recordari iuvat: maxime cum tam laetas ac uberes fruges ipsa  
tibi patientia divinitus pariat. Ubi totius aetatis tuae molestias,  
adversas corporis valitudines, acerbas mentis aegritudines minime  
repetam, quae forti semper excipiens pectore deum assidue suis

---

7 cum et eorum *Par.* | 8 cum pro *Par.* | 13 in hoc *Par.* | 14 com-  
parati natura *Vat.* | 16 spes ulla *Par.* | 22 memoriam *Par.*, memoriae (?)  
ex memoriam corr. *Vat.* | 23 virt - adm - soleo *Par.* | 26 doctissimis *Par.*  
| 36 atque *Par.*

40 in donis benedixisti et grates Domino quaecunque irrogaret egisti.  
 Attingam autem durissima proximi anni vulnera, quae vires animi  
 tui non abiecerunt, non solitam in deum pietatem extinxerunt, sed  
 magis atque magis erexerunt et amplius incenderunt: hoc enim  
 modo tibi tuaeque ingentis tolerantiae lucro verius gratulari potero.

45 Theodora mater optima, familiae dux ac magistra, com-  
 mune egenorum perfugium kalendis iuniis ex huius saeculi vita  
 discessit, de cuius excellentia et vitae sanctitate plura non di-  
 ciam quoniam alio loco latius a me tractatum est. Quanta tibi  
 50 quanta domui desolatio quam acerba mendicitati iactura! eum  
 autem casum adeo toleranter fidei scuto armatus pertulisti, ut  
 nihil nisi dei laudes atque benedictio tuo ex ore manaverit et  
 qui tibi condolituri venerant, accepta abs te consolatione confir-  
 mati admirantesque discederent. Cum hic dolor delinimentum ac  
 medelam postularet, alterum tibi mortiferum iniectum est vulnus  
 55 quo et primum illud etiam atque etiam recrudesceret; die enim  
 post quinto decimo Paulo suavissimo orbatus es filio, cuius eo  
 tristius obvenit infortunium quo praeclarior indeles ac singularis  
 institutio ampliorem de se spem pollicebatur. Primarius siquidem  
 adulescens optimis ornatus moribus, supra aetatem egregiis in-  
 60 structus disciplinis, teneris in annis nil nisi senile redolens, ad  
 gravitatem denique, ad dignitatem ad famam natus magnifica  
 omnia praestaturus erat. Alius hoc tam infelici nuntio caput plan-  
 geret capillum rumperet pectora pulsaret et querelis omnia com-  
 pleret. Quid facis interea, Iac<obe> pater tolerantissime? in  
 65 Christi Iesu laudationem effusus piam illam et fortem emittis vo-  
 ce: « Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit  
 ita et factum est; sit nomen Domini benedictum ». Ad me ac  
 ceteros amicos graves prudentes et viriles dedisti litteras, quibus  
 tanto nos afflictos alumno consolatus es et ita consolatus ut nos,  
 70 ne moliores et effeminati prete videremur, moerere puduerit.  
 Hoc sedato vix ecce vibratur et tertius: perbellus nanque  
 Hieronymus, puer dulcissimus, tabido morbi genere paucis horis  
 tibi surreptus est; qui cum insigne quoddam nascentis probitatis

lob 1, 21.

---

41 anni proximi Par. | 51 nil Par. | 53 dolor] meror Par. | 62 tam  
 om. Vat. | 70 ne om. Vat. | moerore Vat. | 72 puerque Par. | rabido  
 Vat.

prae se ferret indicium, grande aliquid expectari iubebat et medioere nihil tacitus promittebat. Quis non ingemiseret quis non 75 lacrimis suspiriis et querimoniis prosequeretur abeuntem? Tu nihilominus deo psalmos decantare eiusque nomen benedicere pergis, ne consiliis eius ac voluntati adversari velle videaris.

Tale dedisti in tuorum moerore periculum. Quid in te ipso? non mediocre sane. Ecce, veluti saeva tempestas tuum obrutura caput, 80 adversa ingruit valitudo, ardentissima febre ac totius corporis conquassatione te labefactat. Iacebas ut spirans cadaver et cum domestici spem vitae prorsus abieccissent, Philippus noster medicorum decus et Aesculapius alter, etsi non omnino diffideret, exiguo tamen pendere te filo perspiciebat. Quotiens interea manus cum oculis 85 in caelum tollens deo gratias agebas quod te tam familiariter servum summ visere non dignaretur. Pristinae demum restitutus incolumitati et mentem in deum referens, si quo te novo viseret adventu, intentus expectabas; non longe post Comitissa, amantissima merito filia, aetate integra forma venusta corde venustior 90 vita et moribus venustissima morbo capta diem suum obiit, cum non multis ante diebus suavitatis egregiae filia eius, tibi neptis, vita excessisset. Quisnam extitit, quem tibi familiaritas amorque devinxit, qui non magnopere indoleret affligeretur ingemiseret?

Verg. Aen. VII. Tu « veluti rupes pelago » pro tua gravitate atque constantia 95 dolori resistis atque alios resistere tuo doces exemplo, auctoritate mones et gravissimis inducis epistulis. Extant litterae ad Nicolaum Pirundulum, modestissimum hominem ac prudentem in primis virum, generum tuum, quibus lacrimas eius abstergis ac moerorem mitigas et bono animo esse iubes; extant ad me extant 100 ad familiares nonnullos, in quibus legendis quantum pietatis indeum quantum diligentiae in amicos quantum in te gravitatis elucet!

Haec admiranda sane patientis animi testimonia, haec fortis filii, haec tolerantissimi patris, haec virilis hominis experientia omni cum antiquitate adaequanda. Memoriae proditum est 105 Val. Max. v Horatium Pulvillum pontificem in dedicanda Iovi aede nuntio de filii morte accepto neque ḡ corporis neque vultum ex pri-

---

74 expectare Vat. | 79 in merore tuorum Vat. | 80 scaeva codd. | obruptura Vat. | 88 in deo Par. | 92 egregia codd. | 95 pelaga Par. | 102 in te om. Vat. | 103 sane] sunt Par. | patientiae Vat. | 107 morte filii Vat.



vato dolore commutasse : tantum in eo potuit divinae religionis  
 magis quam patris officium. Paulum Aemilium mortem duorum  
 110 filiorum formae praestantis et expectationis non parvae septem  
 diebus amissorum magno animi robore sustinuisse lego, hanc vi-  
 rilem adiciendo vocem : bene res habet, Quirites, cum ita dii  
 votis ac precibus meis annuerunt, ut vos potius orbitatem meam  
 quam ego rei publicae calamitatem ingemiscerem : malo enim  
 115 pater quam civis calamitosus esse. Nec minus celebratur principis  
 Atheniensium Periclis forte facinus qui diebus quattuor duobus  
 filii spoliatus, eodem tempore solita et vultus habitudine et ora-  
 tionis firmitate concionatus est. Haec ipsa constantis animi et  
 fortiter in adversos suorum casus insurgentis exempla ; sed cum  
 120 tuis neque numero neque malorum mole neque tolerandi ratione  
 comparanda, potissimum cum illi quidem gloriae aucupandisque  
 rumoribus inservirent, tu autem in virtutem veram immortalisque  
 dei iussa curas consilia cogitationesque dicaveris, ut magistro  
 audires qui « patientiam inquit habe in me et omnia reddam  
 125 tibi ». Has ergo res quas vulgus aerumnas et calamitates ap-  
 pella, omni regio tribunali honestiores auro ac gemmis pretiosio-  
 res esse contenderim, ut homines quale iam nunc ab deo foenus  
 consequaris intelligent. Maiora illa praemia reticebo. Primum  
 quidem omnium, quodnam spectatori lucrum ex regali solio aut  
 130 quidnam commoditatis affertur nisi temporaria quaedam et mo-  
 mentanea voluptas, quae ut poeta diceret « oculos atque animum  
 pictura pascit inani ? » verum in tuis spectandis casibus, quos  
 tam generoso pectore et infractis sustinebas humeris, non me-  
 diocris ad bonos mores et bene vivendum utilitas decerpitur. Nam  
 135 quis adeo est iacentis ingenii qui ad toleranda fortius adversa  
 tuo non excitetur exemplo nec imitatione tollatur ? Plerique multa  
 dura sane atque aspera hominibus quondam ingruisse audiebant,  
 magno quidem et excelso animo perpessa ; ceterum quia supra  
 eorum vires erant, facta pro veris arbitrabantur ; nunc ubi tuum  
 140 illud inconcussum et tanta circumsaepsum virtute pectus intuentur,  
 in te quasi speculo conformati ad omnem incursum facile instrui

Id. V 10. 2.

Id. V 10 ext. 1.

Matth. 18. 18

Verz. Aen. 461.

Sall. Cat. 3. 1

111 animi] cum Par. | 117 orationis] oris Vat. | 125 ergo] ego Par.  
 | appellant Par. | 130 temporara Vat., temperana Par. | 131 idest quae  
 Vat. | 141 se conformanti Par. (an se conformantes?)

poterunt. Accedit eodem quod aurum ac pretiosi lapides nullum ad informandas mentes consilium, nullum ad optimas vivendi rationes modum praebent. Quod ita esse vel illud argumento erit: filium aliquis unicum et eximia pietate carissimum morte sur- 145  
 reptum amisit; inter plangores ac luctus, singulares homini uniones commonistrato « colloque monile bachatum imponas et capiti  
 Verg. Aen. 1  
 683. duplicem gemmis auroque coronam »: nullum ex ea re tantae acer-  
 bitati remedium, nullum aegritudini solamen adiunges, nulla ex  
 parte moerorem mitigatum aspicies. Sin tuae tristitiae ac doloris 150  
 intestini commonitum reddidero, non mediocrem animum levavero  
 et ardorem extinxero. Quid est bone vir quod tantopere tuus te  
 dolor affligat? inquam; Iacobum cogita, Iacobum vide, Iacobum  
 imitare. Unum tu luges filium amissum et inconsolabiliter lamen-  
 taris: ille una, ut sic dicam, incursatione et continuatis prope 155  
 funeribus dilectissimam parentem, geminos filios et quidem ca-  
 rissimos, prudentissimam filiam neptenique dulcissimam perdidit;  
 is denique gravissimo corporis morbo non procul ab limine mortis  
 absfuit, cum interim nullas, nisi in dei benedictionem et gratiarum  
 actionem, voces fortis homo profuderit. Quis adeo effeminatus 160  
 est, qui ad haec praecepta et viri constantis exempla non confir-  
 metur, non fluctuantem sedet animum et muliebriter doluisse non  
 pudeat, praesertim cum post tantos labores tuos tam amoena im-  
 praesentiarum cernat adesse praemia, quae inter ipsas defatiga-  
 tiones spectari licebat, vel ipso Domino et vitae nostrae magistro 165  
 et auctore promittente, « operarium sua dignum esse mercede »  
 et certatori paratam esse coronam. Quod etiam in agris fieri vi-  
 demus; nam cum eos agricola nubibus implicari, pluviis irrigari  
 et nivali rigore operiri cernit, mirandum in modum exultat; in-  
 gens nanque spes alludit homini et eum venturae iam fertilitatis 170  
 tenet expectatio, ut horrea frugibus late compleat.

Luc. 10, 7.

Ecce enim, ut alia taceam, adest ex legatione Ziliolus caris-  
 simus filius, ingenio doctrina virtute praeclarus, iuvenili quidem  
 aetate florens, senili vero gravitate maturus. Cui nuper in patriam  
 remeanti tanta clarissimorum hominum multitudine, tam frequenti 175

---

142 ac] et *Par.* | 146 plangores et pectora ac luctus *Par.* | 147  
 commostinto *Par.* | impones *Par.* | 154 inconsola: qui si tronca il cod.  
 Vatic. alla fine della pagina. | 162 sedit cod.

praestantissimorum civium coetu obviam proditum est, ut triumphantis filii decus verius appellari. Nam cum natalem terram tam eximia laude ornarit, nominis perpetuitate donarit et praecipua dignitate decorarit, optime factum censeo ut et civitas pro 180 acceptis invicem Ziliolum honore dignetur et gratias agat. Quis ignorat cives virtute et gloria praestantes civitatibus famam honorem et nominis immortalitatem afferre? Tolle Fabios, Scipiones, Marcellos, Cicerones, Pompeios, Caesares: Roma ipsa prorsus iacebit in tenebris aut quid futura sit non facile dixerim.

185 Et quoniam omnia in Ziliolo tibi vel in te Ziliolo debo, non patiar, quantum in mea sit<sup><um></sup> est parvitate, earum rerum memoriam obscurari, quae ab eo in hac legatione prudenter institutae, diligenter administratae, constanter absolutae sunt. Hoc enim modo et in eo tibi gratulari et nostram aperire gratitudinem fas fuerit. Ubi admirandum illud in primis occurrit, quod magis ipse contemplet<sup><ur></sup> quantum in Ziliolo patriae caritas et illustris principis nostri reverentia amore polleat. Nam cum Ferrariensis rei publicae dignitas et principis commoda postularent, tametsi plurima illum retraherent, quae numerare non est 190 necesse, tamen legationis officium ad pontificem maximum aggredi non dubitavit. Quam rem probaremus neene, Zilioli familiares et amici haesitabamus. Hinc enim rei difficultatem, molestias ingentes, tentatum antea frustra negotium, prorsus depositum ac desperatum, et eo infecto futura hominum obloquia cernebamus; hinc non mediocre illi nomen parari et amplitudinis auspicia. Qua in re nos quasi augures faciebat eximia Zilioli probitas, vigilans animus ad ardua omnia praesens, praeterea sapientiae et fidelitatis plena consilia, cuius ingenio scitum illud in primis ingenitum est, ut plurimum quidem facere, minimum 195 vero de se loqui gandeat. Nec vero nostro decepti sumus augurio. Siquidem Ziliolus Romanum profectus quot ibi legationi sensit adversa, quot exorbendae fuerunt iniuriae, quot solertia quot prudentia et disputatione nexus dissolvendi, declarat ipsum legationis tempus ac spatium. In quo menses circiter sex tot laboribus tot sollicitudinibus tot confictatus incommodis, nihil reformi-

---

194 est necesse est cod. | 204 minimum vero] minum non cod. | 207  
quod prudentia cod. | 210 confictatis cod.

dabat, « sed contra audentior ibat » ; et modo veri compos esset vel vitam amittere constituebat, quae res principi quidem Estensi ac patriae fructum, sibi autem ornamentum ac laudes adduceret. Nam quae maior laus et commendatio Ziliolo celebrari potest, quam ut pro patriae incolumitate, pro principis dignitate, pro 215 civium incremento, quibus sese natum esse intelligit, nullum vitae discrimen evitet, quamvis arduam vitae dimicationem ingrediatur et periculosa omnia vel ultro subeunda constitutat ? Quid enim tam diu bonis artibus et litterarum studiis incubuisse iuvarerit nisi gra<n>de aliquid et egregium saperet, vel eorum imitatione virorum, quos quotidiane legit, legendo admiratur, admirando complectitur et bene vivendi duces et auctores probat ?

Cic. *de sen.* 73;  
*Parad.* 12.

Val. Max. V  
6, 1.

Justin. 116, 19.

Legit enim Decios patrem ac filium pro rei publicae fortunis et amplitudine « ad voluntarium cucurisse interitum »; Brutum etiam consulem primum infestis hastis cum Arunte Tarquinii regis filio 225 concurrisse, ut adeptam ab se libertatem populo romano ab illis regnum repetentibus tutaretur ; Codrum Atheniensium regem bello Peloponnesiaco pro conservando Athenarum imperio depositis regiis insignibus et sumpto gregarii militis habitu hostem in suam irritare caudem voluisse, quia in ea civitatis incolumitatem ex 230 Apollinis oraculo constare didicerat. Hos cum <pro> patria vitam amisisse Ziliolus approbet, is pro ea labores curasque recusabit ? Et eo amplius, quod ipse, quem hominem primarium natura effinxit doctrina expolivit virtus confirmavit, non sibi ad quietem sed aliis ad laborem et ad agendum aliquid viro dignum 235 se genitum esse cognoscit. Nec cum iis sentit, qui pravis cupiditatibus et corporis voluptatibus abiecti tempus aetatem ingenium vires difflueret patiuntur et fortuna potius quam virtute genus humnanum regi putant ; verum industria, vigilando, bene consulendo, recte agendo res humanas prospere cedere semper existimavit. 240

Quorsum haec de Ziliolo nostro ? Ut et praesentes cognoscant et posteri, nulla eum defatigatione absterreri potuisse quominus suae fidei mandata perficeret, ad quae natura pronus accedente studio confirmatur. Pontificem ergo maximum eo rationibus et dicendi gravitate et orationis auctoritate perductum constat, 245

ut tandem victus dixerit: Expugnasti me tua, Ziliole, constantia; proinde quamvis difficilia petas et inusitata, « habe tota quod mente petisti ». Haud alia sane esse debuit expectatio; deus nanque, cuius res magna ex parte gerebatur, tantam ingenii 250 cultatem, tantam verborum facundiam, tantam exponendi gratiam suo infudit oratori et tam placabiles auditori comparavit aures, ut inanis redire non posset. Iam sentis dulces, iam immensos colligis filii fructus optimi, quem praestantissimum Ferrariae ci- 255 vem procreasse gaudes, tui nominis laudem et generis incre- mentum et, ut paucis dicam, tam insigni parente dignum filium.

Haec sane praecipua sunt; verum et quae secuntur eximia. Ipse enim pontifex generoso Zilioli captus animo, maturimis invitatus moribus ac senili sapientia delectatus, ut aliquo ab se monumento exornatum remitteret, suis manibus equestris ei di- 260 gnitatis imposuit insignia, eum auratis decoravit ornamentis. Praestans auratae militiae decus, ut huius aetatis homines appellant, obvenisse Ziliolo iure meritoque praedicarim, quippe quae perpetuum prae se ferat virtutis testimonium, ut quemadmodum aurum perpetuitate ac pretio reliqua omnia metalla superat et 265 ignibus incoctum suum magis nitorem aperit, sic et eo insigniti, vitae constantia morum sanctitate, per res adversas laboresque tollerandos, veluti Ziliolus noster, inter mortales eniteant. At vero longe id praestantius rarius admirabiliusque censebitur, si animo vertimus ab ipso pontifice maximo Zilioli dignitati orna- 270 mentum redditum esse, ab ipso inquam pontifice, qui Christi Iesu redemptoris nostri vicem gerit in terris, quo nullum maius aut venerabilius humanae res habent, cui Iesus Christus et suo ali- quando promisit ore, quicquid ab eo solutum ac ligatum esset in terris, id et ligatum et solutum fore et in caelis. Evidem tanti 275 munera fieri debere iudico, quanti sapientia sanctitate gradu praedi- di eorum auctores habentur. Nec ego hos civiles militiae ornat- tus illi castrensi ulla ex parte posthabendos esse video; nam haec caedibus hominum, oppidorum ruina, spoliandis regibus, po- pulorum vastitate rapiatur, illa vero munificentia aequitate, afflic- 280 torum tutela, bene de bonis, bene de patria merendo quaeritur.

Matth. 16, 12.

---

257 invitatis *cod.* | 259 excornatum et emitteret *cod.* | 268 et admirabiliusque *cod.* | 272 Iesus christus cui *cod.* | 274 fore et] foret *cod.*

Plut. *Lys. Lac.*  
28.

Quocirca aptum illud probaverim Lyenrgi Lacedaemoniorum regis institutum, qui suis imperatoribus domum cum victoria redeuntibus: si quidem vi ferro contentione rem cum hoste prospere gessissent, gallum iubebat immolare; sin auctoritate consilio eloquentia, rem divinam ritu sollempni facere: perinde ac hoc amplius 285 magisque ex ducis atque hominis officio, illud ex belluarum natura iudicaret.

Haec sunt, vir optime et omni laude dignissime Iacobe, quae post tanti moeroris nubila tam sereno tibi blandiuntur aspectu. Ea cum tibi laetitiam, filio ac generi cum fama dignitatem, patriae ac illustri principi nostro cum honore eonumodum apportent, tibi et Ziliolo aureo vere homini pro mea in vos observantia et fide gratulor simul et gaudeo, quoniam pro mutuae caritatis officio tua omnia duxi semper esse communia. Bene ac feliciter res istas vobis evenire deprecor et pro vestris innumerabilibus in me utriusque meritis vehementer opto. Qua in redeum immortalem supplex oro, quo hanc tibi et vobis laetitiam propriam atque perpetuam faciat et gaudii cumulum afferat, ut cum tales filium generasse delectet, tua quoque iam in eum educandum et liberalibus studiis quondam ornandum consilia 300 probes et impensas, cum fructus tam iocundos tam honorificos tua ex cogitatione curisque decerpas, simul ut reliquos instituere ac litteris erudire ne plegeat: quemadmodum Cato Censorinus et Pisist<r>atus Atheniensium princeps dixisse feruntur, cum indolis optimae et moratos unice filios suos aspicerent: Nunc vos 305 procreasse atque educasse iuvat et ad alios vestri similes patriae cives denuo dignendos voluntas et cura sollicitat. Ziliolus itaque noster vel tuo exemplo tota mente quantum viribus eniti, consilio providere potest, in rem publicam incumbat et eius dignitati ac amplitudini serviat. Nam quid maiori usui gloriaeque esse potest et ex omnibus rebus humanis praeclarius atque praestantius, quam de sua re publica bene mereri et patriae dignitati commodeisque servire? in qua « semper honos nomenque suum laudesque manebunt ».

Plut. *Cat. maior* 24, 8-9.

&lt;Ferrara giugno 1430&gt;.

315

## 581.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 3).

Guarinus Veronensis iurisconsulto d. Thomae Camb*<iato-*  
*ri>* s.

Dudum tecum tacui vel potius calamus tacuit, cum animus  
 din tecum verba faciat familiaresque sermones: sic « absentem  
 5 absens auditque videtque ». Ceterum sopitum calatum excitavit  
 rixa gravisque tumultus consanguinei mei et quidem amantissimi  
 P*<etri>* Guarini, cuius strepitus non modo tuum ad tribunal  
 infremuit, sed etiam meis insonuit auribus et sollicitudine meum  
 percussit animum. In ea tamen cura quae me sane coquit una  
 10 accessit consolatio, quod sub tuam deducta censuram ipsa res  
 est, qui scis et intelligis qui sint iracundiae stimuli, qui sint  
 laesi honoris impetus, quae lacessitae famae vis. Proinde homi-  
 nem tibi ita commendo, ut vel eum in me vel me in eo sub te  
 iudice agitari cognoscas. Fac intelligat P*<etrus>* meus per hanc  
 15 primam de tua benivolentia experientiam in quo amicorum gradu  
 Thomas locandus sit, ut cum inter doctissimos te primum extulerim,  
 inter amicos quoque te primum locare possim: an amicitiae  
 nomen sine re merum sit? Ceteris in disciplinis et vitae par-  
 tibus stoicus perfectus ut es, et sic te ostendas et probes velim;  
 20 sed in amicorum commendatione nihil minus, cum ea secta virum  
 sapientem caritate misericordia et amicitia fleti vetet. Vale igitur  
 et ut ipse in Petro valeam facito, si tibi carus sum.

Verg. Aen. IV  
83.

Cic. p. Mur. 61

<Ferrara giugno 1430>.

---

581, 15 quanto in cod. | 20-21 secta in sapientem eadem misericor-  
 diam cod. | 22 in Petro] impero cod.

## 582.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 4<sup>v</sup>).

Guarinus generoso equiti d. Thomae s.

Nuper magno cum animi dolore sensi carissimum P<etrum>  
 Guarinum et agnatione et benivolentia mihi coniunctissimum  
 molestia et periculo iudicij conflictari et ad quaesitoris tribunal agi-  
 tari ; qua in re illud me consolatur. quod pro mea in amplitudi- 5  
 nem tuam pietate et pro tuo in me amore P<etrum> tibi com-  
 mendatum fore spero et confido ; quod ut facias te oro atque  
 obtestor, immo vero sua te orat causa, qui laceratus ab maledico  
 et homine procacis linguae fuit. Scis autem quae sit laesi honoris  
 et violatae famae vis. Sed ne magis apud te causa quam precibus 10  
 valeam, Guarinum in Petro suscipe, vir humanissime, ut qui hac-  
 tenus sponte mea tuas virtutes amabam et colebam, nunc tuo be-  
 neficio provocatus et immortaliter tibi devinctus venerer. Vale,  
 vir amplissime.

&lt;Ferrara giugno 1430&gt;.

15

## 583.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 3<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis claro viro d. Thomae Cambiatori s.

Seio pro tuae virtutis magnitudine in his quae facis non  
 meas, non externas expectare grates : tibi praemia sunt « mens  
Verg. Aen. I 604.  
 sibi conscientia recti ». Tuo tamen in amici negotium facto scias me  
Cic. ad fam. VII 29, 1.  
 tibi tantopere devinctum esse, ut « et usu et possessione » tuus 5  
 fons sim et, ne tecum contendam, fructu quoque et mancipio  
 tibi vendices. Seclude curas omnes ; si quid in re tam iuste pro-  
 lata contentionis insurget in te, modo verbis non pugnis decer-

582, 8 causa] cum cod. | 9 laesi honoris] lesionis cod.

583, 2 pro] quod cod. | 6 sum cod. | 7 secluse cod. | 8 pungis cod.

tandum sit, tuam laudem et dignitatem tutabimur. Quicunque  
 10 apud hunc illustrissimum principem nostrum insurgat, « ibo ani-  
 mis contra, vel magnum praestet Achillem ». Meum propterea <sup>Verg. Aen. XI  
438.</sup>  
 discipulum, secundum quem iudicium declarasti, tibi in perpetuum  
 devinxisti, quia in proferenda sententia iustitiae clipeo defensus  
 nulla timueris arma: qua in re non modo iusti hominis, sed  
 15 etiam fortis nomen reportasti. Vale, doctrinarum decus.

<Ferrara luglio 1430>.

### 584.

(Parig. 5834 f. 127; Balliol 135 f. 120; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 15).

Guarinus Veronensis generoso viro d. Troiolo Boncompagno  
 sal. pl. d.

Ut dignas tuae magnificentiae gratias agam nullam satis in  
 me facultas adest, cum eam ad rem « non lingua valeat non  
 5 corpore notae sufficient vires nec vox aut verba sequantur ». Nam <sup>Verg. Aen. VII  
911-12.</sup>  
 cum infinitas benignitati tuae debeam, quia tam liberaliter tam  
 propitie tam denique amice necessarium meum tractaveris et ex  
 mediis fluctibus in portum annavigare feceris, quas pro dignitate  
 referam? Quod tam honorifice de me scribis et in posterum tuam  
 10 operam studium polliceris, hoc est tuum infinitis modis ac-  
 cumulare munus; nam quicunque quanti me facias legerit, qui  
 gravissimo polles iudicio et nonnisi praeclara diligere amare  
 grata tenere soleas, supra mediocres me collocare non dubitabit.  
 sicut de Prometheo tradidere poetae, qui ex caeno nescio quo <sup>Ovid. Met. I  
82-83.</sup>  
 15 eximiae formae corpus effinxit, ut spectantes admiratio et amor  
 afficeret. Hoc certe tanti beneficium aestimo, ut « grates persol-  
 vere dignas opis nostrae non sit »; tu igitur animum, qui tuae <sup>Verg. Aen. I  
600.</sup>  
 amplitudini deditissimus est, totum accipe et pro viribus volun-  
 tatem quae ingens est ponderato.

12 discipulum cod.

584, 6 deb - ben - tuae Par. | 12 diligere Ball. | 16 extimo cold.

Vale splendidissime vir et ut primum illustris princeps re- 20  
dierit, te sibi filisque ac maecenati nostro Iacobo Ziliolo diligen-  
ter, ut iubes, commendabo.

Ferrariae XX iulii <1430>.

585.

(Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 183<sup>v</sup>; 4.<sup>o</sup> 768 f. 182; Monac. lat. 504 f. 180;  
Vindob. 3330 f. 173; Treveri 1879; Arundel 70 f. 116).

Guarinus Veronensis Stephano suo sal. pl. d.

Credo tabellarios omnes coniurasse ne litteras suae fidei vel  
potius perfidiae commendatas reddant, ut me teque longiore affi-  
ciant expectatione molestiaque. Iam pridem per immortalem deum  
rescripsi super Laelii nostri facto, super quo longiores habuimus 5  
sermones Petrus et ego et demum <decrevimus> rem incohlan-  
dam esse cum altero; qui si vel ignavus vel adversus nobis  
fieret, frustra cum principe initum esset. Princeps autem ut  
nosti foris versatus est diu et nunc Veronam petiit Lud<ovici>  
Vermigenae nuptias celebraturus. 10

Ne autem putas tua excidissem mihi; prius enim mea mihi  
quam tua delebo memoria: id enim meritus es de me ac meis.  
Gratissimum feceris super calamario, quod futurum opus egre-  
gium scribis: sic enim Stephanus in eo mihi versabitur oculis;  
nam sententiam muto et quod alteri donaturus eram, nunc mihi 15  
ad delicias constitui. Vale prospere.

<Ferrara primi di luglio 1430>.

---

21 Iac. et L. Ball.

585, 6 incomodandam codd. | 7 ignarus codd. | 18 initum] nrnum  
(= nostrum) codd. | 10 rel Vernugene (verungene) codd. | 11 enim] rel  
autem codd.

## 586.

(Berlino lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 10).

Guarinus suo Stephano s.

Si ad <te> serius rescribo quam vel ego soleam vel tu expectes, ne incuriae succenseas oro; alia causa detineor, nam cum tuum in me studium, summam vigilantiam, observantiam 5 animadverto, longam quidem cogitationem consum<m>o ut aliquem gratiarum agendarum modum excogitem, si non parem, non valde dissimilem. Id autem cum assequi cogitatione non possum, diseructor animi et vitam molestiore ago ut, cum re ipsa et opere, quod difficilis est, non solun meis satis votis 10 facias sed etiam vota superes, ego verbis grates dignas dicere non queam. Nam ut alia omittam, quae paene innumerabilia sunt, quibus ego verbis et orationis ornatu calamarium abs te mihi missum aequaverim, in quo cum forma per pulchra concinna et commodissima sit, formam ipsam opus vere Phidiacum superat et 15 oculos pascens artificium? Si frondes ramusculosve contemplor et attentione intueor, num veras frondes veros ramos intueri et impune huc illuc posse flecti putem? adeo cum naturae facilitate certasse videtur artis industria. Subinde satiari delectatione non possum cum imagunculas inspecto et vivas in argilla facies: quid 20 in eis pro parentis naturae imitatione non expressum est? ungues, digiti, molles e terra capilli visentem fallunt. Cum oris hiatum inspicio, emanaturam vocem stultus expecto; pendentes puellos dum cerno, terreos esse immemor, ne proni cadant et corpuscula casus laedat reformido et misericordia commotus in- 25 clam. Quam varias animorum affectiones puerilis affert aetas animorumque mobilitas, tam varios in ore vultus cernas: ridentem hunc, subtristem illum, securum aliun, cogitabundum alterum. tum gestus per teneriorem aetatis lasciviam inverecundos: itaque corporis partes naturae providentia latere volentes, impudentius 30 deteguntur. Quid igitur miramur pristinis saeculis, quae passim

---

586, 2 serus cod. | 4 tum cod. | 8 possim? | 9 quidem cod. | 16 nunc cod. | 19 imagunculas cod. | 29 impudentuos detegentur cod.

adspirantes habuisse deos creduntur, extitisse nonnullos qui effectas e terra figuras animarint et vitales in sensus expresserint,  
 Lueret. IV 280. cum hac aetate, quae deorum expers ferme est, hae « creteae »  
 imagines cum veris certare videantur et sic certare ut in eis  
 saepius et attentius contemplandis legendi scribendive fiam non- 35  
 nunquam immemor?

Quas itaque tibi gratias agam, qui me tanta voluptate tua  
 opera et cura delinias? eius impensam ut mihi denunties reli-  
 quum est, ut vel hac via tibi satisfaciam, cum reliquis non liceat.  
 Vale dulcissime Stephane.

40

Ex Ferraria VII idus iulias <1430>.

### 587.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 34; 133 NA 5 f. 7v; Palat. 1592 f. 99v; Vatic. 3371  
 f. 60v autografo; Harleian 3568 f. 47; Ambros. H 192 inf. f. 14;  
 pubblicata in Anton. Beccatelli *Epist.* 1553 f. 76; 1746 *Gall.* IV 7.  
 Seguo la lezione dei codici, molto differente dall'autografo e dalle  
 stampe).

Antonius Panhormita Guarino Veronensi s. p. d.

Deerat id solum voluptati mee, vir humanissime, ut et te  
 quem iampridem atque unice diligo fortem pariter atque felicem  
 acciperem. Id cum vehementer averem ac crebro pervestigarem  
 audire, tu presagus et quasi haruspex desiderii mei Ludovicum 5  
 nepotem ad me mittis et cum nepote litteras tuas, tuas in-  
 quam, tuas, nam pre litteris aliorum, pace aliorum, suaves et  
 iocunde sunt et sole meo quidem animo redolent musas ipsas.  
 His itaque te incolumem atque anini tranquillum accepi et prin-  
 cipi et Ziliolo mecenati tuo, viris illustribus, quam maxime 10  
 gratum et amenum esse; tum a reliquis Ferrariensibus valde  
 et tua pro dignitate cultum et observatum. Eo nuntio hand  
 facile scripserim quantopere sum oblectatus et affectus; sed tu

---

33 hec cerate cod. | 35 contemplandi cod. | 39 via] una cod. | 41  
 XII cod.

587, 3 diligo] vel colo codd. | 10 vel illustrissimis codd. | 13 vel sim codd.

pro firmo et incredibili meo in Guarinum amore id facile con-  
 15 iectabis scio; et aderat Ludovicus nepos, adolescens et ipse dul-  
 cis et moratus, qui me non gestientem modo, sed insanientem  
 pre letitia aspexit. Nam cum ceteris in rebus satis fortem ac  
 constantem animum prestare consueverim, amor est qui me solum  
 frangat et enervet. Evidem possum et inediam et invalidinem  
 20 et paupertatem, denique hominum invidentiam et reliqua id genus  
 ferre moderate, amici fortunam ferre non possum; immo cum  
 mea ipsa voluptate nihil movear, amici beatitate non possum vel  
 vehementer non commoveri, ut aliquid nescio quid mollius aut  
 certe flagrantius in amicum diligam, quam in memet: hoc est  
 25 quod sepiuscule dico, amoris palmam mihi iure ac merito deberi.  
 Licet apud te loqui, magnifice mi Guarine, qui cum te tantum di-  
 ligam ut ne Pylades Orestem magis aut Damon Phitiam, facis  
 tu maxime ut amicitie gloria excellam; tum si quid erro, ne  
 erratum quidem amico celandum puto; sed de hoc in te meo  
 30 amore loquetur res ipsa aliquando simplicius effusiusque.

Nunc audi quo in loco res et fortuna mea, que et tua est, sita  
 est, nec cenam menstrualem, sed deorum simul accubitum spondeas  
 licebit. Igitur ne altius in presentia exordiar, Philippi Marie An-  
 gli Mediolanensem et amplissimi et illustrissimi principis ac  
 35 mei Cesaris gratiam vel intimam quidem adsecutus sum nec non  
 Francisci Barbavarie mecenatis mei, viri omnium quos nostra etas  
 fert et humanissimi et beneficentissimi, tum curialium, patrum,  
 scribarum, denique primorum fere omnium apud dominum nostrum  
 principum virorum atque procerum, idque potissimum mihi felix  
 40 et fortunatum est, magnorum et spectatissimorum hominum gra-  
 tiam inivisse; nam etsi salarym quoque satis grande mihi con-  
 feratur, hoc facultates arguit, illud virtutes: collibusse enim viris  
 primariis laus quidem illa precipua et eterna est: sapientium  
 amor non nisi virtutem complectitur. Sed quanquam in me virtus  
 45 aut vis ingenii nulla aut certe minima est, Cesar tamen meus et  
 Cesariani nostri et Mecenas ita in virtutem flagrant, ita in musas  
 incenduntur, idest in eorum gloriam, ut vel opinione, quam de-

---

22 mea] ea *codd.* | 24 *vel* recte *codd.* | 36 *vel* fert etas *codd.* | 40  
*vel* sapientissimorum *codd.* | 45 tamen] autem (aut) *codd.* | 47 idem (ut  
 idem) *codd.* | *vel* ut (vel) *codd.* | opinionem *codd.*

me meoque ingenio meisque moribus habuerint, me dilexerint auxerint honestaverint: ut si quid ea in re tribuas, non meo quidem merito quod nullum est, sed incredibili nostri Augusti 50 benigitati et liberalitati id tribuas oportebit. Est hic vere alter Augustus, mi Guarine, et ut armorum industria inter mortales excellens ipse, excellentes quoque ea in re summa affectione prosequitur foveat exornat, ita et litteratos ac bonarum artium studiosos pari caritate indulgentiaque complectitur, nec domi quidem 55 minus quam militie prestans. Me velim contempleris, ut omittam alios longe doctiores et eruditiores, quibus hec sua partim academia partim curia redundat, me inquam contempleris, quem quanti faciat audisti supra, et luculentius et prolixius aliquando ab aliis cognosces. Sed dii nobis illum sospitent «superstitentque»; 60 tu nunc partem mearum audis fortunarum ac status, nam commoditates preterea, honores, preeminentias ab nepote tuo accipies vivo sermone: siquidem familiaris divi principis et, ut ipse etiam addit in privilegio, poeta creatus sum a kalendis usque ianuariis, neque lectioni neque scriptioni obstrictus; salarym si 65 cui solvitur, mihi in primis commode solvitur et perlibenter. Sunt et alia preter hec eque fortunata atque voluptuosa, que ab aliis honestius potes, si sciscitaveris, intelligere; ego quidem vereor ne dum tibi morem gero, hoc est de mea fortuna te certiorem reddo, et epistole et continentie modum excesserim; quanquam 70 id feci non ut gloriarer immerito mihi, sed ut divi mei principis ac divini mecenatis mei naturam paucis deprehenderes, quam tu quoque deamares ac laudibus veheres sempiternis. Lamola vero tue meeque delicie salvus et letus sit aut, si illud mavult, grecus evadat. Tu vale.

75

<Pavia agosto 1430>.

---

48 *vel* quam de meo ingenio *codd.* | 60 *vel* atque superstitent *codd.*  
(questo verbo il Panormita trovò in Nonio Marcello 170, 14) | 72 quan-  
tum (*vel* tu, *rel* quam *om.*) *codd.*

## 588.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 30<sup>v</sup>; Palat. 1592 f. 100<sup>v</sup>; Vatic. 3371 f. 74<sup>v</sup> autografo; Harleian 3568 f. 53; Trivulz 643 p. 127; Parig. 8580 f. 47<sup>v</sup>; pubblicata in A. Beccatelli *Epistol. 1553* f. 78; 1746 *Gall. IV* 9. Reco la redazione dei codici, assai differente da quella dell'autografo e delle edizioni; la doppia redazione fu pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 235).

Antonius Panhormita Guarino Veronensi viro magno s. p. d.

Iacobus hic litterarum adlator adolescens haud magna cum re sed doctus et modestus et amicus meus ad te it; it solum ut te visat et legentem audiat istuc; tuo quidem nomine ac doctrina iampridem adlectus usque adeo est, ut nisi aliquando voti compos fiat, eo solum desiderio facile contabescat. Quare et officium tuum feceris et mihi gratum admodum, si quod vehementissime cupid letanter impleveris. Res quidem perhonesta est neque factu certe difficilis. Eum audies, a quo simul intelliges va-  
10 litudinem Ludovici nostri. Vale.

Ex Papia <agosto 1430>.

## 589.

(Vatic. 3372 f. 34 di mano del Panormita; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 10<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Antonio Panhormitae sal. pl. d.

Tua in me fides ac pietas augurem me fecerunt, non Cal-  
chantis non Tiresiae non Amphiarae disciplina, sed divina quadam  
amandi facultate necessitudine. Nam cum ad te scriberem  
5 quo in loco fortunae meae, secundae illae quidem, essent, te sin-  
gulari quadam oblectatione affectum iri divinabam. « Haud enim

588, 3 it it *Triv.*, it *rell.* | ut solum *Ferr.* | 4 istie *Paris.*, om.  
*Ferr.* | 6 solum] modo *Vatic.*

589, 1 p-s-d. *Vat.* | 3 Amphiare *Ber.* | 5 meae alias secundae*in-*  
secundae illae quidem *Vat.* | 6 affectum indivinabam *Vat.*

Ter. *Hec.* III 4. clam me est » quanta sit amoris mutui vis et eius praesertim qui  
 10. aut in virtute aut virtutis opinione sua fundamenta iecit, qui in  
 utranque fortunam res ipsas iubet esse communes. Te ipsum vi-  
 Id. *And.* V 5, 8. deo « mea solide gaudentem gaudia » meisque fruentem bonis et 10  
 Cie. *ad Att.* in laeto mei nuntio « fronte oculis manibus », omnibus denique  
 XIV 13 B 1. membris applaudentem. Quidnam igitur mirum si « inediā pau-  
 pertatem invidētiam moderate ferre possis », ut ais, « amici for-  
 Verg. *Ecl.* X 69. tunam ferre non possis »? Quidni? « omnia vincit amor ». Non  
 Cas. 217-19. iniuria itaque Plautinus ille senex « omnibus, ait, rebus ego amo- 15  
 rem credo et nitoribus nitidis antevenire; nec potis quicquam  
*Cog.* 224. cominēmorari quod plus salis plusque leporis hodie habeat ». 20  
 « Hanc ego de me coniecturam, ut idem ait, domi facio magis  
 quam ex auditis », qui postquam cum ex aliis tum tuis ex litteris  
 certior factus sum quanto in honore ac dignitate res tua fortuna-  
 que sit apud illustrissimum principem et ingentis animi virum,  
 non possum non gaudere et mirifice gratulari: non dicam quod  
 pro verissimae caritatis nostrae iure tua mea facta sint omnia,  
 sed quia studiis ferme profugis et bonis ac vere sanctissimis ar-  
 Verg. *Aen.* 1 tibus aliquam « feret haec fama salutem ». 25  
 163.

Saepe ac saepius mecum revolvi has ipsas artes scientiasque  
 liberales cum solos privatos ac tenuis oblectent homines, semper  
 Horat. A. P. 28. « humo serpere » et instar iacti intra sitientis harenas seminis aut  
 nullas fruges edere aut ad primi ortum germinis emori tanquam  
 vivo humore destitutas; quod si laeta arva feracesque sulcos,  
 idest alti ingenii reges nactae sint, dii boni quantae messis spes  
 oritur ut « quamvis avido pareant arva colono » atque « horrea  
 vincant ». Quod si tuus iste Caesar princepsque magnanimus  
*Aen.* proem. 3; gloriae cupidus, quae praeclaris ingenii et excelsis semper animis  
 Verg. *Geo.* II 318. pabulum et alimonia fuit, immortalitati nominis studet, pro qua 35  
 tantas animi, corporis, rerum denique omnium dimicationes subit,  
 non satis habere debet praeclara edidisse facinora resque magni-  
 fice gestas. Evanescunt illae non secus ac flores solis incensi va-  
 poribus et sensim obscurabuntur, nisi vatum ceterorumque scrip-

---

12 quodnam *codd.* | inediā] medium *Vat.* | 15 ille pl - *Ber.* | 20  
 ei *Vat.* | 23 nostre car - iure tua facta mea *Ber.* | 24 ac resonantissi-  
 mus *codd.* | 25 fert *Vat.* | 27 tenues *Vat.* | 28 siticatis *Vat.* | 30 vivo]  
 cymo *Vat.* | 31 teges *Vat.* | 36 denique *om.* *Vat.* | 38 solis *om.* *Vat.*

40 torum ope revirescant et carminum splendore lustrentur: quae una consiliorum rerumque gestarum custodia fidelisque thesaurus est, qui dicta factaque mortalium ab vetustatis morsibus servat illaesa. Deme Homerum Virgilium et scriptores ceteros: Achillem Aeneam Caesares Marcellos Scipiones Fabios omnis ignorabit  
 45 ventura posteritas, cum tamen litterarum ope atque opera ita per omnium ora volitent, ut « nulla dies unquam memori hos eximat aevo ». Verg. Aen. IX.  
44.

Quocirca prudentissimum illustrissimi principis consilium recte probarim, qui honore benivolentia praemiis te sibi devin-  
 50 ciendum esse constituit, Cn. Pompeium Magnum imitatus, qui Theophanem poetam multis honorum generibus affecit, ut eius facta memoriae ac praedicationi consecraret. Quantum enim in-  
 genio valeas et doctrina praecellitas vel tua illa ab usque puero poetici caloris simulacra declarant, in quibus iam tum mira ca-  
 55 noris aptitudo, stili facilitas, excogitatae pro materia sententiae, futurae magitudinis et <h>armoniae pree se ferebant auspi-  
 cium. Quid in virtute solida, rei maiestate, factorum varietate fac-  
 turus es, cum dicturus es:

Per teneros carmen lusi iuveniliter annos.

60 Nunc ducis anguigeri « maior mihi nascitur ordo, Verg. Aen. VII.  
44.  
 Maius opus moyeo »; patris hinc retegenda Iohannis  
 Pectora Caesarei, totum celebranda per orbem.

Videre videor cum musarum afflatus instinctu et Apollinis numine  
 vexatus arma stilus induet et se tollens humo altum condescendet  
 65 aethera, ut ducem ipsum immortalitate dones et post fata viven-  
 tem reddas. Nec minus in eis honestandis te ipsum illustrabis  
 sicut et in Olymp<ic>o Iove Phidiae nomen vivit et in Ale-  
 xandro Apelles ac Lysippus. De his satis superque fortasse. Cic. ad fam. V  
12, 7.

Quantum facturus sim in Iacobo quem mihi commendas, ab  
 70 se malo quam a me docearis. Nihil omittam ut ei in te vel tibi  
 in eo morem geram, vel tuo invitatus exemplo qui tanta in Lu-

40 et om. Vat. | 45 possitas Vat. | 48 principis] patris Vat. | 50  
 C. N. codd. | magnum om. Ber. | 53 valeat Vat. | 54 coloris Vat. | de-  
 derant Vat. | 55 excogitare codd. | 58 cum - es om. Vat. | 61 moneo  
 Vat., maneo Ber. | hic Vat. | 63 nomine vexatus Ber.. nivem uxatus  
 Vat. | 67 Phidice Vat. | 71 tanta om. Vat.

dovicum nepotem meum carissimum et gessisti et congesisti, ut nihil sit quod tibi non debeam; pro quibus quidem meritis gratias ne expectes quidem velim: nam quis ego sum? Ceterum merita meritis accumulato; denuo rem nepotis ut tuam tibi suscipe et incepta perfice: nihil mihi gratius facere potes. Scio dignas tibi vel pro eo grates referre non posse, quod in eius valitudine nihil fidei nihil curae nihil impensarum omisisti; obnoxium eum et me ac meos suosque in perpetuum habe. Vale.

Ferrariae VII kal. septembbris <1430>.

80

Unas ad nepotem meum mitto, ad quem una et ad te alteras scripsi; eas ut in manu habeas facito.

### 590.

(Wilhering LXXVII f. 1; cfr. I. Hümer in *Wiener Studien* IX. 1887, 77).

Celebri ac faculento viro magistro Guarino Veroneo frater Matheus Ronto salutem seraphicam.

Clare Guarine, precibus meis obnixe prelatis, tu cedo ac ede michi, nam noveris ardua, quene rationis innutio, que conditionis auctoritas queve peritie magnitudo iuridicis et legistis assensit, ut interdum asserant dolum esse bonum; unde histec hibus duobus carminibus exeratur assertio meditando: «Est dolus atque bonus, quem quis committit in hostem. Nil refert armis contingat palma dolisve».

Istoc situ tamen istuc sit, ut fedus observetur id hostibus, quod extat a ducibus et a stratilatibus milicie bellice factum, ut

72 meum *om.* *Vat.* | 73 *debeat Vat.* | 74 quibus *Ber.* | 75 *gratias - meritis om.* *Vat.* | 75 *accumulabo codd.* | 80 XII *Ber.* | 81-82 unas ad - facito *om.* *Ber.* | 81 ad quem unam *Vat.*

590, Titolo del codice: Incipit Epistola et latina greca metrica ac prosayca per venerabilem haudnon eximum fratrem Matheum Ronto edita nostris temporibus poetarum dissertissimus (*sic*) ad faculentum virum magistrum Guarinum Veronensem | 3 cedo pro die *cod.* | 10 situ idest modo *cod.* | istue idest istud *cod.*

ff. de pactis vel conventionibus; XXII. q. quarta innocens; « quoniam inimico fidem sub animo tenaci servant fida fides haud est ullis respectibus abnuenda », ut XXIII. q. I noli. Hoc,

Dig. II 14, 3;  
Deer. Grat. p. II,  
c. XXII, q. IV,  
c. 23; c. XXIII,  
q. I, c. 3.

15 censitu meo, sub equa significatione haud valuerunt astruere, cum dolus ex sui nature proprietate « colorem fucatum, fallaciam, machinationemque alios circumventum falsum et pellectum » profecto designat, ut ff. e. t. L. I § 1. Preterea Grai seu Greci, a quibus hoc vocabulum nos extorsimus ipsi nobis, passim et iugiter in modo malum significandi concipiunt. Et istuc psalmista in sui locis compluribus attestatur sic et inquit: ὅς οὐκ ἐδόλωσεν ἐν γλώσσῃ αὐτοῦ. et alibi: ὅς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ καὶ οὐκ ὄμοσεν ἐπὶ δόλῳ τῷ πλησίον αὐτοῦ. et alibi: οὐδέ ἐστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος.

Dig. IV 3, 2.

20 25 Ast ego qui quondam commanipularis extiti et gymnosista. iuridicum cuidam mee epistole prosimetrice sic adieci. Utrum verone oblocutus extiterim nec non et obello mea fuerint modulamina digna cedi, tuo iudicio corrigentur. Et sic inquam:

Quisquis homo vigeat mundo Titane sub alto

30 Vel sit herus populi vel habena vel armiger extet  
Prelia iusta movens, sua perficit esse profecto  
Omnia que poterit nanciscier eius ab hoste.  
Sive dolo capiat seu marte potente rapinas,  
Seu neculas hominum aut strages effecerit ille..

35 Oppida seu dederit flammis et tecta ruinis,  
Damna sui donec reparaverit, optima bella  
Intulit offensus neque crimen habebit agone  
Scilicet ex isto, quoniam sibi strenua parent  
Iura nec esse feram causam lex sanciet istam.

40 Hic etiam bellifaces atque bella comprobare iam videor ex doctrina legali, cum a nonnullis vatibus exprobentur; unde Senecades seu Lucilius ait ille: « Heu miseri qui bella volunt etc ». Item psalmista sic infit: διασκόρπισον ἔθνη τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα: quia ex opere feroci bellorum tam concessorum quam

67, 31.

16 calorem cod. | 17 circ - pellectum idest ad circumveniendum ad fallendum ad pelliciendum cod. | 21 Sopra il testo greco il copista scrisse la pronuncia in lettere latine e la traduzione latina | 22 ἔλαυεν cod. | 27 Ad obello nel cod. segue la figura di uno spiedo.

inconcessorum, hominum et rerum, oppidorum et urbium solent 45  
nulte et nefarie scaturire pernicies et ruine.

Cum igitur dolus tantarum proterviarum ac pervicacitatum sit capax ex sui qualitate benefici, predoce Guarine, qui intimuma prenoveris, effer euge michi qua venia et qua ratione iuridici memorarunt aliquando dolum esse bonum. Dolus distomus 50 surrepit sub hilari vultu et subleso et falerato profamine seque constare amicum fidum utilemque proculdubio simulat, ut quem velit ineantum sibi delitenter irretiat. Linceis ergo obtutibus et prudentia cum cauta, dolus ipse gressu latente surrepens ab homine petito noscatur et extemplo morbus eliminetur, ut hosticus 55 aut sub acrimonia vultus excandescens abrogetur, quoad poterit effici. Si vero impossibile ex quadam fatali serie id pesticum evitari sit facinus, dissimulate manticulandis ab hospitibus hospitetur, ne in deterius impotes irruant.

At veniamus ad bellifffices atque bella. Arbitror enim examus, cordate Guarine, quod mavortius homo, dudum qui sese andromachie et gymnasio diurno bellorum vel suberate aut ultronee dedicavit et dedidit omnesque progressus nequissime vite sue, eodem delectatus in studio perpero, velut exors metus divini prodegit, animam illetalem rationabilemque sibi non inesse 65 coniectet nec id denique sanciat; videlicet hic commilitat atque degit bestiis philosophis olim Dicearco et Aristoxeno consimilis.

<sup>Cic. Tusc. I</sup>  
<sup>30-21.</sup> Dicearci bestii hec est demum conclusiva sententia: scilicet nullam animam corporibus humanis infundi et animam nichil consistere tam in hominibus quam ceteris in animantibus alienis ab homine; nec separabilem neque fore singulariter illetalem, sed corpore corrupto eius animam simul cum eo corrumpi ac evanescere omni essentia dissipatam. Quin censem hominem unum simplicque corpus sic configuratum plasmatum vivificatum esse, ut quadam ex naturali temperie superstet atque vi communi sentiat 75 et virtute rationis intelligat. Aristoxenus autem musicus philosophus ob eius intelligentie difficultatem animam nullam esse commonuit in subiectis. Et ponunt animum pro anima. Ergo si sic constet, quidne aliud de huiusmodi mavortio et marcio homine

<sup>Lactant. Inst.</sup>  
<sup>VII 13.</sup>

---

58 manticulandis (*ex nant - corr.*) idest decipiendis cod. | 66 videlicet:  
si potrebbe leggere anche *verum*.

80 exigitur esse censendum, quam demum eum fieri manium febrorumque futurum consortem, sub deico iusto furore victimandum  
 Ditis Herebo demonis, enndem plexuri ac animaversuri infaustitudinis perennitate miserrime? Set uti hic intimas et internas te-  
 nebras ei cosmica irrogavit ambitio, sic in Averno deterrimo  
 85 eidem ipsa extimas et externas caligines adhibebit. O igitur ele-  
 gam, o amentem, o bestiam creaturam!

At o bonum bellifici, si nundum mundo humana origine  
 patuisset. Si vero marticola instantis evi se maluisset sententiis  
 Platonis inniti, qui animam immortalem hominis esse sancivit in  
 90 suis editionibus astipulate, quamvis Pannetius eius discipulus  
 secum in hac una sententia concinnare renuerit, ac etiam si ille <sup>Cic. Tusc. 179;</sup>  
<sup>138.</sup> Pherecidi philosopho magno Siro necnon et Pitagore discipulo suo  
 scito, qui animos idest animas sempiternas existere censuerunt,  
 alludere decrevisset omnimode, comprobatus annueret et edoce  
 95 sentiret. Haud tamen ob infidelitatem ad eius sospitatem perduellis  
 eo, nam id profecto cepisset. Sed huiusce rei perutilis et honeste  
 quilibet evo moderno agonista certator et miles suberatus ad offi-  
 cientia bella mundo proyagatur incurius, omni generi seviciarum in-  
 fidelitatum inhonestatum atque dolositatum vacando solerter. O  
 100 Marcella pietatis amplexor, o Scipio Africane honestatis exemplar,  
 o fidelitatis incorruptibilis Fabrici, duces quondam eximii romu-  
 leorum exercituum atque legionum, quanta in hoc hemisperio no-  
 stro simul recensendi memorandique perpetis glorie dignitate me-  
 remini. Nullum enim vestrum plagiatorem neque veteratorem nec  
 105 «plagioxippum» aut bicordem Sinonem aut inclementem lanium <sup>Rhet. ad Her.</sup>  
<sup>IV 42.</sup> humane carnis meminimus ex scripturis publicatis offendere con-  
 stitisse.

Quantum clementia et hominis humanitas, cuiuscunque reli-  
 gionis extiterit, ipsi deo gratificetur altissimo, qui clementia totus  
 110 extat, per infinita nobis testimonia patuere. Sed ceteris sub silentio  
 collocatis, quorum foret innumerosa narratio, clementiam quandam  
 et pietatem Symonidis ethnici periti poete hic compendiose ceci-

---

87 *nundum*: il copista aveva cominciato a scrivere *mundum* | humana  
 cod. | 88 *marticola* idest colens martem cod. | 95 *perduellis* eomam: id  
 cod.; ma in verità capisco poco | 99 *ravando*: prima aveva scritto *ra-  
 gando*.

<sup>Val. Max. 17 ext. 3.</sup> nero. Legimus enim Symonidem ipsum transfretando et pontum legendo demum cuidam sinui littoris equorei sospitem appulisse cum legia. Descendens autem cum reliquis de celundria nautis <sup>115</sup> ille in littore cadaver offendit humanum miserrime inhumatum ; quod a pietate perculsus humavit et cum pia diligentia ipsum e vestigio sepelivit. Interim cum solus se circa hanc pietatem exercebat, vocis reboantis oraculo admonitus ille fuit ne cum eadem puppi magis auderet navigare de cetero. Ecce mirabile fatu, ipso <sup>120</sup> admonitis obsecundante ac in littore residente, in eodem die navis ea cum nautis, fluctibus adversantibus et inhorrentibus, infaustissime naufragarunt. Hinc cum ipse ab infortunio liber homo pone <sup>Id. 18 ext. 7.</sup> Scopam discumberet, in disco ei relatum est duos iuvenes forme elegantis penes fores edis ipsius consistere postulando Symoni- <sup>125</sup> dem ; quo descendente ad eum petentes et neutrum comperiente, actutum tota domus ipsa concidit in ruinam et cunctos pernicie convivas infregit. Ast quis cordatus, huiusc rei anceps fieri poterit, quod ob pietatis actum eius, etsi infidelis et ethnicus fuerit, ipse tale charisma suscepit a verissimo ac gratissimo deo no- <sup>130</sup> stro ? Nempe illum, si christicola tunc fuisset, fideli sacroque viro Thobie bustario comparare deflecteret.

Adeo quidem noster piissimus ipse deus laniones humane carnis abhorret, ut per Davidem, excellentissimum vatem rectissimumque milicie sue ducem, renuit fabricari ac construi olim <sup>135</sup> mirabile sui fanum. Item beatus et sacer Ambrosius romuleus et <sup>Migne P. L. 14, 53-58.</sup> ecclesie sacre doctor dum christianissimus Cesar Theodosius eius presulis templum devote subiret, illi monache oviam fecit et sub acrimonia vultus atroci verbo, divina voluntate, e vestigio illum de templo dei expulit, ipsum turpiter excommunicando, quia de <sup>140</sup> Amazonibus magnam atque stragem diram impesti fecisset insultu. Quid de his sacris viris amplius efferam ? cum Hermogé-

---

116 offendit idest invenit cod. | 119 reboantis, *superscr.* resonantis cod. | 121 obsecundante, *superscr.* obediente obtemperante cod. | 132 bustario, cfr. Tob. 1, 21 Tobias sepeliebat corpora eorum | 141 Sopra Amazonibus una mano recente ha scritto : *idest. Maced.* | 142 Hermogénes è accentata sulla penultima alla greca in disaccordo con la quantità ; altre parole accentua il codice, ma io segno solo quelle in disaccordo con la quantità.

nes philosophus, ethnicus religione, iam quotiens hominum necatio fieret iniusta, manuum complose palmis erectis ad celum, solebat  
145 flebiliter exclamare et per modum delationis lamentabilis eructare sic inquiens: O dii celites, sunt enim quidam hic qui vestros homines impie perimunt; vestra precor igitur eos ulciscimini potestate maleficos et severos.

Ast his sub silentio iam seiunctis, compendiosam siquidem  
150 mentionem de anima rationali epilogata et penitus illetali peracturus advenio. Igitur inquio: multis enim et reitteratis lectionibus atque sensu cuntos eos philosophos et sapientes, qui de anima rationali hominis stragulatas et discolores opiniones habuerint, egregie visitavi et pernotavi precipue quid Aristotiles in libro suo  
155 de anima protulit, cuius in primo tractatu omnes opiniones philosophorum et iudicia collocavit et posuit et confutavit emonite et modo commendabili nauci pendidit; hinc suam sententiam omnibus eorum iudiciis prelibavit acutius. Ac ego nostris sacris adhereo coniugate doctoribus alta fide, quis omnium rerum etiam  
160 latentium scientia ac noticia, vera satis, divinitus est collata. cuntas aliis perhibendo fideculam. Concinunt enim sue verissime disertione sententie animam rationalem ex nichilo constare creatam, incorpoream ypostasim et substantiam, totam in toto corpore et totam in parte eiusce stare, per se subsistentem, agentem vo  
165 luntario motu corpus moveri et formam substantialem corpori corruptibili, ratione et intelligentia dotatam; corpore enim autem corrupto ipsam incorruptibilem permanere pereuniter. Corpus autem iuxta qualitates activas et passivas protendit in esse. que elementa sub astrigero celo constant et ex his quatuor ele  
170 mentis, poné Platonis et Platonicorum et Martiani Capellani instrumenta, mundus, magnum animal, constructus existit.

Nec de huiusmodi plura feram, sed epithomaticus et brevi loquus ad primum reverti tenorem. Exoro igitur, luculente Guarine, explode poscenti, cum multa sint tue reserata peritie, alí  
175 quando dolum esse bonum qua ratione iuridici protulerunt, cum dolus ex sui natura fraudem fueatam et faleratam, nullo prefat-

l. c. 2-3.

---

144 complose, *superscr.* manibus coniunete extensis ad deum *cod.* |  
146 inquiens erat *cod.*; ma *erat* pare cancellato. | 159 quis pro quibus *cod.*

torum sapientium refragante, significet. Fiducialiter quidem duxi  
huis epistole dilatare materiam, quoniam novi tuos haustus  
necubi fastidire profamina longa fantis, potissime cum ipsa seria  
et iocunda consistant.

180

Iamque Guarine vale, per secula cunta beandus.

Nulla michi poterit sors ferri gratior orbis

Quam tuus equus amor, veniens ex corde fideli.

<Siena 1430>.

## I.

Occipiens Bellona ferox inferre nefasta  
Bella diu pacis populis fungentibus alme  
Munere, qui nullas ineunt insurgere gentes,  
Denique compotibus fatis infausta valebit;  
Omnibus atque suis votis expulta protervis  
Concidet et rabie rancors se mandet acerba.  
Hic et in astrigera regione perennibus annis  
Hec mea metra sonent quid, recto concipe sensu.

Ominor Italiam potius sic pace sub ista  
Turpiter implicita confundi mendus ut essem,  
Quam fieri sub corde mero; nam signa liquescunt.  
Sed mala civiles patientur cunta crumene,  
Siqua tumet, sors, ere, sinet tenuata tumorem  
Et latus huic lateri macies connectet earum.

Pax dolus ista quidem censeri debet ab omni  
Mente viri sana, quoniam manet oblita, virus  
Intus et exterius strepitus diffundit olaces:  
Ve magis impotibus falsis, pro iure manebit  
Estque dolo commissa fides et fertur ab illo  
Quo velit: instituunt sic fata potentia celi.

Arca sed armigeri multo stipabitur auro  
Ac hilarebit enim, civi de fraude peracta.  
Altipotens et celse deus, cui mundia cosmi

5

10

15

20

---

I, 4 valebit idest peribit *cod.* | 5 expulta idest expulsa *cod.* | 18  
falsis idest deceptis *cod.*

25 Subdita rite manent et cuius velle reguntur  
 Poné situ solido et cui nulla rebellia possunt  
 Sistere, tanta viret tua vis sublimis ubique:  
 Italie miserere tue, que tota ruinis  
 A genitis laniata suis infertur acerbe  
 30 Et pius affer ei fragili per secla salubrem  
 Cunta statum; superadde sibi veramque quietem  
 Hac vice precipue, sub qua componitur anceps  
 Hec sua conditio, sua sors et pendula constat;  
 Dissidias ac ipse suas, que tempore longo  
 35 Marte furunt evantque, simul cum pace sequestra  
 Verifici fati vel cordis amore meracis.

## 591.

(Perug. C 1 f. 17; Borghesi 59 p. 81; Marc. lat. Z. L. 393 f. 1. cfr. Valentinelli *Biblioth. ms. ad S. Marci* VI 280: pubblicata in Baluzius-Mansi *Miscell.* I 485).

Baptista Bivilacqua Veronensis equitum ductor Guarino Veronensi eloquentissimo et sapientissimo viro p. s. d.

Si bene vales bene equidem est, ego itaque quoquè valeo.

Cupienti mihi quicquam dignum te scribere occurrit animo  
 5 bellum hoc Lucanum..... ut tue in me meeque item in te perpetue  
 summeque benivolentie non reminisci non potuisse videar....

Huius autem Lucani belli descriptio si a dignitate dicendi ceterisque ornamenti alienissima iudicabitur, cum a militari castrensique viro non gimnasiis non optimarum arcium studiis instituto  
 10 edita sit, te oro eam ut amice comiter atque benigne tua pro humanitate cum ad te pervenerit suscepturus sis ex eaque quicquid recte censebis tua quamprimum queas ad me altiloquencia rescripturus. Vale litterarum splendor.

Ex castris Lucane urbi adversis IIII kalendas decembrias  
 15 MCCCCXXX.

34 *sequestra* sarà da intendere come verbo.

591, 5-6 summe benivolentie meeque item in te perpetue *Marc.*

Bellum hoc Lucanum militari quadam epistula, ipsius ab initio et illius uti gestum omni ex parte fuerat ab obsignatione tibi superiori tempore descripseram. Postea vero *<cum>*, dum eius ad te mittende delator quereretur, diebus aliquot eam apud me retinuisse, obvenit ut infeliciter et infauste, sed haud scio 20 an ulla imperatoria cum arte, sub civitatis menia omnibus cum hoste viribus dimicatum prelio fuerit. Id autem prelii etsi mihi relatu molestissimum, tibi vero ut arbitror auditu iniocundum admodum erit, tamen quia memoriabile et inter evi nostri gesta nec oblickerandum, sicuti gestum utrinque fuerit me tibi relaturum 25 idque ad te superiori cum epistula simul esse missurum statui....

Mi Guarine: id prelii velut gestum sit si eo non ordine gravitate et ornatu, quibus in describendis eorum vel alterius gestis amicis et propinquis uti gravis et verenda consuevit antiquitas, ad te scripserim, te oro non solum oculos his in legendis et considerandis, sed potius animum mentemque hec, cum vera sint, ad te scribenti, qui tua tibi virtute deditissimus est, adhibeas. Vale iterum litterarum splendor.

## 592.

(Ambros. T 12 sup. f. 64).

Guarinus cl. v. Antonio Panormitae sal. pl. d.

Etsi contentum pro tua modestia fore te censem ut intermissa scribendi opera Ludovicum dulcissimum tibi mittam, qui viva tibi sit epistula, tamen ut eum aliqua ex parte comite me tuos suscipias in amplexus hasce scribere constitui. Rogo 5 autem humanitatem tuam ut omnem operam laborem defatigationenique ita suscipias, ut eum tanta liberum miseria facias: quis enim ignorat litiganti comitem semper esse miseriam? Facies scio invitatus; ei superioris temporis praesidio spem de-

---

~ 21 Quest'assalto a Lucca avvenne in data « IIII nonas decembrias » *<1430>*. | 27 Mi om. Per. | 27 ordine dicendi *Marc.* | 31 versa *Per.* | 32 adhibens *codd.*

592, 7 laborium *cod.* | 9 invitatu et *cod.* | 9 presideo *cod.*

10 disti; uno autem iudicio eum quidem periculo, ceterum multos  
sollicitudine et calamitate solves. Quod vel ea potissimum ra-  
tione facies, quia uberes fructus, hunc praecipue tua pollicetur  
amplitudo, ut afflictis feras opem portumque vexatis. « Plura non  
dicam ne tuae parum fidere videar benignitati », quae vel ignotis  
15 spem consilium auxiliumque polliceri solet. Vale et me ama, mu-  
sarum columen.

*Cic. ad fin. IV  
3, 6.*

Ex Ferraria XV kal. iulias <1431>.

### 593.

(Tioli XXII p. 116; XXXVI f. 34; Padov. Semin. 89 p. 31; Monac. Uni-  
versit. 2º. 607 f. 145; Vindobon. 3380 f. 138; Veron. Capitol. CCLXVI  
f. 128; Marcian. lat. XI 80 f. 162; pubblicata dal Pez *Thesaurus VI.*  
III, p. 161; efr. Verani *Giorn. de' letter.* XX pag. 288, il cui cod.  
di S. Maria del Popolo è tutt' uno col cod. Tioli XXXVI).

Guarinus Veronensis illustri principi Leonello Estensi sal.  
pl. d.

Petrus Andreas Bassus, vir strenuus ac liberalis in primis,  
hodie ab tua remeans magnificentia pl. sal. verbis tuis mihi nun-  
5 tiavit. Quo quidem nuntio non solum laetor sed etiam gloriatur.  
gandeo nanque me abs te diligi, quem amo colo et pro mea in  
te fide veneror; nihil enim dulcius et iocundius in vita experior,  
quam cum mihi pares in amore vices repensantur et ex animo  
respondetur. Id autem cum per se amoenum expetendumque sit,  
10 tum vero excellens honoratum atque magnificum mihi contingit:  
quid <enim> malim quam integerrimo viro, sapienti homini, il-  
lustri marchioni, idest Leonello, placuisse? qui non modo ab  
excelso principe sed etiam principibus natus, te quoque illorum  
virtutis imitatione et gloria principem dignum ostendis. Quae res  
15 sic meam parvitatem sublimem tollit et nominis perpetuitate de-  
corat, ut apud posteros sub tui nominis splendore mea nonnulli

11 ratione] non ne *cod.* | 14 benignitateque *cod.*

593, 14 virtute *cod.*

lucere possit obsecuritas; vidi sordidas valles limosasque paludes cum radio solis incaluerint pulcherrimos flores educere et quasi sui oblitas ornatam faciem induere.

Ut autem et tuorum me studiorum participem faceres, scrupu-  
lum tibi quendam inter legendum <*idem*> obstissee significavit.  
Nam cum clarissimos viros legis ut intelligas, intelligis ut laudes,  
laudas ut imiteris, dubitasse te refert quid sibi velit « Alexander  
Justin. XIII 2. Roxanes »; cui dubitationi ut paucis respondeam aures adhibe.

Ex Barzine Artabazi regis filia Alexander filium procreavit, quem 25  
quidam Herculem, nonnulli a patre vocabant Alexandrum, sicut  
et ipsius Alexandri fratrem, cum ceteri Ariadeum nuncuparent,  
ex patris appellatione Philippum quoque vocabant. Ex persica  
quoque Roxane, quae Alexandri fuerat uxor, quam praegnan-  
tem moriens Alexander reliquerat, filius natus est, quem in pa- 30  
tris defuncti memoriam Alexandrum dixerunt. Deidamia igitur  
Pyrrhi soror prioribus annis Alexandro desponsata fuerat et ne  
ambiguum fieret quinam hic fuerat Alexander adiecit « Ro-  
« xanes », ne Barzines filius crederetur. Habes, ut arbitror vir  
illustris, quid significat « Alexandro Roxanes »: « filio » subin- 35  
tellige. Siquid erit quod lectionem obscureut, <sup>708.</sup> praesens aperiā;  
tu modo pro tuo in me iure impera, ipse sequar quocunque vo-  
caveris « nec me labor ipse grayabit ». Vale mi rex.

Verg. Aen. II  
708.

Ex Ferraria VII kal. septembres MCCCCXXXI.

## 594.

(Corsin. 33 E 27 f. 55; Laur. Ashburnh. 278 f. 13v; Monac. lat. 504 f. 178; Vindobon. 3330 f. 171v; Monac. Universit. 2o. 607 f. 181v : 4o. 768 f. 180v; Treveri 1879 f. 43; Arundel 70 f. 115).

Guarinus Veronensis suo Nicolao Nicoli sal. pl. d.

Nuper ut meministi, cum ex Verona in patriam post caeli  
melioris auras remeares, longum cum aliis de rebus tum vero de  
illustri viro Leonello Estensi sermonem consumpsimus, cui tam

---

18 *rel* incaluerunt *codd.* | 21 *rel* obtigisse *codd.* | 33 *rel* fuerit *codd.*

5 excellens et ad cuncta idoneum praestatur ingenium pari coniunctum industria, ut nihil conetur quod non diligenter apte et cum laude perficiat. Hoc tempore litteris impertit operam, et recte profecto, ne ex omnibus ornamentiis hoc unum illi deesse videatur; secum enim reputavit divitias potestates et imperia quam incerta sint et ea-  
 10 duca, nec tam in nostra quam in aliena voluntate posita et arbitrio, doctrinam vero et bonas artes, pretiosam ad virtutes et sa-  
 pientiam supellectilem, propriam hominis esse possessionem, unde et a veteribus humanitatem rite nuncupari. Quis dubitat ex doc-  
 trina calcar et faces comparari, quibus ad humilia contemnenda  
 15 mortales inardescant et ad ardua petenda stimulentur? Aucupia venationes piscationes et reliquas voluptates Leonellus noster intelligit non omnium locorum, non temporum, non aetatum esse:  
 « haec studia, ut inquit M. Tullius, adulescentiam agunt, senectu-  
 tem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac sola-  
 20 tium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobissem, peregrinantur rusticantur ». Indignum etiam censet ut cum populorum princeps futurus sit, eis tantum fortuna vel alieno beneficio praeesse dicatur, nisi et sua id excellentia ac dignitate meruisse iudicetur; id autem cum praecipua litterarum ope con-  
 25 sequi posse crediderit, et omne disciplinarum genus probat et historiarum studia in primis amplectitur, quarum amplissima laus est et utilitas. Qua una fieri potest quod ab Leonardo Iustiniano, homine patricio et viro doctissimo, dictum est, ut mortales iuve-  
 nilibus annis multarum aetatum senes effici queant; « ea, ut ab  
 30 Cicerone scribitur, testis est temporum, lux veritatis, vita me-  
 moriae, magistra vitae, nuntia vetustatis ».

Ad huius de qua loquor historiae cognitionem quantum con-  
 ducat regionum montium fluviorum oppidorum et pelagi situs non  
 ignoras ipse, Nicolae carissime, qui praeter reliquam eruditionem  
 35 tam familiares provincias lacus fluvios colles et totum denique terrarum orbem habes, ut non minus quam eorum incolae dux et monstrator esse possis. Ad te igitur velut dulce musarum rece-

p. Arch. 16.

de orat. II 36.

594. 5 vel industriae codd. | 21 etiam] vel esse codd. (an enim?) | 13 vel doctrinis codd. | 27 una: pensava a *historia*, dimenticando che aveva scritto *historiarum*.

ptaculum et studiorum alumnum confugio, ut mihi ad hunc virum expoliendum sis adiutor; fac tuo consilio auxilio et diligentia geographiam habere possit, ut mihi coram explicasti, ipsam inquam 40 per tabulas distinctam, quarum, ut ita dicam, peregrinatione orbis ipse terrarum ante oculos poni queat et rerum gestarum utilitati, quas studiose lectitat, maria terrasque designet. Hoc ipsi Leonello gratum et iocundum ita futurum est, ut proinde te vehementer amaturus sit, ut studiorum eius socium et comitem; me 45 vero mirandum in modum obligatum habebis. Pecuniam ipsani ut iusseris ad te volare faciam. Vale vir litteratissime et studiorum alumne.

Ex Ferraria III nonas septembbris <1431>.

### 595.

(Canon. miscell. 484 f. 45<sup>v</sup>; Berl. lat. 8.<sup>o</sup> 148 f. 12<sup>v</sup>; 2.<sup>o</sup> 667 f. 125).

Guarinus Veronensis suo Paulo Sarzanensi sal.

Accede huc. Paule carissime; continere me non possum,  
Ter. Hea. IV  
3, 15. quin « tibi caput demulceam »; videris nanque mihi resurgere,  
 adeo de te ipso diutius ignarus laborabam. O igitur bene factum  
 quando te incolumem cum dignitate ac laude vigentem audio. 5  
 Sic fac, Paule carissime, gratiam refer litteris, ut quando illae  
 te ornant, tu illas invicem ornes. Quod crebram de me recor-  
 dationem cum benivolentia teneas, laudo magis quam mirer;  
 soles nanque et mediocriter notos amare, nedum me, qui te  
 diuturniore amicitia complector et tecum in litterarum militia 10  
 obversatus sum. Nec mihi opus est testibus in re minime dubia,  
 quanquam gratissima fuit et Pizamani viri patricii et Bracchi  
 minime canini commemoratio, quos singulari complector amore.  
 Quid de Bracchi nostri convictu loquar, cum quo longas noctes

38 rel studiosorum codd. | vel alumnum codd. (an studiosorum colu-  
 men?) | 41 utilitati: a maggior utilità? non è frase precisa.

595, 3 rel mihi nanque codd. | 4 igitur] vel quam codd. | 6 rel te  
 ille codd. | 8 miror Can. | 10 vel amplector codd.

15 insomnes ducere solebam et sobria socratico de more celebrare <sup>Plin. Epist. III  
12.</sup> convivia? Tu vale et salvere iube Pizamanum et Bracchum; quod si frequentiores voles a me litteras, calamos quosdam ad me mittes, quibus ad te exarem. Vale iterum.

Ex Ferraria V idus septembris <1431?>.

### 595 A.

(Bergam. A II 32 f. 107).

Guarinus V<eronensis> venerabili in Christo Paulo sal. pl. d.

Cum nuper hac iter habuisti Ravennam petiturus, pater optime, diem illum festum egi, quo mutuos amplexus sermonis suavitate condivimus. Fuit autem non modo praesentis temporis amoenitas <iocunda>, sed etiam futurae reversionis spes et expectatio iocundior, ut quod festinatum iter voluptatis auferebat, tranquillior reditus instauraret. Gaudebam igitur scripta mea quasi quosdam tuae reversionis obsides penes te esse, quibus certior de tuo reditu factus longius sermocinationibus tempus nactus essem et tam 10 diurni silentii iacturam vivo sermone reficerem. Evenit autem praeter opinionem quod hamo piscantibus solet, qui in violentiorem quempiam pisces iacta esca, filum escam hamumque simul admitunt et praeda privantur et luero. Tu nanque vel invisibilis abiens vel per alium oblatum tuae paternitati cursum sic tuos ad lares 15 gressum retulisti, ut expectato quidem frustratus aspectu et iocunda confabulatione manserim. Nec interim libelli tuis crediti manibus nostras repetere dignantur, ne dicam obliviscuntur, aedicas. Quin peior animum tenet suspicio; vereor nanque ne, cum sanctum vitae tuae otium tranquillas securasque monasterii 20 cellulas et conversantes cum deo psalmodias et caelestem in terris consuetudinem tuam gustarint, fugitivi fiant et priorem revisere dedignati dominum, natali solo mihiique vale dicentes, reineare nolint; cumque saeculi strepitus domesticosque et infructuosos

---

15 socratia (socracia) coll. | 19 ex fer. V id. sept. Ber. 667, om.  
rell.

fortasse labores memoria repetierint, malint tibi servire quam  
mecum imperare praeponantque vel tantillam cum <paupertate> 25  
pacem fabasque semicerudas huic importuno negotio etiam inter  
Quintil. I 2. 7. opipares dapes « alexandrinasque delicias ». Tuum ad monaste-  
rium velut ad tranquillitatis perfugium portumque beatum ut sese  
recipient et saeculi turbas statumque fluctuantem devitent <et>  
domicilium nostrum abhorreant reformido. Sciunt enim mundi 30  
procellas : « Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum, Vi-  
cinae inter se ruptis iam legibus urbes Arma ferunt, saevit toto  
Verg. Geo. I 8-11. Mars impius orbe », ut poeta praeclarissimus inquit. Quocirca  
tanta dulcedine vitae tacti reddituri non videntur, nisi invitatos ex-  
trudas vinctosque et alicuius domestici fidei commendatos trans- 35  
miseris : quod ut facias te etiam atque etiam oro. Communem pro  
me dominum preceris et depreceris rogo. Vale.

<Ferrara 1431 c.>

## 596.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 15<sup>v</sup>).

Guarinus suo dulcissimo Flavio s.

Si vales valeo.

Quanta me voluptate per tuarum intermissionem litterarum  
privaveris, ex hisce intelligo, quas nuper ad me dedisti ; ex illis  
nanque tanta sum amoenitate delibutus, ut prae gaudio non fue- 5  
rim apud me. Nunc te, Flavi carissime, videre complecti audire  
videor, cui propter longius silentium varia timebam, quae amor  
ipse, timoris socius et sollicitus periculorum excogitator, mihi  
ante oculos proponebat. Totus gaudeo, totus exulto et eo magis  
quod bonam prae te rerum tuarum spem ferre visus es, quan- 10  
quam vel tacente te id facile coniectare vel verius vaticinari li-  
cuerat. Vatem autem de te faciebant « non volucrum cantus, non  
Verg. Aen. III 361. praepetis omnia pennae », sed fides, sed prudentia, sed rerum ma-

---

595 A, 36 rogo oro cod. (ma rogo fu cancellato).

596, 18 propetis omnia cod.

gnarum experientia, integritas diligentia consilium, quibus rebus  
15 de te ipso totiens periculum fecisti, ut quotiens de te recordatio  
subit, totiens in virtutis sacrarium subeat. Quid mirum? ad vir-  
tutem natus educatus et cognitus ita es, ut reliqua omnia caduca,  
incommoda, illaudata ducas. Sola vero virtus immortalis est pos-  
sessio, sola ipsa dux est ad beate recteque vivendum, ad laudem  
20 ad decus ad dignitatem ad gloriam, immo et ad immortalitatem,  
ut quantum corpori aetas detrahatur, tantum virtutis studium ad  
perpetuitatem adiciat. Sed quid ago? pene sum oblitus mei, dum  
tuae virtuti gratulandi cupiditate incendor; praestat mecum lae-  
tari tacite, quam haec in faciem praedicare: proinde continebo  
25 me. Vale.

<Ferrara 1431 c.>

### 597.

(Lucca 341 f. 53v; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 202).

Guarinus Veronensis illustri Leonardo Iustiniano sal.

Non potuit laetior ad me nuntius afferri quam allatus est  
hodie de tuo isto magistratu et amplissima dignitate, cui pares  
vices reddis, quia quantum laudis decoris famae ea tibi praestat,  
5 tantum <et> eo amplius reddis. Hoc facit tua sapientia aequi-  
tas, animi magnitudo et in primis severitate temperata mansue-  
tudo. Quibus in rebus tibi pro mea in te fide et caritate gratulor,  
nec minus meo de tua virtute iudicio; semper enim censui eam  
quam nunc intelligo te gloriam assecuturum, ut primum tibi locus  
10 et tuarum virtutum palaestra data esset, ubi decertandum foret.  
Alii alios ex magistratibus fructus odorentur et habeant, tu ve-  
ro \*\*\*\*\*. Ut autem et ipse aliquem ex tua magnificentia fruc-  
tum capiam, pro meo iure petere non formidabo. Est mihi amicus  
dilectissimus fidus ac prudentia praeditus, Constantinus Iosephus  
15 istic Utini dudum habitans: eum tuae amplitudini commendo et

---

17 congenitus?

quidem \*\*\*\*. Cum multa tibi debeam, accedet hic quasi cumulus  
meorum in te debitorum.

Cic. ad fam.  
XIV 1, 4.

Bernardum suavissimum salvere opto, quem quotidianie inter  
manus gesto; nam <*πρὸς Νικοκλέα*> Leonello illustri viro per-  
curro, in quo tantopere ea me delectat interpretatio suavis et or- 20  
nata « ut nihil supra ». Ita faciat Bernardus hortor, ut musarum  
alumnus esse velit et inter doctos numerari patricios: sicut enim  
haec aliena, sic illa proprietate laus erit. Vale.

Ex Ferraria nonis martii 1431 (= 1432).

## 598.

(Vatic. 3372 f. 2.<sup>v</sup> di mano del Panormita).

Guarinus Veronensis d. viris Antonio Panhormitae et Ca-  
toni sal.

Pompon. ap.  
Non. 118, 14.

Cum statuisse aliquid ad vos scribere saltem quod amorem  
nostrum per silentium sopiri non sineret aut sopitum excitaret,  
tacita subi*<i>t*

dubitatio utriquene simul an separatim scribe- 5  
rem. Vicit tandem ut utrique pariter, ne quos indisiunctus unit  
amor, mea disiungat epistula, et eo amplius quod in conferendis  
in meos beneficiis unanimes et, ut comicus diceret, « germanitus »  
conspirasse videmini. Scribit enim ad me Caecilia amita, proba  
sane femina et mater familias optima, quantis oppressa molestiis 10  
et vexata sit fluctibus, cum interim vestros in sinus velut in  
tranquillum portum confugiens non modo quietem, verum etiam  
salutem comparet. Qua in re et beneficentia vestra *<vobis>* ut  
gratias agam adduci non possum; primum quidem ne tantis offi-  
ciis vestris et immortalibus operis inani sermone satisfacere velle 15  
videar, deinde quia pro *<mu>*tuo amore nostro et vetusta  
benivolentia eo necessitudinis pervenimus, ut hoc sublatum iudicem  
officium vestraque virtus florensque fortuna nihil maius nihil op-

---

598, 6 unit] V. int cod. | 8 comicus ex amicus corr. cod. | gerionite  
cod. | 17] necessitudine cod. | indicem cod. | 18 vestra quoque cod. | op-  
tantius cod.

tatius profiteatur, quam ut possitis prodesse quam plurimis et,  
 20 ut monet tragoedus, « hoc reges habeant magnificum et ingens,  
 nulla quod rapiet dies, prodesse miseris, supplices fido lare pro-  
 tegere ». Proinde vos hortor atque oro ut *<in>* iuvandis Cae-  
 ciliae rebus ne defatigemini; quin pergit ut coepistis ut, cum  
 ex adversariis et improbis dissolvatis, eam vobis obligetis: quid  
 25 eam dixi? me, nostros, Ludovicum filium « et natos natorum et  
 qui nascentur ab illis » perpetuo vobis devinctos vestro beneficio  
 meritisque reddatis.

Sen. Med. 222-  
25.

Ferrariae kal. aprilis *<1432>*.

### 599.

(Est. IV F 24 f. 190; Ambros.-Trotti 373 f. 46v fino alla parola *Camenas*  
 37; pubblicata dal Borsetti *Histor. Ferrar. Gymnas.* I 34).

Guarinus Veronensis Veronae patriae suae sal.\*

Salve cara parens, omni memorabilis aevo,  
 Cara parens, magni numinis instar habens.  
 Quas tibi quas dicam, mater suavissima grates,  
 Quae tibi pro tali munere dona feram?  
 5 Nanque per insuetas tua venit epistula valles.  
 Haud nostrum dubitans sponte subire larem,  
 Cum sacros fontis collisque relinquat apricos,  
 Ridentis agros, florida prata, lacus.  
 Ad natale solum precibus me accersis amicis  
 10 Et placido revocans me petis alma sinu,  
 Quosque diu reditus avido sub pectore verso  
 Invitas ultro: sic iubet altus amor.  
 Defuit hoc largis quos tradis honoribus unum,  
 Hic mihi ceu summae laudis acervus adest.

22 ut in nauclis cod. | 23 cum ex] cum cum cod. | 24 eam] cum cod. | 25 nostros] miro cod.

599, \* Guarinus ad Veronenses sub patrie nomine eum revocantes  
*Ambr.*, Cl. v. Guarinus- sal. *Est.* | 1 venerabilis *Est.* | 4 Verg. *Ecl.* V  
 81 | 7 fontes *Est.* | 8 ridentes *Est.* | 9 arcessis *Ambr.*

Nil mihi quod civi decorando cedat omittis, Amplificas titulis sedula reque iuvas. Quocirca nihil est tam durum immane feroxque, Quod pro te atque tuis laudibus effugiam. Edictum sequor et maternis audio iussis Inque sinus solitos laetior advenio.  Unum oro, spatium et redeundi tempora sume Commoda, sic rebus consule et ipsa meis. Nonne vides? terra et pelagus coniurat in arma, Caeruleos bello Mars ciet ecce deos.  Cessit honos agri, vomer conflatur in ensem Squalidaque abductus arva colonus avet. Pacis amans musa tranquillas expetit urbes Et quae facta canit bella, futura fugit.  Ut strepuere tubae iuvenes Helicona recusant, Non locus aut cura est artibus ac studiis. Dum furit interea terris atque aequore Mavors Hic velut in portu latus agam requiem. Nec tibi me retraho, at meliora in tempora servo Meque tuis trado laudibus et decori.  Ast ubi depositis mater florebis ab armis, Mitis et exuta casside Pallas erit, Ipse tibi tenues necum revocabo Camenas, Undique si quid erit noster Apollo canet. Desine iam putridas lymphas ranamque loquacem Obicere aut civis quas emit assis aquas. Est hic magnanimus princeps, clarissimus heros, Marchio munificus iustitiaque nitor, Qui me praecipuo amplecti dignatur amore Et vitae auxilium et commoda multa ferens. Est patris similis stirps tanto digna parente, Patris ab exemplo me Leonellus amans,	15 20  25  30  35  40  45
--	--

---

16 resque meas *Est.* | 17 dirum *Est., Bors.* | 21 summe *Ambr.*,  
sinas *Bors.* | 23 terram et *Bors.*, *terrae ac Ambr.* | concurrere in *arma*  
*Bors.* | 25 Verg. *Aen.* VII 635 | 26 abductis *Est., Bors.* | 27 musaque  
pacis amans *Bors.* | 34 ac *Bors.* | 37 Fin qui il codice *Ambr.* | 45 patri  
*Bors.*

Estensis decus hic gentis cultorque bonorum,  
 Cui Musae dulces atque Minerva favet;  
 Moribus in quorum placidis vultuque sereno  
 50 Et liquidi fontes et philomela sedet.  
 Fertilis hinc gremio decurrit copia pleno,  
 Cum Iunone venit Liber et alma Ceres.  
 Te tamen, urbs veneranda, bonis praeponere tantis  
 Audeo, tu vitae spes requiesque meae.  
 55 Hos annos animosque tibi corpusque dicavi  
 Atque Guarinus ero tempus in omne tuus.

<Ferrara maggio 1432>.

## 600.

(Vatic. 3372 f. 3 di mano del Panormita).

Guarinus vati praeclaro Antonio Panhormitae sal. pl. d.

Sicuti novo quodam beneficiorum genere in dies me ac meos  
 cumulas, Panhormita carissime, ita et nova quaedam agendarum  
 tibi gratiarum forma suscipienda erat; quod cum facere instituo,  
 5 « in mediis conatibus aeger succidere » me sentio vel propter  
 ingenii mei debilitatem vel, quod magis arbitror, tuorum propter  
 beneficiorum magnitudinem, quibus nullam accommodare possum  
 orationis amplitudinem. Nihil amplius nihil commodius nihil de-  
 nique mihi honorificentius afferre poteras, quam quod in Caecilia  
 10 amita, femina sane primaria, mihi contulisti. quam tanta laetitia  
 cumulasti et gravi molestia liberasti: pro quibus quidem tuis in  
 me ac meos ineritis totum nie tibi dedo; tu me ipso pro sen-  
 tentia utitor.

Quod de laurea, quam tibi nuper honorifice tributam ab An-

Verg. Aen. XII  
910.

---

48 favent *Bors.* | 50 philomena *cod.* | sedent *Bors* | 52 *Iunone*:  
 la dea della ricchezza; cfr. Fulgent. *Mitol. II 1 de Iunone*.

600, 6 arbitrator *cod.* | 14 laura *cod.*

toniastro tuo accepi. alias quid sentiam senties, modo quicquam 15  
sim nactus otii; haec interim, laetae mentis argumenta, cape:

Gratulor, Antoni, viva dignissime lauro.

Quod tibi caesariem phoebea fulgere fronde,  
Caesarea reddente manu, canit undique fama.

Plusne sibi Caesar decoris re vindicet ista 20

An tibi, nunc dubito; qua quantum longior aevi  
Musa Panhormitae vati dabit inclita, tantam  
Fama in magnanimo diffundet Caesare laudem.  
Salve, musarum vox et decor optime rerum.

Lamola noster vir doctus atque optimus vivit et quidem lae- 25  
tissimus tuae dignitatis certior factus. Ludovicus, qui tuus erat  
antea, nunc tuissimus factus sese tibi commendat. Totum me tuo  
Antoniastro exhibui: nihil fuit in quo mea uti voluerit opera.  
Vale decus meum.

<Ferrara maggio 1432>.

30

## 601.

(Vatic. 3371 f. 72<sup>v</sup> autografa. pubblicata in Ant. Beccatelli *Epist.* 1553  
f. 78: 1746 *Gall.* IV 8).

Antonius Panhormita Guarino v. cl. sal.

Igitur expecto a te latiores illas quibus mecum verbosius,  
utque et amicum decet, gratulaturus es..... Ludovicus tuus fortis  
ac liber est; mecum est, hodie enim se recepit ex Volpedo: me- 5  
cum lectitat et poetatur; suavis humanus comis est et vere Guarini 5  
Iuvenal. XI 152. nepos. Ibit ad te propediem; « suspirat longo non visam tempore  
matrem », a quo reliqua coram accipies. Vale meum desiderium  
et Giliolo isti magno et illustri viro me iterum atque iterum gra-  
tum ac deditum facito. Vale.

<Pavia maggio 1432>.

10

15 accipi cod. | 16 meritis cod.

601, 4 Valpedo *Vatic.* Volpedo è un paese in provincia d'Alessandria.

## 602.

(Borghesi 59 p. 102; pubblicata in *Baluzius-Mansi Miscell.* I 489).

Baptista Bivilacqua Veronensis equitum ductor eloquentissimo  
viro Guarino Veronensi p. s. d.

Si vales bene quidem, ego quoque valeo..

Lucanum bellum et prelum, quod adversum prope Lucane  
5 civitatis muros gessimus, superiori tempore tibi descripseram id-  
que egregie virtutis viro Girardino Fulginensi, tui amicissimo,  
ut ad te illud mitteret aut eius ipse delator esset tradidi.... Nunc  
autem satis non admirari nequeo, cum id nec tibi redditum fuis-  
se haud ambigam, cum abs te huiusc rei responsionis quicquam  
10 toto in tempore nec susceperim.... Reliquum est, cum Braccii  
ossa..... Romano solo..... aliquandiu humata stetissent, idque Ni-  
colaus nepos, ipsius avunculi imitatione Braccius alter, molestissime  
ferens.... ipsa inde submovit et in patriam <retulit>,... et ut....  
insigne sepulcrum conderent summo nisu conatus est. Preterea  
15 hec cum acta sunt.... restat <ut> epigramma quoddam, quo  
clarissima eius gesta referantur, sepulcro sculptum sit; huiusc  
autem imponende sarcine onus tametsi viros eruditissimos et  
eloquentissimos hec nostra obtineat Italia, cui precipue quam  
ad te tribuendum sit haud recte scio. Igitur cum hanc animi  
20 mei summam clarissimo duci meo.... patefecerim, ipsi quidem  
duci placuit ut ad te scriberem teque orarem versus quosdam....  
sepulcro incidendos ut conderes. Quam quidem ob rem per ami-  
citiam nostram, que perpetuo inter nos mansura est, te oro ut  
huic non solum mee precationi, verum etiam ducis mei tam pre-  
25 stantissimi petitioni obsequentissimus sis.... Si te rescripturum  
quid ad me statueris....., Girardino, qui ad me, quo adero, posthac  
id curabit esse mittendum, transmittito....

Ex castris inter Porcinam Radicofanumque V idus iunii 1432.

## 602 A.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 65<sup>v</sup>; Class. 284 f. 152<sup>v</sup>; Est. IV F 24 f. 160<sup>v</sup>).

Guarini Veronensis carmen epitaphium in Bracchii funere.

Cuius marmoreo conduntur membra sepulcro,  
Quod struis, o Nicolae nepos Perusinaque tellus,  
Bracchius aeternis peragravit laudibus orbem.  
Quantus threicias lustrat Mars efferus oras,  
Tantus hic ausonias bello celebravit et armis.  
Militiam prisca virtute instruxit et arte:  
Dux sapiens, miles fortis, victorque benignus,  
Hosti terribilis, victo spes, tutor amicis.

5

## 603.

(Veron. Capit. CCLXVI f. 130; Marc. lat. XI 80 f. 162; Vicenza G 7. 26 f. 82; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 13; Corsin. 33 E 27 f. 52<sup>v</sup>; Padov. Semin. 89 p. 33; Monac. lat. 504 f. 176<sup>v</sup>; Vindobon. 3330 f. 138<sup>v</sup>; Arundel 70 f. 114<sup>v</sup>; Jena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 97<sup>v</sup>; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 146; 4.<sup>o</sup> 768 f. 179<sup>v</sup>; Treveri 1879 f. 41; pubblicata dal Pez *Thesaurus VI, III 162 e in parte da me Storia e critica di testi latini* 335, cfr. Quirini *Diatriba* 375; Arch. Ven. VII 179).

Guarinus Veronensis illustri principi Leonello Estensi sal.  
pl. d.

Solent ii qui de aliqua re bene gesta laetos afferunt nuntios egregio quodam munere donari quod sit grati animi testimonium et laetitiae monumentum; quam consuetudinem cum magis ac magis approbem, quid tuae amplitudini, vir illustris, pro tam laeto nuntio donare possim et par aliquid referre tua dignum excellentia cogito et attentius tecum verso, et eo magis quod non pro re caduca aut ulla hostium strage, sed pro re perpetua et studiorum nostrorum ornamento tam amabilem tam optatum tam iocundissimum nuntium attulisti. Non aurea vasa non vestem stragulam non pretiosam supellectilem dignam satis esse censeo quam protuis istis meritis ad te mittam, tum quia eo rerum genere tu quidem abundas ego autem ipse careo, tum quia peritura pro immortalibus referre non satis convenire puto. Tuae itaque magni-

10

15

ficientiae immensas gratias habeo et proinde tuae illustri personae totum me trado et sic trado ut me pro tuo utaris arbitratu. Maiores tibi grates in dies dicent studiosi homines et cunctus litteratorum ordo, nam omnes intelligunt Plautum facetissimum  
 20 poetam virumque doctissimum quasi quoddam venerabile vetustatis exemplar tua opera et interventu ex tenebris ad lucem, ex antris ad gymnasia, ex morte ad vitam revocatum esse. Quanquam nullus est tam imperitus rerum aestimator qui tam vivax ingenium et inextinctae virum famae mori potuisse dicat; ii  
 25 enim qui studia coluerunt, virtutibus invigilarunt, gloriae comparandae incubuerunt, suos alienos, praesentes posteros erudierunt. licet moribunda membra deposuerint, non tamen ut arbores ut bruta perire potuerunt, sed eam vitam vivunt ac vivent, quae nulla obscuritate deleri aut vetustate possit extingui.

30 Sed ne longior sim, finis esto. Vale feliciter, flos principum.

• Ferrariae XV kal. sextiles <1432>.

## 604.

(Ambros. T 23 f. 39; Guarner. 247 p. 446; Class. 121 f. 113; Angelico Q 1. 14 f. 166; Novar. Capitol. 122 f. 162v; Lucca 1436 f. 73; Basilea F V 27 f. 137v; Ferrar. 151 NA 5 f. 23v).

Guarini Veronensis gratulatio ad illustr. principem marchionem Nicolaum Estensem pro revocatis ab eo in gratiam inimicis.

Tuis ex rebus praeclarum aliquod facinus, illustr. marchio princepsque magnanime, collaudare et scriptis meis qualiacunque  
 5 sint posteritati commendare crebro conatus sum. Sic enim pro mea in te fide et tuis perpetuis in me beneficiis quaedam animi grati signa protulisse. Verum enim vero vel ingenii mei parvitas vel ipsius rei magnitudo conantem saepe deterruit, ne mea potius detegeretur imbecillitas quam tuae virtuti lumen accenderem;  
 10 nam ut auctor est Crispus « eorum qui fecere virtus tanta haberi solet quantum res ipsas extollere potuerunt praeclara ingenia ». Hodie autem die tam admirabile tam singulari sapientia et

*Cat. 8, 4.*

---

603, 31 XV kal. febr. Vic., XX kl. sextil. Ber.

humanitate refertum vereque principe dignum factum edidisti,  
ut silere nullo pacto possim aut debeam.....

Nullum vel mediocris curae hominem pro rei novitate latere 15  
arbitror duos natione Hispanos, genere opibus potentia sua in  
gente primarios cum ceteris ex causis odia usque ad necem in-  
ter se conflassent, ad mutuum vitae ac sanguinis certamen quod  
monomachiam appellant, pro nationis transalpinae more atque iac-  
tantia sese devocasse..... Quaeritur pugnae locus et campus.... 20  
Quam ob rem diversas ad nationes regesque dimissi legati nus-  
quam postulata impetrarunt... Ceterorum deinde spe destituti cum  
animo et cogitatione cuncta lustrassent, tu in primis unus occur-  
risti cuius fidei atque tutelae corpora honorem et, si ita fortuna  
permitteret, salutem commendarent. Tuae siquidem amplitudinis 25  
gloria non minus Hispanias et Gallias quam nostram hanc per-  
vagatur Italiam..... Earum rerum fama perducti hi de quibus  
loquor Hispani cum liberum abs te disceptandi et infestis hastis  
concurrendi stadium impetrassent, tantus amicos et tui studiosos  
moeror cepit, ut instar prodigii tuum immitatum censeremus 30  
ingenium... Regiam tuam olim et maiorum tuorum benignitatis ho-  
spitium, nunc infamem carnificinam factum iri; ante religiosum  
templum et sub ipsis ferme beati Georgii oculos impias quasi  
victimas necandos esse homines..... Qua in re velut « postea in-  
gens exitus docuit » non de illorum dimicatione sed de concor- 35  
dia.... praevideras... Illos igitur tua gravissima oratione et vocis  
auctoritate quasi aliud ageres perduxisti et iusiurandi vineulis  
alligasti, ut suum te arbitrum haberent atque iudicem....

Verg. Aen. V  
22.

Constitutus igitur idibus octobris pugnae dies, circumscriptum  
omni ex parte spectaculum, stratus harena campus, extructum 40  
tuae maiestati solium et iudicio tuo sublime tribunal. Qui undi-  
que spectatum convenerant, non ex urbe modo Ferrariae sed etiam  
ex finitimis ipsa novitate accitis populis, converterant oculos,  
stupebant universi « ingentes genitos diversis partibus orbis in-  
ter se coisse viros et cernere ferro ».... Tu vero, clementissime 45  
marchio, praeter omnium expectationem iubens depositis armis  
ad te alium in locum aliud in tempus venire athletas certamen

Verg. Aen. XII  
708.

dissolvisti. Dato deinde colloquiis tempore et loco, nunc benivola castigatione nunc sermonis dulcedine represso impetu sic homines 50 demulsisti, ut primum quidem et ipsa commonefacentis maiestate et divina quadam humanitate moti lacrimas ubertim effuderunt, paucis post diebus tua sapientia per icti in pristinam gratiam et amorem compositis contentionibus et pacatis rediere animis....

In primisque Leonellus adulescens paeclarissimus et reliqui 55 illustres filii ad imitationem hoc veluti domestico speculo sese instituant.... His atque aliis virtutibus tuis cum immortale nomen et sempiternam gloriam non solum tibi et nobilissimae Estensi familiae, quae tum hic tum in finitimiis circiter sexcentesimo regnat anno, sed toti etiam Italiae comparaveris, pro mea in tuam 60 maiestatem pietate et observantia gratulor....

<Ferrara ottobre 1432>.

## 605.

(Guarner. 247 p. 471).

Johannes Spegnimbergensis Guarino Veronensi sal. pl. d.

Non puto inter nos exordiri necessarium esse, vir clarissime, cum longe facilius pro nostra necessitudine quam ulla reliqua arte benvolentiam inter nos comparari posse intelligam; quare 5 familiarius tecum agere deinceps institui. Scripsi iam ante ad te, vir prestantissime, quantum ego tua ope et ingenio indigerem; quod cum nihil rescriptsisses, putavi potius quod ad te mee non perferrentur quam me in hoc desiderio meo negligeres. Sunt enim nonnulli qui me iandiu non tam adhortentur quam pene urgeant 10 ut octo illas Plauti Comedias legerem, quibus publice exponendis tu apud nostros primus et cum laude autor extitisti. Quare si recolectiones aliquae dum tu legeres apud aliquem tuorum auditorum aut alia ulla apud te adiumenta essent, peto pro ea mutua inter nos necessitudine et benvolentia mecum communices... 15 Preterea si apud te aliquid in Epistolas Ciceronis aut in libros de Tusculanis questionibus esset presidii. te etiam atque etiam

---

605, 8 perfererentur cod.

rogo mecum impertiari.... Vale et me ut facis ama. Ludovicum nostrum meis verbis salvere iube et exhorteris aliquando ad me scribere.

Ex Cividato V kal. ianuarias <1430-1431>.

20

## 606.

(Guarner. 140 f. 127; pubblicata da me *Guarino, V. e gli archetipi di Celso e Plauto* 50 e *S. in e critica di testi latini* 335).

Guarinus Veronensis Iohanni Spilimbergensi sal.

Habeo quod tibi nuntiatum pergratum futurum puto pro tuo in musas amore. Nuper allatae mihi sunt nonnullae Plauti comediae in codice pervetusto, quarum nomina tibi mitto; ad eam exemplar quasdam emendo, reliquias autem quarum copiam nullam habebamus exscribi facio. Tu contra si quid habes quod invicem nunties in re litteraria quasi ad antidoron fac me participem. Vale et Bartholomaeam uxorem modestissimam salvere a me iube eamque tibi caram facio.

Ex Ferraria XI kal. octobres <1432>.

10

Eruditissimo viro magistro Iohanni de Spelimberg affini meo dilectissimo. Cividati.

## 607.

(Guarner. 96 f. 125v ; 140 f. 116v ).

Guarinus Veronensis suo dilectissimo Iohanni sal. pl. d.

Etsi mihi persuaserim atque adeo certum habuerim me abs te diligi plurimum, tamen vel suavissimarum testimonio litterarum ad me tuarum « clarius, ut aiunt, sole » facis in dies; quod effectum est tua, quam de me induisti, opinione et quidem magna. Eam diminuturus ipse non sum, quin aucturus magis, ut

---

606, 4 *nomina*: erano scritti su una scheda volante, che s'è perduta.  
| 7 *antidoret cod.*

sic tuam quoque magnam in me benvolentiam augeam, quod quidem ad decus et laudem meam pertinet non mediocrem: ab eo scilicet diligi qui et ingenio et doctrina et virtute resplendeat.

10 Tu quoque ne me in amando credas aut ingratum aut amori tuo parum respondentem, re ipsa perficiam, si qua se obtulerit occasio qua tuo vel honori vel commodis inserviendum sit. Nam cum nostra necessitudo et affinitas eo me perduxerit ut qualiscunque fuisses diligendus esses, cum bonarum artium et prudentiae tibi 15 lumen accesserit, te non solum diligo sed et amo « et toto, ut sic dicam, pectore complector »; tuum est sic mecum de amore certare, ut non solum iocunditati sed etiam honori simus invicem.

Curemus in primis immo contendamus omni cura studio et opera ut Constantino viro primario atque optimo voluptati simus 20 et ornamento, ut eius iam grandiuscula aetas et ingravescentes anni in nostra benvolentia dilectione et observantia conquiescant; hominem colamus et omni ratione tranquillum animo hilaremque reddamus. Ego ut de <me ips> o loquar Tadeam eius neptem vel eum potius in Tadea amo, honore prosequor et quantum pertinet caritate concilio; tu quoque ut Constantinum, immo ut omnes affines in Bartholomaea colas et observes moneo et suadeo; existimes honoris partes quas in eam pro dignitate conferes, in patrem in necessariis in me praecipue collatum iri. Quid quod perpetuam tibi tranquillitatem pacemque domesticam studiis tuis 30 <at>que artibus bonis necessariam paries?

Haec ad te familiarius, ut intelligas tuam mihi curae esse dignitatem; alioquin tacitus eram, nisi coniunctio caritasque iussisset. Vale carissime Iohannes et Bartholomaeam ab sua Tadea salvere iubeto et a me item.

35 Ex Ferraria XII kalendas iunii <1430-1432>.

De Laurentia proba adulescentula dicerem, nisi in iudicando de sponso tuus a me certior factus esset Oculus.

Optimo ac eruditissimo viro magistro  
Iohanni Spilimbergensi amico dilecto.  
Cividati.

40

---

607, 21 vel vestra codd. | 23 deo (vel de eo) codd. | 25 contineo codd. | 33 duxisset codd.

## 608.

(Guarner. 140 f. 129).

Guarinus Veronensis suo amantissimo Iohanni sal. pl. d.

Proxime litteras accepi ab insigni Constantino, quae cum multis de causis gratae atque acceptissimae mihi fuerint, accessit ad laetitiam quod te cum sorore mea modestissima Bartholomaea 5 ac filio incolumem esse didici. Quod cum per se iocundum sit, tamen mihi eam incolumitatem accidere sentio, quia et in te et in vobis recte valeo; facit enim amicitiae ius communia nostra esse omnia. Tu quoque sic facito ut mea tua sint, ut et meis gaudeas secundis rebus, meos ames, meos honores, quando id et 10 amicitiae iure debes. Cures etiam oro ut Constantinum omni ratione gaudio afficias, qui, cum iam in senium vergat aetas, una reviviscere via potest, si filiorum et affinium studio atque opera perpetua iocunditate fruatur et in nobis tanquam in aliquo amoennissimo diversorio conquiescat. Quod facile facere poterimus si 15 quibus rebus is studeat et delectetur, iisdem studere et delectari voluerimus; nam, ut in proverbio est, et canem heri ipsius gratia colimus. Vale mi Iohannes et suavissimam sororem meam Bartholomaeam ab sua Tadea salvam esse iube eamque ut ames et pro sua suorumque dignitate colas oro. Vale iterum.

20 Ferrariae XIIII kalendas septembris &lt;1430-1432&gt;.

Egregio et eruditissimo viro magistro  
Iohanni Spilimbergensi affini dilecto. Ci-  
vidati.

---

608, 6 accedere cod. | 22 Prima aveva scritto *Ulini*; poi cancellò e scrisse *Cividati*.

## 609.

(Guarner. 140 f. 119v).

Guarinus suo Iohanni amantissimo sal.

Suppudet interdum cum in reddendis litterarum responsis videor aut lentus aut negligens; quod mihi in te quoque obvenit, qui acceptis abs te dudum litteris nil rescripsi. Ceterum patiere 5 vel ea ratione quod in scribendo lentus sum, in amando alacer atque strenuus, te potissimum, ad cuins caritatem atque benivolentiam cum virtus tua et humanitas trahit, *<rum>* confirmat affinitatis nodus. Nec vero sponte mea lentescere putas, quem accelerantem negotia sexcenta interrumpunt.

10 Quod mihi Iohannem Laudensem commendas, libens accipio; et ipse currentem adhortaris; quem enim ultro diligebam, eum quia tuum esse hominem intelligo, iam amo et totis amplectore animi viribus; nullo igitur loco suo commodo, honori defuturus sum, modo occasionem nactus sim, ut suis rebus serviam. Cu-  
15 piebam et Constantino viro insigni scribere vel potius rescribere, bis suis invitatus epistulis. Destiti, cum aliquid scribere factum optarem, sed res longius it; nam debitor eius in Sancta Agatha castello Bononiensi se continet, cuius praesidio excubat, ut vix citari possit ad iudicium. Abfuit etiam procurator, quibusdam di-  
20 stentus negotiis; non desisto, modo queam. Vale; valemus et nos; Tadea nostra convalescit, quia sibi pedem distorserat et quidem graviter et asperis cum doloribus.

Ex Ferraria XIII kalendas februarii *<dopo il 1433>*.

25 Eruditissimo viro magistro Iohanni Spilimbergensi affini dilecto. Utini apud Constantimum de Iosepis.

---

609, 14 sum cod. | 16 aliquod cod.

## 610.

(Guarner. 96 f. 126<sup>v</sup>; 140 f. 118; pubblicata in parte da me *Storia e critica di testi latini* 338).

Guarinus amantissimo Iohanni sal.

Cum iocundus et gratus esset per se Michaelis adventus viri nobilis et humani, eum longe gratiorem reddiderunt tuae suaves et benivolae litterae, quarum germanas alteras paucis ante diebus acceperam. Sumus autem omnes pulchelli filoli tibi nati « gau-  
dio delibuti », quem et nobis procreatum credimus; nihil enim prohibet qui procreatione tuus est, caritate quoque nostrum esse. Si enim res amicorum communes sunt, quid amici ipsi vivat itaque felix ac bonus, ut parentem artibus ac virtute referat. De hoc satis.

Ad Plautum venio, ad cuius lectionem nullum mihi adin-  
mentum adest, deum testor et angelos sanctos eius, nisi quan-  
tum quotidiana lectio sparsim suggerit; quod si adesset, volitaret  
in manus tuas facerem e vestigio: adeo gratum esset tuae mo-  
rem voluntati gerere, pro mea in te singulari dilectione et affi-  
nitate et communis patris respectu. Nonnulla tamen reperiuntur  
vocabula ex eo excerpta, quae penes virum suavem et amicum  
utriusque Iohannem Laudensem sunt.

Quibus autem artibus aut optimae vitae institutione declinare  
invidiam de qua scribis possis, non video, quippe cui bene facta 20  
fomes et incrementum sunt. Unum te consoletur ceterosque viros  
primarios, quod, ut inquit Isocrates et dicendi et vivendi magi-  
ster optimus, « invidiae hoc solum boni adest, quod ipsos torquet  
habentes ». Vale mi dulcissime Iohannes et qui mihi affinitate  
carus es, studiis ingenio et modestia carissimum esse exploratum 25  
habe. Tadea suam dilectissimam Bartholomaeam absens absentem  
amplectitur et egregia pietate colit.

Ex Ferraria VIII kal. septembres <dopo il 1433>.

Salutem plurimam dic verbis meis Iohanni nostro eumque  
30 tibi ex corde commendo.

Modestissimo ac eruditissimo viro ma-  
gistro Iohanni Spilimbergensi fratri meo  
dilectissimo. Utini.

### 611.

(Capilup. XXX; Padov. Museo civ. C. M. 422 f. 127<sup>v</sup>; Vatic. 3194 f. 83;  
pubblicata da me *Nozze Vecchietti-Arduini*, Catania 1895).

Marrasii Siculi poema de ortu obitu et vita larvarum pro  
Sucino Bentio suo ad illustrissimum principem Nicolaum mar-  
chiōnem Estensem etc.

Larvati dicunt, princeps animose, salutem,  
Marchio, quos genuit desidiosa Venus.  
Nos uno partu, nulli coniuncta marito,  
Parturiit ceca lucida nocte parens.  
Et nobis geminas facies oculosque quaternos  
Confinxit, celeri composuitque manu.  
Hinc Lachesis timuit cuicunque revolvere fila  
Per geminos fusos per geminasque colos.  
Fata deam flentem sunt et miserata timentem  
Et statuere uno funera nostra die.  
Tandem nostra parens divos et fata rogavit  
Nec potuit lacrimis fata movere suis;  
Sed sibi deflenti nos concessere renasci  
Postque mori, annalis confiendo iocos.  
15 « Vita brevis, sit leta tamen; sat mensibus unis »,  
Dixere, « ut Lachesis stamina pauca neat.

Larva oculis oculos comedat digitosque nitentis  
 Cum digitis, crescat semper edendo fames.  
 Protea Vertumnumque patrem Dryopenque sequantur;  
 Censores habeant undique mille senes. 20  
 Et dicant quecunque velint impune loquentes,  
 Sive iocosa velint, sive pudenda velint.  
 Bacchus avus; celebrent sua dulcia templa nepotes  
 Larvati; epotent munera lauta patris ».  
 Cum spatium vite breve sit, Venus ipsa medetur 25  
 Huic morbo cantu saltibus atque lyra.  
 Et nos edocuit citharam sua verba sequentem  
 Artificesque pedes organa docta sequi.  
 Et iussit nos tela pati, quecunque Cupido  
 Coniceret; nobis dux fuit ipse datus. 30  
 Nos monet hoc versu noctuque dieque canendo;  
 Aspera non illi vox neque rauca manet.  
 « Si vixit paucos, multos si vixerat annos,  
 Saxeus ille fuit, qui sine amore fuit.  
 Nil Iove maius erat, nil et Iove maius habetur: 35  
 Cepit amare puer, nec sine amore senex ».  
 Sed quoniam nobis est vita brevissima, ludos  
 Ipse velis, festos et celebrare dies.  
 Marchio concelebra, heroum clarissime princeps,  
 Qui leta efficient funera nostra, iocos. 40  
 Formose pulchreque petant tua tecta puelle,  
 Est quibus aurata et candida vestis honos;  
 Et cuncte Veneres, tua quas Ferraria nutrit  
 Et si qua auratis vestibus una decor,  
 Ut digitis digitos possint coniungere nostris, 45  
 Ad citharam ut possit queque movere pedes.  
 Hec si precipias, ex Gaio fonte Camenas  
 Traducam ad clari brachia longa Padi.  
 Maiorum laudes titulos et gesta tuorum  
 Illustremque domum et te, Leonelle, canam. 50

---

17 *vel* nitentes *codd.* | 19 *vel* neptunnumque *codd.* | 24 *vel* et petent  
*codd.* | 30 *vel* ille *codd.* | 40 *vel* quis *codd.*

55

Dii tibi dent quecunque velis, quecunque rogabis ;  
 Asper qui fuerat, sit tibi mitis Amor.  
 Dii te perpetuent, cuncta et per secula letum  
 Reddant, nec subeat vita beata necem.  
 Unum oro, nostros iocundo lumine versus  
 Perlege ; Sicanios incipe amare viros.

Ferrariae kal. febr. <1433>.

## 612.

(Capilup. XXX ; Padov. Mus. civ. C. M. 422 f. 128<sup>v</sup> ; Vatic. 3194 f. 84  
 Parig. nouv. acq. lat. 623 p. 123 ; pubblicata da me ib.).

Illustrissimus princeps Nicolaus marchio Estensis ad doctissimos viros Sucinum Bentium et Marrasium Siculum.

5

Vos laetis oculis, laetis complector et ulnis,  
 Laetitiae nati laetitiaeque patres.  
 Vos pax dulcis alit placidusque per otia risus,  
 Vox iocus et ludus, vos comitatur amor.  
 Talis nostra deos Ferraria fertilis optat,  
 Cum lascivus ager urbsque canora salit.  
 Non ego vos claros obscura nocte creatos  
 Crediderim ; melior iactat origo suos.  
 Nam vates celeber tragicci decus ordinis olim  
 Aeschylus in scaenam multa notanda tulit,  
 Inter quae larvam mimos pulchrosque cothurnos :  
 Sic locupletat eam versibus atque habitu.  
 Hinc personatae primum sonuere Camenae ;  
 Nutriit ast larvas insidiosa Venus.  
 Palpat amans loquitur tractatque licentius artem,  
 Dum larva, ut clipeo, retia opera iacit.

10

15

56 *vel* Sicanos *codd.* La data è del solo Capil.

612, 16 *larva operta* : coperta dalla maschera.

Nec minus antiquus larvam tibicen habebat,  
 Cum festos coluit maxima Roma dies.  
 Larva oritur ceu myrrha, croci, rosa, lilia, odorae  
 Ceu violae ; cessant tempore quaeque suo. 20  
 Pectoribus tacitis generosi vivit amantis,  
 Pascitur haec venis, cordibus ipsa viget.  
 Ergo patres nacti tales, his moribus alti  
 Ad nos ne pudeat ferre gradum proprius.  
 Inprimis magno veniens Ugone parente, 25  
 Quem Phoebus lustrat quemque Minerva colit,  
 Insignis Succine, veni, comitante poeta  
 Marrasio ; Musis regia nostra sonet.  
 Ocius hic adsint ornatae faxo puellae,  
 Narcyssi plures cumque Helenis Parides. 30  
 Cantibus et cithara saltus agitate decoros,  
 Ut satyri cunctos exhilarate choros,  
 Virgo senex vir nupta, ioco invitante procaci.  
 Huius laetitiae quo meminisse queant,  
 Intentus cunctos citat ecce Cupidinis arcus ; 35  
 Si fugiant, laesus vulnera acerba dabit.  
 Is nanque imperium terris exercet et undis  
 Inque deos omnes ; sola Minerva vacat.  
 Huius signa subit quisquis victoria miles,  
 Membra senex fiet, ast animo iuvenis. 40  
 Dum sinit ipsa dies, dum vestra decentius aetas,  
 Carpite iocundo gaudia plena sinu.  
 Aspice ut celeres serpent ad tempora cani,  
 Quis modo caesaries flava nimis fuerat.  
 Aspera mox veniet dapibus regina severis, 45  
 Quae luxum frangat, corpora tota domet,  
 Urgeat edicto sensus frenare petulcos,  
 Ferre sitim et duram viscera nostra famem ;  
 Post cantus lacrimis sanctos audire prophetas  
 Et nudo ad templa saepius ire pede 50  
 Atque oculis castis alienam cernere nuptam,

---

22 vel illa codd. | 28 vel sonat codd. | 35 arcus : nominativo singolare | 41 vel ista codd. | 45 regina : la quaresima | 46 vel lusum codd.

55

Stringere labra simul nullaque vana loqui.  
 Dum datur ergo animis manifesta licentia vestris.  
 Lascivum moveant ora pedes oculi.  
 Dulcior interea gnatus pia cura parentis  
 Sit Leonellus ovans saltibus atque ioco,  
 Promptior ut Musas ac Pallada deinde revisat:  
 Intermissus enim fit labor ipse levis.

Ex officina Guarini Veronensis pro illustrissimo principe Niccolao marchione etc. explicit.

<Ferrara febbraio 1433>.

### 613.

(Capilup. XXX; Laur. 34. 53 f. 55; Parig. nouv. acq. lat. 623 p. 127; pubblicata in *Carmina ill. poetar. ital.*, Flor. 1720, VI 261, e da me ib.).

Marrasii Siculi responsio ad Guarinum Veronensem virum litteratissimum.

5

Postquam tu nostris respondes, dive, tabellis,  
 Postquam complacuit nostra Camena tibi,  
 Gloria Marrasio dabitur non parva Sicano  
 Atque futurus honos non mihi parvus erit.  
 Omnia que veteres nostri scripsere Latini  
 Carmine, prosa etiam, cuncta, Guarine, sapis;  
 Non minus et Graias inter doctissimus artis,  
 Sive velis prosa, carmine sive velis.  
 Adde quod historias scripsit quas doctior Argis  
 Plutarchus transfers et meliora doces.  
 Non ego descripsi quam prima theatra colebant  
 Larvam, sed quam nunc regia queque tenet.  
 Si primos ortus primeva ab origine vellem  
 Scribere, principium tum mihi Thespis erat.

10

57 vel Protinus et musas codd.

613, 4 vel parcus codd. | 7 vel artes codd,

Post Thespin palla cum mimis atque cothurno Eschylus ad nostri tecta secundus erat. Tunc me oblectarent dicentem hec omnia ; sed nunc Fece nihil calamos ora peruncta iuvant. Idecirco mimos scenam grandemque cothurnum Preterii : non hos fabula nostra colit.	15
A me tibicen, populus spectator et omnis Tibia preterita est preteriteque tube. Sed ne cui dubio foret haec mea larva legenti, Persone alterius tempora et arma canis, Que, veluti flores quando cecidere, moritur ;	20
Larvatus moritur, quom sua larva cadit. Nil moritur, cessare suo si tempore dicam Nonque mori : cessat ceu rosa quisquis homo. Quam mihi misisti larvam, sine matre novercam	25
Ipsa habet et plures est sibi naeta patres ; Quam tibi, nullus inest genitor, sed candida mater Mitior atque illi nulla noverca fuit.	30
Ipse meam tuque ipse tuam iungamus utrasque Coniugioque adsint Bacchus et ipsa Venus. Ex his ambabus nascetur filius unus,	35
Monstrum, quod vultus continet ante retro. Hec iocor, hec habui festis aptanda diebus, Officii ingratus ne ferar ipse tui.	40
Maxima carminibus referatur gratia, nanque Perpetuo vivent carmina nostra tuis.	

Marrasii Siculi de ortu obitu et vita larvarum poema felicititer explicit. Valeas qui legeris.

<Ferrara febbraio 1433>.

25 Que scil. mea larva | moritur: per l'accento cfr. il *Catholicon*:  
"MORIOR moreris vel moriris moritur secundum tertiam et quartam declinationem n. | 26 rel. cum codd.

## 614.

(Ambros. T 12 sup. f. 63; Palat. 1592 f. 57; Trivulz. 643 p. 161; Marc. lat. XIV 221 f. 101; Stuttgart Poet. et Philol. 4.<sup>o</sup> 29 f. 98; Jena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 86; pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino II* 171-172).

Guarinus Veronensis Antonio Panormitae poetae cl. sal. pl. d.

Litteras tuas ad Ferrarium nostrum non minori aviditate quam voluptate legi; nam cum mihi iocundissima sit salus tua pro amicitiae nostrae iure, non parum necessaria erat tuarum litterarum testificatio quasi Herculis sagittae ad hydram novam tollentem hoc tempore capita. Nam « ut tu sis sciens », hisce diebus emersit Veronae quidam Calaber vel ut alii tradunt Siculus, qui ocreatus et calcaribus armatus cum de repente pleno foro comparuissest, civitatis praetorem adiit frequentissimo mortalium cōventu et omnis generis corona stipatum. Orto mox ad repentinum hominis adventum silentio magnificam hic de quo loquor homo incohavit orationem distinctam, ut ferunt, et versibus tuis et multorum huius aetatis doctorum virorum scriptis. Stupebant omnes orantem ex tempore audientes, cum oratio nihil extemporarium saperet sed sese supra mediocre dicendi genus sermo extolleret. Quid plura? Orpheum dices aut Amphionem « saxa mouere sono testudinis ». Perorata demum praetoria cantilena, summa exceptus observantia et honorifice appellatus, nomen et patriam rogatus: « Antonius Panormita nomen est mihi, dixit; natale mihi solum est Sicilia. Caesaris manu laurea nuper insignitus poeticam profiteor; opus arduum preinde aggressus, res magnifice gestas illustrissimi Dueis Mediolani posteritati commendabo, quarum bonam iam partem carmine absolvī, ne pro summis ipsius principis meritis ingratus videar, ab quo salario capio et fortunarum mearum domicilium Papiae teneo ». His auditis, quid tibi iunctas dextris dextras, quid circumligatos complexibus humeros referam, quid convivia quid hospitiorum apparatus? Nam

*Ter. And. IV  
36.*

*Horat. A. P.  
395.*

614, 12 et] ex *Triv.* | 19 Antonio Panormitte *Triv.* | 24 *rel. a (e)*  
*codd.*

cum Panormitanum nomen musae per hanc nostram Italiam longe lateque disseminent, facile fuit ignoratum hominem sub noti nominis splendore lucescere.

30

Datis statim ad me non unis sed ternis quaternis litteris, illius bestiae faciem indolem moresque pingentibus, ut de illo quid sentirem certiorem facerem civitatem, vulpem ipsam quasi larvatum in tua latentem persona hominem cooperam aperire atque detegere, quod factu perfacile fuisset, nisi cum eo res mihi 35 fuisset, qui singulari polleret impudentia. Est nanque statura citra mediocrem, colore creteo, oculis obversis quasi configere paratis invicem, tibiis crassitudine imparibus, ut altera praegnans altera effeta videatur, pannoso habitu, cumque corpore macilento sit, sola lacernarum sorde pinguescit ut qui magis cocum redo-

leat et potorem quam poetam, nisi forte eius sententiae sit, ut

« nanciscatur nomen pretiumque poetae si tribus Anticyris caput

*Horat. A. P.  
299-301.*

insanabile nunquam tonsori Licino commiserit ». Mirum est quantum in refellendo vafer sit; nuper inquit strabonem me magus fecit. Cumque testes dare litteras et privilegia poeticae dignitatis 45 ostentare cogeretur, oppignerata ab eo esse dixit magna urgente necessitate impulso, quam exponere non esset opus. Ex quadam quoque copia argumentorum sese Panormitam esse asseverat et praestat, cum complures ipsius ad Guarinum et Guarini ad eum epistulas extare nullus ignorat. Nullum amplius concupivi spec-

taculum quam ut Plautini Amphitryonis Sosiam Mercuriumque spectarem; non tam verbo quam nervo versipellem hunc Panor-

mitam, ritu Marsyae pelle detracta, nudum cernerem. Nec velim

tam imperitam rerum civitatem meam censeas ut prae ingeniorum

tarditate fucum ab sycophanta factum non intellexerit; eo autem

*Plaut. Aul. 630; Mil. 110.*

vafriorem « praestigiatorem » dixeris, quo et acutis hominibus

« os ipsum subleverit ». Idem in agro Piceno saepius propitia

fraude commentatus, nondum suo malo impudentiae datis poenis,

---

28 nostram hanc *Triv.* | 31 itaque statim *Triv.* | 34 vel in tuam latentem personam *codd.* | 35 vel fuit (erat) *codd.* | 36 pollere (pollet) *codd.* | 40 vel lacrimarum *codd.* | coquum *Triv.* | 44 vel magnus *codd.* | 48 quoque om. *Triv.* | argum - copia *Triv.* | 49 vel perstat *codd.* | vel cum plures (complures) *codd.* | 51 vel Plautine (- num) *codd.* | 52 vel nervo ut (nemo et) *codd.* | 57 subleveit (subliverit, sublaverit) *codd.*

qui compositis mendaciis consutisque dolis pervagatur carnifex et  
60 audaciae columen.

Has ob res cum tuae adventassent in tempore litterae, statim  
quasi letale monstro telum illas emisi, quibus visis eius lingua  
mutescat, ut « frigidus in pratis cantando rumpitur anguis ».  
Sunt qui ei facere decreverunt quod agro factitant agricolae, unde  
65 fit multo terra secundior; is enim clunibus eius debetur honos.  
Habes quidem quod rideas vel irrideas vel stomachere potius.

Verg. Ecl. VIII  
71.

Vale et ab Lamola nostro. Vir cl. Aurispa hoc triduo Concilium  
petit. Commenda me viris insignibus Catoni, Mapheo, Cremonae.  
Ferufino.

70 Ex Ferraria XIII kal. iunias <1433>.

### 615.

(Archivio del Comune di Verona, Registrum novum litterarum duealium  
f. 55; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 205).

Sapientissimi viri et cives spectatissimi.

Proximis diebus per amicorum litteras factus sum certior de  
consilio vestro super regressu meo in patriam facto cum honorificis de me verbis et salario praeter solitum adaueto: quae res  
5 cum ad laudem meam et dignitatem maximam pertineant, non  
modo me sed etiam filios meos obligastis in perpetuum, quos ad  
honorem et obsequium vestrum instruere et educare contendeo.  
Ubi cum de agendis humanitati vestrae gratiis cogito, nulla verba  
nullam orationem invenire possum, quae vestrorum meritorum ma-  
10 gitudini convenire possit, quin omnis sermo <vestris> in me  
beneficiis et antiquis et novellis inferior esse videtur. Verum  
cum de redeundo consilium capio et ab illustri Principe licen-  
tiam quaero, nulla ratione ab eo licentiam impetrare possum; nam  
cum illustrem filium suum in bonis artibus et virtutis studiis

62 in monstrum *Marc.* | *vel ei (est) codd.* | 65 clunibus]-clarus (*vel*  
*larvis*) *codd.* | 68-70 Commenda - iunias *Triv.*, *Stutt.*, *Vatic.* (ianuar. *Vatic.*),  
*om. rell.*

615, 1 Copia litere Guarini misse duodecim deputatis et senatui  
Verone *cod.*

anhelantem et iam per doctrinam pleno incidentem gradu videat, 15  
non solum pro sua dominationis auctoritate imperat sed etiam  
pro singulari sua in me caritate orat ut incohata filii studia non  
deseram, cui contradicere non licet pro suis amplissimis in me  
beneficiis et quottidianis meritis. Sunt etiam quidam hinc cives  
qui me increpant quod cum salarium hic habeam ducatorum tre- 20  
centorum et quinquaginta, ego in patriam pro ducentis remeare  
curem: quibus ipse respondeo patriae meae caritatem omni the-  
sauro cariorem ac pretiosiorem mihi esse. Quocirca spectatissimi  
viri nullum de remeando modum aut viam invenire hoc tempore  
valeo; vos autem tolerantius ferre debebitis, potissimum cum ad 25  
civitatis nostrae laudem pertinere videatur ut in hunc magnani-  
mum principem gratus et sim et appaream. Utilitati quoque ci-  
vium nostrorum mea hic sit permansio, quibus in eorum negotiis  
apud hunc benignissimum marchionem saepissime prosum et in  
dies inservire conor ac studeo; nam nihil magis mihi necessarium 30  
esse arbitror quam vires meas, si quae sunt, labores ac studia  
patriae impendere, cuius laudi decori et dignitati vitam ac spi-  
ritum effundere debeo. Valete viri humanissimi et me vobis com-  
mendatum habete.

Ferrariae ultimo iunii <1433>.

35

Per civem vestrum Guarinum Veronensem.

Nobilibus et sapientissimis viris XII deputatis ad Communis utilia et senatui Veronensi majoribus honorandis Veronae.

616.

(Est. IV F 24 f. 191: pubblicata dal Borsetti *Historia Ferrar. gymn.* I 32).

Verona civitas suo Guarino Veronensi s.

Altera iam messis iamque altera volvitur aestas,  
Bissenas vidi Phoebus eundo feras,  
Ex quo grata lares accessit epistola nostros  
Coimpilata tua, care Guarine, manu.

616, 3 accessat cod.

5        Grata quidem nobis, sed gratior usque fuisset,  
       Si domino veniat te comitata suo.  
 Quod si contingat, mihi non Iovis alta superni  
       Sceptra aut Iunonis contigerint thalami.  
 Sic postquam adventum vidi te, dñe, negare,  
 10      Nulla fui penitus et sine mente steti ....  
 Quid perstas? venere sacrae iam tempora pacis.  
       Sunt hilares omnes, sola misella gemo.  
 Miles et exacto remeat mavorte penates,  
       Gorgoneum posuit splendida Pallas onus.  
 15      Undique iam rediere duces, sunt tempora quae tu  
       Optasti dudum: nate decore, veni ....  
 Ne timeas sontes, volui sed dicere sentes,  
       Falce iacent vepres, est via pulchra, nitens ....  
 Nanque, fatebor enim, non certet Hetruria mecum  
 20      Progenie aut claris Attica terra viris.  
 Verum aliqui duduim miseram liquere parentem:  
       Nomine gavisa est Roma, Catulle, tuo.  
 Haec Plinios nobis praedata est improba claros:  
       Ferraria an rapiet teque, Guarine, mihi?  
 25      Quae solita est ranas duntaxat habere loquaces,  
       Gutio quam coluit barbarus et docuit ....  
 Haeret in hesternae iocunda parte Camenae,  
       Nate, tuae, ut te adamet Marchio munificus:  
       « Patris ab exemplo simul et Leonellus amator »  
 30      Nempe tui, ut perhibent, commoda multa ferunt.  
 Quod fateor; sed non venerabilis ubera matris  
       Vagitusve tener munera tot superant?  
 Te in primis genui, nutriti et sedula semper  
       Quae potui, nosti, commoda multa tuli.  
 35      Misi te ad Graios, inde ut tu doctior ires,  
       Meque inde ornares: haec tua, nate, fides? ....

7 supremi Bors. | 8 contigerent cod., -rant Bors. | 11 venire Bors.  
 | 15 reduces Bors. | 17 volvi Bors. | 18 virens Bors. | 23 Plinios] plures  
 Bors. | 24 capiet cod. | 27 hesternae: s'intende dell' anno precedente  
 | 29 Cfr. 599, 46 | 32 vagitusque Bors. | 36 etiam Bors.

Quod ni te moveat nostra haec sententia nec te  
 Cara parens nec te patria terra movet,  
 Ah saltem nobis inquam da quatuor annos,  
 Mutua des, habuit quos ea terra diu ....

40

<Verona giugno 1433>.

### 617.

(Palat. 492 f. 201<sup>v</sup>; Treveri 1879 f. 109).

Guarinus Veronensis carissimo Ottobello de Ottobellis sal.  
 pl. d.

Quantum me diligas si cui dubium foret, tuae testantur litterae plenae suavitatis et benivolentiae: quod cum iam diu divinarim tuorum auspicio morum inductus, mihi ipsi gratulor quod 5 tuum ita probe animum callere visus sim, ut meum de te ipso iudicium miuime falsum fuerit. Id autem nequaquam mirandum est, cum suavitas dulcedo et humanitas ex ipsa natura et parentis optimi praeceptis et consuetudine tibi instillata sit. Quae cum ita sint, ferreus profecto sim nisi te amem totoque complec- 10 tar animo, praesertim cum nihil tam facile videatur quam amori respondere, tuo ad id invitatum exemplo. Quod autem mea scripta libens legas et in eis te oblectes, gaudeo et glorior; quid enim malum quam mea illis probari, qui cum me carum habeant, carissimum habere incipient et augeant suum in dies amore? Quod 15 vero nescio quas mea opera populus veronensis gratias mihi habere debet, utinam quidem factum a me esset ut populi mei et civitatis magnificentissimae voluntati ita satisfactum esset, cui semper placere studui, ut tua vera esset oratio. Ceterum cum ego tanta omnis generis beneficia et honores susceperim, pro 20 suis in me meritis omnia et supra vires debeo, pro qua si vitam

37 Quid cod., Bors. | 40 des scil. reddas; quos scil. annos.

617, 4 divinaverim Trev. | 13 gaudio et glorior Palat.; glorior et gaudeo Trev. | 16 quam Pal., quod Trer. | opera mea Trev. | 19 ita placere codd.

expendero, vix summo in eam desiderio satisfecero; sed quia haec ipsa re magis quam verbis apparere debent, finem faciam. Tu me habe tuoque pro iure utior.

25 Sal. pl. d<icito> a me viris praestantissimis et mihi amicissimis Thomae Fanensi et Zenoni patri; itidem suavissimo Ber<nardo> Lombardo, facetissimo Galasio et strenuo Pau<lo> Augustino omni melle dulcioribus. Commenda me doctissimo et integerrimo iurisconsulto d. Madio. Cura etiam ut Antonio Dōnato onocephalo pl. sal. a me rudas. Salvus sit et eximus adulescens Donatus Fanensis mihi carissimus.

Ex Ferraria XVI kal. septembris <1433?>.

## 618.

(Vatic. 3372 f. 3<sup>v</sup> e 15<sup>v</sup> di mano del Panormita; le due copie presentano alcune differenze, donde appare che il Panormita era poco esatto).

Guarinus Veronensis cl. v. Antonio Panhormitae sal.

Innumeras si tibi gratias et habuero et egero et dixer, tibi fortasse satis ipse fecero pro tua recte factorum conscientia, sed mihi atque animo meo profecto non satisfecero pro tuis in me 5 cum alias tum vero nuper collatis beneficiis. Tu paci domesticae, tu laudi et dignitati consulis; quibus igitur « te caelo laudibus aequem », amabilissime patronē? Hoc est vere amicum esse, non dici tantum, immo vero hoc est patrem esse: salve igitur parens optime.

10 Quod scribis atque mones de homine propulsando, si huc se contulerit, teneo. Ceterum scito Panhormitam in eo vel si mavis eum in Panhormita fuisse a me dilectum atque adeo observatum; quod non modo in eo, vivente quidem effigie, sed etiam in pista vel marmorea facturus eram imagine. Verum ubi ab eo te abesse

Verg. Aen. XI  
123.

26 patri scil. tuo | 27 Pau.] puero? | 30 onecephalo codd. (cioè testa d'asino, traduzione greca del soprannome Capo d'asino, cfr. 553, 24) | 30 rudas: esprime il raglio dell'asino: allusione scherzevole.

618, 8 vere cod.

intelligo, eum cognoscam sine te et sine illo te diligam. De li- 15  
 bello vel verius libelluo bene facis pro tuo ingenio et amicitiae  
 Cic. Phil. III iure commonefecisse. Crede « currentem adiuvas » et ut dici so-  
 19; ad Q. fr. I let « Lydum invitas ad cursum ». Nam si quid est quod maxime  
 1, 45. Horat. Epist. abhorream, abominor in primis illud « Epicuri de grege por-  
 14, 16. cūm » vel Cicerone magistro, apud quem scriptum est: « in vo- 20  
 de sen. 41. luptatis regno virtutem non posse consistere ». Haec hactenus.

Ludovicum Ferrarium certis et necessariis causis hoc tem-  
 pore ad vos volantem contineo; quod eo libentius feci quod te  
 Catonemque meum patronos istic esse sentio, quibus defendantibus  
 vincere didicit. Eius igitur matrem, immo vero me in matre 25  
 tibi commendō fortunasque suas tuae mando fidei. Hic futurus  
 est tuorum in me meritorum cumulus et manus extrema; proinde  
 clipeum, ut soles, inde. Vale musarum mel.

Ferrariae V idus septembbris <1433>.

## 619.

(Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 108v).

Guarinus Veronensis cl. viris D<ominico> Feruffino et \*\*\*  
 <sal. pl. d.>.

Ex litteris vestris suavissimis, omni humanitatis genere or-  
 natis, ad virum insignem et poetam nobilem Antonium Panormi-  
 tain intellexi accuratam et diligentem operam vestram in rebus 5  
 amantissimi nepotis mei Ludovi<ci> Ferrarii. Qua ex re non  
 parvam ego commoditatem ac fructum consecutus mihi videor,  
 quod apud vos tam singulari et exquisito in amore honore et  
 ex<is>timatione me haberi intelligo, quemadmodum aut apud  
 optimos filios genitores aut apud bene institutos ac moratos iuve- 10  
 nues, grandiores natu esse solent. Quod de me ipso verecundius  
 dicerem, nisi ad maiorem morum vestrorum et probitatis laudem

---

16 libelluo: da bellua. | 18 Lydum: cfr. 1, 16.

619, 1 Guarinus ve s. claris viris d. feruffino etcetera cod.

pertinere cognoscerem, cum proinde virtutis ac bonarum artium studiosos vos esse certum sit, quia eas in me vigere persuasione  
 15 iam nescio qua opinati tantopere me diligitis. Ea utinam opinione dignus esset Guarinus vester, quam tamen diminuturus ipse non sum, ne simul benivolentia in me vestra diminuatur; quin et *<iam>*  
 diutius ipse mecum agitavi, vobisne scriberem an melius linguam continerem. Difficile enim est doctis hominibus, qui nil  
 20 nisi praeclarum eximium et in suo genere rarum probant, ita respondere vel expectationi satisfa*<ce>*re, ut visu non abhorreant et, ut dicitur, ora ne detorqueant; immo vero nisi grandia concipientes re ipsa superes, ad imum vergas necesse est, ut satius fuerit tacitum perstrare quam per orationem imbecillas in-  
 25 genii vires detegere ac existimationis iacturam facere. Verum enim vero cum gratum apud vos quam eruditum haberi malim,  
*<has>* ad vos quasi gratae mentis testes dare constitui, quibus si non referre, at habere gratias utrique profitear pro vestris in carissimum nepotem meum meritis; quod quidem tam gratum  
 30 tam iocundum tam acceptum habeo, ut proinde vobis immortaliter devinctus esse non recusem « cum natis natorum et nascituris ab illis ».

Pergite ut coepistis, viri liberalissimi; bene de hominibus et praesertim afflictis mereri studete. Nullum ex dignitate vestra  
 35 fructum ampliorem colligere posse videmini, quam hominibus humanitatem et beneficia conferre, ex quibus maxima gloria est iocunditasque sapienti; nullam enim de virtutibus pluris *<fa-*  
*ciendam>* « neque admirabiliorem neque gratiorem misericordia » orator magnus testatus est, « quippe cum homines ad deos nulla  
 40 re proprius accedant quam salute hominibus danda ». Seniorem  
*<ducem>* Chrysoloras vir optimus, philosophus eruditissimus et homo sapientissimus ac praceptor meus, plurimis tollebat in caelum laudibus et per omnia virtutum genera memoriae commendare solebat, ut quicum familiarissime vixerat; sed post commen-  
 45 datam sapientiam, animi magnitudinem, fidem ceterasque virtutes,

Cic. p. Lig. 38.

---

13 proinde] pro me cod. | 18 linguam] licentia cod. | 21 vel] ut cod.  
 | visis cod. | 22 imo non cod. | 23 imum] unum cod. | 24 perstrare cod.  
 | 28 at] ut cod. | 29 quod] qui cod. | 36 gloria] sapientia cod. | 37 enim]  
 esse cod. | 44 qui cum cod.

unam in eo principatum tenuisse praedicabat, liberalitatem videlicet, qua in omnes benignus misericors clemens immortalitatem adeptus credebatur: quod in eo ipso duce ne hostes quidem collaudare desinunt. Eum ipsum et vos imitemini hortor et moneo, ut quem ducem agnoscitis vestrum fuisse, eundem et vitae magistrum ducemque sectemini.

Ad vos autem datas communiter litteras ne admireremini, amici dilectissimi; quos enim et amore concordes et officio novi et opera in nepotem meum coniunctos litteris segregare indignum censui. Valete viri insignes et me ut facitis diligite ac nepotem molestiis quoad licet absolvite.

<Ferrara 1433>.

## 620.

(Capitol. Veron. CCLXVI f. 134; Laur. Ashburn. 278 f. 53v: Padov. Seminar. 89 p. 1; Ottobon. 1153 f. 51; Arundel 70 f. 92v; 138 f. 324; Monac. lat. 454 f. 86; Monac. Universit. 2.º 607 f. 139; Ferrar. 16 NA 1 f. 24v; 151 NA 5 f. 28v; Ambros. O 124 sup. f. 75-76, 79-80; Riccard. 779 f. 317; Vindobon. 3330 f. 132; 3462 f. 63; Casanat. D V 14 f. 95; Balliol. 135 f. 16v e 128; pubblicata nelle *Epistolae principum* p. 386 e in Pez *Thesaurus VI*, III p. 154; cfr. *Memor.* V, II p. 50 dal cod. A f. 137; Hagen. *Catal. codd. Bern.* 257).

Guarinus Veronensis illustrissimo d. Leonello Estensi sal. pl. d.

Hodierno die, mi rex et dive Leonelle, cives tui quia ordinis equestris insignia tibi tam honorifice addita seu potius redditu fuisse cognoscunt, privatum ac publice magnam egere laetitiam et praecipuum divinis in templis honorem pro sua in te illustremque genitorem tuum pietate et observantia celebrarunt. Nam cum tantas tibi et animi et corporis dotes ab natura ingentitas tuaque industria expolitas et studio adauertas esse cernant, ista ipsa ornamenta ad decus ad excellentiam ad dignitatem quasi

49 eum] cum cod. | 50 ducem] deum cod. | 54 litteras cod. | 55 viri insignes viri cod.

620, 2 vel hodierna cod. | 6 vel ac cod. | 9 excellentiam] obedientiam cod.

10 consummationem quādam amplitudinis advenisse gloriantur. Qua  
in re tibine magis, vir magnifice, an ornamēto ipsi gratuler in  
ambiguo sum; non enim sum ignarus huius generis decora ma-  
gnam tibi hominum existimationem commendationemque vendi-  
care et egregiam apud eos, quorum commodis honori et saluti  
15 consulturus es, auctoritatē comparare. Hac ratione antiquos Per-  
sarum reges varios sibi colores intrivisse, caesariem auxisse, inu-  
sitatos vulgo habitus multo auro multisque gemmis induisse te-  
stis est Xenophon, ut vel sic inter suos amplioris <sup>Cyrup. VIII 3,</sup>  
13. *venerationis* essent. Praeterea clam me non est illos honores et insignia vir-  
20 tuti testimonium adduci et bene institutae mentis praeconia; quo-  
circa milites strenuos, bellatores fortissimos ducesque sapientis-  
simos hastis phaleris vexillis equis statuis, et quod maximum vo-  
torum est, triumphis donari et insigniri legimus.

Accedit ad gratulationem meam quod ornatus auratos et e-  
25 questrem dignitatem per se satis ingentem, ingentiorem facit im-  
ponentis et donatoris amplitudo simul et gloria; de cuius magni-  
ficentia rebus praeclare gestis clementia aequitate ceterisque vir-  
tutibus ut taceam, quid imperatore Romano, quid Caesare, quid  
Augusto excellentius admirabilius religiosiusque humanum genus  
30 habet? Eius potestatem poeta maximus paucis verbis exprimens  
ait: « Divisum imperium cum Iove Caesar habes »; quippe « im-  
perium Oceano, famam qui terminet astris ». Subinde antiquum  
genus Estense perpendo et illustrēm maiorum tuorum patrisque  
progeniem, quorum liberalitas sapientia mansuetudo sempiternam  
35 famam adepta est. Eorum nomini et laudibus splendorem adiun-  
git tua in deum pietas, in parentes observantia, in propinquos  
amor, in amicos fides, in omnes bonitas caritas diligentia, pluri-  
marum et optimarum rerum cognitio, praesertim cum ad pater-  
nam animi magnitudinem doctrina uberior accedat. Addo victus  
40 sobrietatem, somni parcitatem, venationis aucupiorum ludorum  
frequentiam, sagittandi solertiam, quibus otia fugitans et laborum  
studiosus omnes corporis sensus domas et ita domas, ut intra  
modestiae gyrum frenati se contineant. Quid morum severitas?

ps. Verg.

Verg. Aen.  
287.

---

13 *vel* estimationem *codd.* | 16 *vel* intulisse *codd.* | 19 *vel* istos  
*codd.* | 21 *vel* ferocissimos *codd.* | 31 *vel* habet *codd.* Cfr. *Studi ital. di*  
*filol. class. XV* 211. | 36 *vel* parentis *codd.* | 37 *vel* omnis *codd.*

qua factum est ut in tam teneris adulescentiae annis et regia  
licentia nil iuvenile redolens maturum sapias Nestorem. 45

Per haec atque alia in te ornamenta in eam venio senten-  
tiam ut longe magis abs te equestria decorentur insignia quam  
tu equestribus decoreris insignibus; idque iure quidem ac merito,  
nam plurimi sine virtute equitum gestamina usurpant. Neque re-  
gem illum esse crediderim qui maiora possideat praedia aut pur- 50  
purea in veste gemmatam fronti coronam imposuit; « rex est, ut  
inquit tragicus, qui posuit metus et diri mala pectoris » et, ut a  
Sen. *Thy.* 348 Cic. *Parad.* 8. Biante dictum est, « qui sua secum portat »; alioquin larvatum  
in scaena histrionem Agamemnonem liceret appellare vel Pria-  
mum, cum is vilissimum fortasse sit mancipium. Nec vero, Leo- 55  
nelle vir illustris, tuam inferiorem dignitatem equestrem dixerim  
quam pacis artibus meruisti, quam illam quae bello rapi solet;  
haec enim mortalium caedibus, civitatum direptione, strage re-  
gnorum usurpatur et calamitatibus aliis, quas singulatim apud  
Crispum Caesar explicat: « rapi virgines, pueros divelli a com- 60  
plexu parentum, matres familiarum pati quac victoribus collibui-  
sent, fana atque domos spoliari, caedem incendia fieri, postremo  
armis cadaveribus cruento atque luctu omnia compleri ». His sane  
indignum est tot dierum supplicationes indici; ista autem ur-  
bana, munificentia integritate iustitia, bene de civibus merendo, 65  
patriae commodis inserviendo, honorem suorum augendo quaeritur.  
Qua in re Titum Flaminium triumpho dignorem fuisse cen-  
suerim quia Graeciae suas vivendi leges et mores restituerit quod-  
que mille ac ducentos cives in pristinam libertatem e servitute  
revocarit, quam quod Philippum Macedonasque debellarit. Cru- 70  
dele enim est et humanitatis abhorrens ex hominum malis atque  
miseriis praedicationem titulosque sibi quaerere.

Val. Max. V 2,  
6.

Aurum quo te insignitum esse hodie cernimus tibi ad vitae  
degendae speculum propositum esse considerabis; etenim cum  
aurum splendore pretio immortalitate metallis reliquis antecellat, 75  
sic et tu vivendi puritate, virtutum excellentia, honesti animi con-  
stantia sicut inter ceteros mortales emines, ita te ipsum in dies  
superare contendes. Id egregia fide feceris si nullam tibi cum

---

44 vel in om. codd. | 55 vel fort - vilis - codd. | 56 vel duxerim codd.  
| 57 vel om. illam codd. | 66 vel honore codd. | 70 vel debellaverit codd.

haereticis concordiam esse sines, nulla nisi iuste ac legitime in-  
80 dicta bella suscipes, pupillorum ac viduarum tutelam tuam in  
fidem accipies: tria haec praecipua in virtute profiteberis.

Ne autem longior mea taedio te afficiat oratio, tibi pro mea  
in te fide ac pietate novis insignibus gratulor et gaudeo, quibus  
non minus decoris laudis ac dignitatis reddis, quam inde ceperis  
85 idque tibi ac tuis bonum faustum felixque sit oro; munusque  
Caesareum pro mea virili parte fulcio extendo ad perennitatem  
que produco: nulla si quidem tanta sunt hominum constructa  
manibus opera quae non ruant obscurentur et vetustatis morsus  
non reformident, nisi litterarum monumenta sustentent illustrent  
90 et iuvenescere faciant. Ad quod quidem conficiendum pusilla  
haec mea scripta doctissimos viros et disertos scriptores invitant,  
quorum ope atque opera huius facti memoriam « nulla unquam  
delebit oblivio » quandiu legetur et ad posteros hoc pacto perve-  
niet: Sigismundus Caesar Augustus cum sedato ad-  
95 versus Ligurum ducem bello Veneto, ab Eugenio ponti-  
fice maximo corona insignitus aurea et Basileense con-  
cilium petens, Ferrariam e Roma in illustris marchio-  
nis Nicolai aedes divertisset, illustrem Leonellum E-  
stensem sextum et vigesimum agentem aetatis annum  
100 equestris excellentiae donavit insignibus, quod et praes-  
entibus et venturis signum hospitii et « monumentum  
ac pignus amoris » relinquaret. Vale.

Ex Ferraria idibus septembribus anno Christi MCCCCXXXIII.

Cic. Phil. IX  
10.

---

79 *vel* legitime ac iuste *codd.* | 81 *vel* praecipue in (principia in,  
perpetua, *vel* om.) *codd.* | 86 *vel* accendo (*vel* arcendo) *codd.* | 94 *vel*  
*quoniam* *codd.* | 96 Basiliensem synodum *Ambr.* | 101 *vel* futuris *codd.*

## 621.

(Palat. 492 f. 204v ; Treveri 1879 f. 111v.).

Guarinus Veronensis suo dulcissimo Baptistae Zendratae  
sal. pl. d.

Sacerdotem illum benedico qui causam tibi quidem scribendi,  
mihi autem ridendi praebuit, nec solum ut ridere, verum etiam  
ut rideri possem. Primum quidem ut et tu ipse <non> nihil 5  
rideas, ubi tuas legi litteras, hominem ipsum depositarium ma-  
gno labore singulari cura et sagaci sum odoratus indagine ; ubi  
investigatum illum nactus sum, hilari fronte et blandissimis verbis  
nomine sacerdotis salvere hominem iussi, tum de ipsius ac uxo-  
ris statu percunctatus sum. Ei renuntio sacerdotem mox adfu- 10  
turum cum quibusdam munusculis quae ex transmarinis regioni-  
bus et Hierosolymitanis terris et viro et uxori pariter attulit. Et  
« quia magna cum eo sacerdote familiaritate devinctus sum,  
inquam, ex me certior fieri optat, ut se habent res illae suaे  
penes te olim depositae, ne libri vel vestes tineis aut alia sorde 15  
putrescant ». « Salva, inquit, omnia sunt, uti et olim collocata  
sunt ». Tum « si qua faciunda pro eo sit impensa, dixi, pro ma-  
gno eius commodo, suntne pecuniae illae tibi olim obsignatae in  
promptu, ne illi sim in mora ? ». Ille ri<c>tu contracto et com-  
pressis huineris : « de pecunia somnium audio ; nulla eius vel 20  
umbra unquam mihi comparuit, quae si adfuisset, non frigerem,  
inquit, non sitirem, non caligas meas pro emendo tritico obpi-  
gnorassem ». Tum ut res omnes ordinate aperiret, variis artibus  
induxi et nihil sine testibus et tabellione. Itur ad tuguriolum  
rebus omnibus vacuum, nisi penuria et praecipua mendicitate, 25  
quibus omnis redundabat angulus. Assedimus ; afferuntur heredi-  
taria illa bona seu potius mala ; erat enim « sacculus quidam  
plenissimus aranearum », tanto nidore et arvina faedus ut oculos  
pariter et nares fatigaret. Evolvuntur singula. O bone deus !

<sup>Ter. And. III 1, 8; Ad. II 1, 50.</sup>  
Catull. 13, 8. 621, 4 reddere *Trev.* | 16 putrescent *codd.* | omnia. Sunt *Trev.* |  
17 facienda *Trev.*

30 quae « panis frusta muscida », calciorum fibulae, nuces vermiculosa, mespili quidam lignei, coeliaria nitro florentia; murina non dico stercora aliaque hospitalic*<i>o* inventario digna, ut cum hospitale tantae paupertatis recipiens sit, ita et hospitale nonnihil sua hereditate pauperius sacerdos fecerit; nam pro hisce reparandis sordibus aliquid expensarum percessum est. Ego vero ita delusus mansi, ut et verecunder et rideam. Habes quod et pariter rideas et derideas.

Dicamus nunc seria. Gaudeo tibi epithalamiorum operam iniungi, ut cum in patriam rediero magnum laboris levamen mihi sperem; proinde ut non tam tibi quam mihi consulam, libellum quem abs te mutuo quandain *<accepi>* remitto tibi et donum tibi confirmo. Quinternos illos quinque retinebo, ut unum mihi tuo nomine conscribi faciam eumque servem in perpetuum « monumentum et pignus amoris ». Iniecta magna mihi spes est te videre posse una cum melleo illo amico et compatre Conorigio munditiarum et liberalitatis parente; quod si fit, metuo ne laetitia rumpar. Ita fac: hanc meam exple cupiditatem honestumque desiderium: id si perfici, non renuo tuus esse « usu et possessione ». Vale et Ia*<cobum>* fratrem salvere iube.

50 Ex Ferraria XVIII septembris <1433?>.

## 622.

(Ambr. E 115 sup. f. 63v; Class. 117 p. 372: Guarner. 96 f. 119; Harleian 3716 f. 140; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist. II* p. 47 e da me in Barozzi-Sabbadini *Studi sul Panormita e sul Valla* 68).

Poggius p. s. d. Guarino Veronensi v. cl.

Optimus adolescens Nicolaus Luseus discipulus tuus scripsit litteras parenti in quibus narrat quendam hominem nobis notum ad te venisse attulisseque nescioquem libellum quem composuerat

---

30 frustra *codd.* | inustida *Trev.* | 31 mespili *Trev.*, inaspali *Pal.* | nitro *codd.* | murina: da *mus* | 33 hospitalitate *codd.* | 34 hiisce *Pal.*, hiisce *Trev.* | 36 et habes *Trev.* (*an en habes?*) | 46 fit: qui si tronea il *Pal.*

in laudem sive defensionem Epicureorum ; quesisse insuper a te 5  
 ut aliquid ederes in laudem sui operis idque a te recusatum. Ad-  
 didit illum tecum multa colloctum de me deque Antonio Lusco  
 et Cincio cum detractatione nostra, quod ego minime sum admir-  
 atus, qui novi mores illius ac loquendi arrogantiam.... Non  
 est mirandum eum qui Ciceronem arguit in arte dicendi et ora- 10  
 toria facultate, Aristotelem quoque ac reliquos philosophie anti-  
 stites velle reprehendere... Itaque te rogo maiorem in modum  
 ut ad me perscribas hunc suum quem tecum habuit primum in-  
 gressum et collocutionem ; tum vero quid de homine sentias et 15  
 eius doctrina moribusque et si quid de eo ceteri sentiant percep-  
 pisti, nam Papie aliquandiu fuit.... Ait quidam huius viri, mul-  
 tis astantibus, affinis quatuor esse in Italia solos latine lingue  
 principes : primum Leonardum Aretinum posuit, secundo loco te  
 designavit, tertia in acie hunc nostrum collocavit, quartum attribuit  
 locum nescio cui Lombardo... Ab hoc enim nostro de quo sermo 20  
 est existimo hanc et constitutam et perscriptam esse divisionem  
 eorum qui in orbis terre domicilio litterarum obtinent principa-  
 tum.... Communices has cum Francisco nostro Barbaro, ut ipse  
 quoque rideat hunc nostrum quatuorviratum. Vale et me ama.

Rome XVIII octobris <1433>.

25

### 623.

(Parig. 8582 f. 64 ; Class. 117 p. 131; Bergamo Λ II 32 f. 27<sup>v</sup> ; Lyon 168  
 f. 180<sup>v</sup> ).

Anselmus Canis Guarino s.

Laudum tuarum cumulum prestantisque eloquentie dignita-  
 tem hodie Vegii mei chelis, que quidem ad nostre Ginasie lares  
 versus iocundissimos obsignavit, composite magnificeque elocuta

---

623, 1 Anselmus Canis p. s. d. frugalissimo viro Guarino Veronensi  
 v. cl. Lyon.. Ans - Canis frugal - viro Guar - Ver - s. p. d. Class., Berg.  
 Il testo del cod. Class.. di Bergamo e di Lyon è assai più ampio, tanto  
 che si deve considerare una seconda redazione ; ma io la tralascio, perchè  
 non ha nessuna importanza storica.

5 est. Guarinum enim, licet undique a quovis erudito omnis discipline officio refertum, spectatissimi quoque viri mores gerentem predicarent, non hercle ante hoc noram; verum nec penitus obscurus ac ex omni suspicione memorie extrusus emancipatusque negligebatur, sed erat quedam de tui nominis opinione nota, ut de certis teris habetur. Nunc autem quo consilio quave voluntate vehementius tecum astringar, quandoquidem Vegius meus poeta celeberrimus, cui non secus afficiar ac patri, te adeo honorifico carmine celebrandum duxit, facile perspicies, te enim ita cepi pectore uberrimaque voluptate complecti, ut si fata nos superstites longis 15 tempestatibus servarint, nec Damonem Pithias nec Milesium Tales nec denique Scipionem Lelius cupidius flagrantiusque adamavit. In his singula virtus, par studium, mutua etiam benvolentia, que omnia ab humanitate profecta et digressa esse arbitror, ut inter omnes ex consuetudine amor quidam exigatur, refloruit; tibi vero, 20 quem ceteros exuperare scio, tanta orationis vis, tanta rationis exquisita laus, tantus demum philosophie honos est, ut nusquam Ciceroni ampliorem ex suis optimis artibus laudem contigisse, nec Maronem, quem apud Musas Apollinemque primum fuisse intelligimus, solertius cumulatiusque auctoritatem sibi vendicasse 25 et dignitati sue honoratiorem nominis gratiam gravius conciliasse cognoverim. Nam etsi is immortalem famam studiis suis peperit et hi quidem haud vulgares, immo quantivis pretii habiti sunt, te tamen Aonium degustasse pariterque attice eloquentie leporem mirifice illustrasse ac in te divertisse gratulor; adeo ut quod ex 30 singulo utriusque est insigne dicendi genus nunc plane tibi restitutum est, quippe quantum in utroque profecisse te quantamque ex grecis litteris gravitatem decerpisse omnes homines pari consensu existiment. Ex hoc maxime scitum iri potest, quod ex infinitis nostre etatis scriptoribus te solum et colunt et respiciunt 35 nec satis mirari possunt quod tali preeditus sis ingenio: quibus in hoc presertim maxime assentior. Vale.

Mediolani preter magnificas edes Annibal de Birago utriusque iuris doctoris, ad quas littere similiter tue deferentur <1432-1433>.

## 624.

(Codice Cibrario dell' Archivio di Stato di Milano p. 99).

Magister Io<achinus> Cast<ilioneus> doctissimo v. Guarino Veronensi sal. pl. d.

Hosse tibi scelestos atque in nephario compertos crimine abste atroci pena plectendos transmitto; nam qui divinam legem per veneficam et obsceneam ipocrisim tam aperte transgressi sunt, meo 5 etiam iudicio admissa luant peccata necesse est. Illos igitur accipe et condigno ficte eorum paupertati supplicio plete, ut te censore castigati usque adeo erubescant, ut deinceps nunquam in lucem venire presumant. Vale.

<Ferrara 1433 ?>.

10

## 625.

(Berlino lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 2<sup>v</sup> ).

Guarinus Stephano sal.

*Ter. And. IV 1,*  
47.

In suspicionem tarditatis et negligentiae me tibi devenisse conspicio; quam ob rem dies noctesque ut inde me absolvam cogito. Eam ad rem vel illud conduceere posse arbitratus sum, si saepius ad te non invitatus scribam; si hae non succedet, « alia 5 aggrediemur via ». Tentemus igitur si ista tua litterarum gulositas expleri poterit. Id cum per me facere non possim, aliorum ope faciam ut in praesentia. Nam cum nescio quid non inutilis sane aut inioundi opusculi venisset in manus, id tibi visendum mittere statui, ut cum illud tuo more perspexeris, ad me redire 10 ubeas. Sie quorundam hospitalitatis <\*\*\*\*> inibit fortasse tibi

624, 3 *scelestos*: non capisco lo scherzo. Saranno gamberi? o i monachetti, uccelli acquatici bianchissimi?

625, 8 non] novi cod. | 9 opusculo cod. | id] ut cod.

ignotum gaudium. Nam nuper audiente, et quidem attentissime, illustrissimo principe et clarissimis hinc plerisque civibus Laelius noster cum omnium laude orationem in nuptiis socii sui Ugutio-  
15 nis <habuit>. Sed tacebo ne illum commendans me commendare videar. Vale, vir optime.

Ex Ferraria III kalendas iunias <1433 ?>.

## 626.

(Berlino lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 19).

Guarinus suo Stephano s.

Magnae tibi gratiae referenda sunt pro tuis in me quotidianis meritis, si qua id agendi facultas adesset; unum erit reliquum, ut scilicet saltem verbis grates dicerem; verum cum 5 inaequalis sit compensatio verba pro rebus dare, tacere malim: saltem animum vel tacentis perpendes, qui certe permagnus ac tibi deditissimus est et assidua tibi recordatione coniunctus. Quod si non credis, teste adducam tibi Platonem meum, in quo videbis vel saltem videre poteris, quod in eo effingendo, qui excellentissimam facundiam postularet, temerarius pictor extiterim. Sed meum in Platonem studium et benivolentia maiora me viribus audere consuluerunt.

Pueri nostri gratias tibi dicunt ingentes pro capreolo tanto-  
pere mansuefacto, ut, modo vox hominis adesset, mansuetudine  
15 multos mortales superaret: bene profecto abs te profectus tuam benigitatem mitesque mores sapit. Vale.

<Ferrara dicembre 1431>.

---

14 Ugitionis *cod.*

626, 3 si qua post (?) id *cod.* | 11 benivolentiam *cod.* | 12 consu-  
luerunt] non sinerunt *cod.* | 15 superet *cod.*

## 627.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 111<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis cl. v. Hugolino Cantello sal. pl. d.

Cum multa et innumerabilia amico suavissimo Stephano Todesco debeam, hodiernus dies quasi aeris alieni cumulum adiecit, quo immortaliter illi devinciar opus est. Is enim tua me benivolentia, pretioso sane munere, donavit, cuius donationis fides et 5 firmamentum ut clarus fiat, tuae amantissimae dextrae chirographis comprobavit. Quod tanti facio, ut Croesi opes et Crassi divitias posthabeam, et eo melius, quod haec fortunae bona, seu verius ludibria, vel ipsis improbis communia sunt; generosi autem, docti et sapientis viri caritatem ac laudes sola solet virtus 10 assequi. Quae magna videlicet, insignia, fortunae omnis experitia, inter ea quae magnifica in vita contingent praedicari possent; magnis nanque viris in laude natis in laude educatis in laude viventibus placere et tui similibus probari et gratum esse, primaria in ego laudem et quandam beatitudinis partem constituo. 15 Pro quibus quidem meritis cum nullam tibi referre gratiam possum, me ipsum accipe, me tuo utere arbitratu: adde meum amorem, quem tibi integrum constantem promptumque libens offero; te enim amo colo veneror, eaque donatione me tibi dedo, ut iam tuo in aere scribere liceat: « Guarinus Hugolini », qui 20 cum per se parum sane valeat, tecum adiunctus splendorem premiumque vendicabit. Quod et pomis usu <venire> persaepe cernimus; ea enim cum agrestis fetus ac vilis sint, auratis in pateris collocata muneri pondus nitorem et dignitatem adiciunt. De his satis et fortasse nimium.

25

Codices illos scito me tantopere cupere et velut helluonem avere, ut nihil gratius et siti meae iocundius hoc tempore possit afferri. Vale et me tuum ama.

Ex Ferraria VI idus decembris &lt;1431&gt;.

## 628.

(Berlin. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 9; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 203).

Guarinus suo Stephano s.

Licet febrem ipsam multis execrari de causis, nam et tuum corpus impudentissima cruciare non erubuit, qui vel sola macritudine ab ea vitandus eras. Cur autem improba non illos delicatos « pingues aqualiculos » invadebat, ubi plurimum pabuli et copiosum illi fuisse hospitium? Quid quod tot scribendi vices tam bonas interim interrumpit, quibus nostram licebat absentiam fallere et mutuos iocundissime conferre sermones, quibus tanto caruimus tempore? Quocirca nunc venientes litterae tuae eo gratiores, quo expectatores fuere.

Pers. 1 57.

Adjunctum est et plurima cum aviditate librorum inventarium iuris consulti optimi Ugolini, quem cum multis de causis, tum vero tam pretiosa possessione felicem sentio et appello. O felicem hominis comitatum inter tot illustres viros immortalitate dignos, quorum copiam ut habeam tua utar opera. Incipiam autem a minoribus, quod faciunt et qui acies struunt: pedites enim praemitunt, tum robur et flos militiae subsequitur. Adsunt nonnulli libelli in metra Plauti et Terentii, quos ut mihi facias transcribi et cupio et oro. Id mihi erit hoc tempore gratissimum.

Ecce mitto Lactantii opera duo, meo quidem iudicio emendata, licet sordidiore litterarum facie. Ea libentius d. Ugoni suppeditarem, si tanti viri conspectu dignam prae se ferrent speciem; ceterum animus promptus ac libens cetera supplebit; eidem me totum cum libris dedo. Vale.

Ferrariae gennaio <1432>.

---

628, 5 invadebatur cod. | 6 carpiosum cod. | 12 Ugoleni cod. | 16 strenui cod.

## 629.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 13).

Guarinus suo Stephano sal.

Tardus sum fateor, carissime St<ephane>, in reddendis litteris, quod meis negotiis et immortalibus occupationibus evenit. Sed et partim tu in culpa es, qui cum crebris mecum agas innumeribus, capreolis interdum, nonnunquam pirus, aliquando aliorum 5 donorum genere, eo redigis ut quid agam nesciam. Nam cum tibi gratias referre debeam, non nisi verba succurrunt et illa quidem incongrua, cum tu quidem rebus contendas, ego syllabis tantum, quod impar sane remunerationis genus est. Proinde obmutescere magis decerno, quam ineptus videri; pro tuis autem meritis in- 10 gentes tibi gratias habeo; reliquum tibi deus ipse retribuat; me vero accipe et tuo utitor arbitratu, qui si tibi satis non videor, simul ac meos accipe Guarinellos.

Vale et claro viro d. Zillio<lo> me commenda, cuius praesentia cum frui cogitarem, casus insperatus mihi virum surripuit; 15 itaque frustratus spe ac fractus maneo. Scribam aliquid pro egregio libello quo ab d. Ug<olino> Cantello donatus sum.

Ferrariae X kalendas februarii &lt;1432&gt;.

## 630.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 112; Vatic. 5167 f. 92).

Guarinus Veronensis cl. v. Hugolino Cantello sal. pl. d.

Exoratum te velim, vir amplissime, ut si dignas liberalitati tuae gratias non refiero, non meo quidem animo aut mentis meae parvitati, sed tibi ipsi culpam tribuas, quippe cum eo beneficio-

---

629, 8 syllabis cod. | 9 ab mutescere cod. | 10 discerno cod. | 12 video cod. | 13 ac] et? | 17 libelo cod. | Cantelo cod.

630, 1 Guarinus c. v. Ug. Cantello s. d. Vatic.

5 rum genere mecum agas, ut « pares reddere grates opis nostrae <sup>Verg. Aen. I  
601.</sup> non sit »; nam et orationis magnificentia et tuo munere me honestandum duxisti, quae duo sunt perpetuum in me « monumentum et pignus amoris ». Quid autem magnificentius assequi in vita possim, quam ut homini nobilitate doctrina virtute paeclaro,  
10 idest tibi, placere dicar, qui nihil nisi eximum et in suo genere praecellens affectare amare complecti soleas? Nec expectes ut quae de me ipso magnifice sentis et praedicas et scriptis buccinas tuis ullo pacto refellam, immo magis opinionem augebo tuam et in hoc tam pio mendacio te labi errare ac decipi sinam; sic et  
15 amabis magis, quod etiam atque etiam cupio. Quae cum ita sint « quae tibi quae tali reddam pro munere dona? » Hoc est vere <sup>Verg. Ecl. V  
81.</sup> liberalis hominis officium, ut unde minime speres (nam quis ego sum?) in eum vel amplissima conferas. Accipe igitur me tibi deditissimum et in aere tuo computa, huc vel illuc impelle, se-  
20 quar ut « rota figularis » nec usquam tuam defugiam auctoritatem. <sup>Plaut. Epid.  
371.</sup>

Libellus quo abs te donatus sum mirum in modum me oblecat: adeo complura vetustatis habet vestigia et doctorum hominum testimonia! Ceterum cum inde tot eruditissimos auctores  
25 nescio quo fato et maiorum negligentia perisse nobis video et aetatem nostram tantis orbata viris, suspiria frenare non possum, et damna cum nostra defleam, illorum miserari vicem incipio, quia cum illis ingeniorum magnitudo ac vivacitas immortalitatem polliceretur, tamen inventum est aliquid quod secundam illis mortem  
30 afferret. Sed haec omittamus, quando frustra questibus diem terere insipientia est. Vale.

Ex Ferraria X kal. februarias <1432>.

Generoso viro ac eruditissimo iurisconsulto  
d. Ugol. Cantello amico singulari.

Parmae.

35

---

5 agis *Ferr.* | 6 - tiae *Vat.* | 8 ac *Vat.* | 8-9 in v - ass - possum *Ferr.*  
| 10 nil *Vat.* | 20 fugiam *Ferr.* | 22 delectat *Ferr.* | 23 - rima *Ferr.* |  
26 aetate nostra t - orbata *Vat.* | 27 quare *Ferr.* | 32 Ferrariae *Vat.* |  
33-35 Generoso - Parmae om. *Ferr.*

SABBADINI: *Lettere di Guarino.*

12

## 631.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 12; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino 204*).

Guarinus Veronensis claro viro d. Ugul<ino> Can<tello>  
sal. d. pl.

Superioribus diebus unas ad te litteras dedi, ut A. Gellium mitteres; nihil aut verbis aut re, quod equidem mallem, respondisti; quam ad rem vel sponte tua properare debuisti, cum res 5 communis ageretur. Nam, ut hinc ad te scripsi, delata est mihi facultas et copia textus inscribendi graecos, qui librariorum ignorantie intercepti vel omissi fuerant. Opus igitur immortalitate dignum futurum est; si id perficio, tum futurum est mea opera exemplar, qualia vel nulla vel pauca visa sunt per hosce annos. 10 Accelerata igitur et Gellium ipsum advolare facito, ne, si ista fuerit nobis intercepta occasio, frustra deinde optemus et tu doleas et ego te accusem.

Vale et si qua alia desit mittendi via, fac ad manus Stephani T<odeschi> volitare, qui cum multis splendeat virtutibus, 15 tum diligentia nullis cedit hominibus.

Ferrariae XII kalendas iulii <1432>.

Nobili et sapienti legum doctori (*sic*).

## 632.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 3<sup>v</sup> ).

Guarinus Stephano viro amico sal. d. pl.

Quibus ego verbis tuam liberalitatem et quotidianas munificencias adaequabo? Vereor ne tua in me munera rusticum me declararent, qui tibi nil nisi meras nugas contra parare possum,

---

631, 3 unas] varias (?) cod. | A. Gellium] angelum cod. | 9 cum cod.  
| es cod. | 11 gilium cod. | 16 cum cod.

632, 1 viro Veronensi cod.

5 potissimum cum longe tibi plura maioraque debeam, vel Cicerone  
 magistro, qui nobis « imitandos iubet agros fertiles, qui multo  
 plus reddunt quam accipiunt »; et profecto longe magis regium  
 censeo munificentia quam armis dècertare, cum praesertim hoc  
 belluarum quoque, id duntaxat hominis officium sit. Quam vero  
 10 amoena, quam odora pira nuper nobis transmisisti! quod in tanta  
 huius anni sterilitate tam copiosum munus exhibes, quid factu-  
 rus in copia cum « pomis exuberet annus? » credo pomorum <sup>Verg. Geo. II</sup>  
 516. pluviam infunderes. Facis ut, cum tibi devinciar, et secundam  
 quoque pluris faciam patriam, quae cum ceterorum deorum, ut  
 15 gentiles dicerent, muneribus felix sit, non minus Pomonae quam Baccho cara videtur. Gratias tibi et quidem ingentes habeo sed ingentiores Guarinelli omnes, quibus pirorum adventus Saturnalia  
 celebranda attulit.

De Laelio memorem mones; ut primum tempus arridebit et  
 20 occasio, faxo promissa compareant mea; princeps adhuc rusti-  
 eatur neclum in urbem revertit, sicut et unis <et> alteris nun-  
 tiavi, ne me dormitantem putas. Vale.

<Ferrara settembre 1432>.

### 633.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 2; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 205).

Guarinus Stephano s.

Videmur mutuum nobis indixisse silentium, aut tua aut mea  
 aut utriusque culpa: uteunque sit, emendare peccatum licet, vel  
 me duce. Expecto Plautum in dies integrum, exemplar ipsum  
 5 vetus. Scio quid dicturus es: copia tibi post me fiet. Vale et me  
 d. capitaneo commenda.

Ferrariae XV septembbris <1432>.

8 munificentiam cod. | 10 quod] quidem cod. | 15 pomarie cod.

633, 3 uteunque] utrumque cod. | 5 copiam cod. | fiat cod.

## 634.

(Berlin. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 5<sup>v</sup>).

Guarinus suo dulcissimo Stephano s.

Verg. Aen. II  
658. Hui ! quodnam « scelus excidit ore ? » An ego meo Stephano vita ipsa mihi cariori irasci queam ? quod si existimas, et mihi ipsi irasci me posse crede. An quia liberiore tecum sermone utor, iracundiae arbitraris ? quicquid vel loquor vel obstrepo, 5 nostri amoris salva est integritas et inconcussa manet mea in te, tua item in me pietas. Proinde fac ut bono sis animo et sic omnia bonam in partem ab tuo Guarino dicta cape, ut tu apud me primarias amoris et benvolentiae partes habeas ; nec in te nec in Cantellum nisi ex medio caritatis sinu depromptum arbitrare. « Haec autem, ut inquit Cicero, accipienda sunt benivole cum amice fiunt ». Ne autem in re minime dubia expurgatione 10 utar <minime> necessaria, plura non dicam. Vale et te a me singulari amore diligi crede ac exploratum habe.

de am. 88.

Ferrariae II octobris &lt;1432 ?&gt;.

15

## 635.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 2).

Guarinus Veronensis equiti splendidissimo Feltrino Boiardo sal.

Hactenus absentiae tuae dies enumerabam et quantum ad redditum tuum temporis reliquum esset animo supputabam et ferme digitis metiebar. Sic enim reversionis tuae spes ipsam digressionis 5 molestiam consolabatur ; cuius quidem rei cogitatio solum me omnino ac destitutum in tanta vicinia esse non sinebat. Licet nanque deum atque hominum <fidem> testari : in tam numerosa

634, 2 oro cod. | 5 iracundum ? | 8 capere cod. | 10 Cantelum cod.

635, 6 quid cod. | 8 hominem cod.

vicinorum multitudine iam triennium egisse, cum interim nullam  
 10 ad familiaritatem, nulos ad sermones, vix autem ad dandae ac  
 reddendae salutis officium allicere quenquam potuerim. Tua vero  
 humanitas, sermo gravis, rerum clarissimarum in primis et mu-  
 sarum colloquia ceterorum supplemento erant et <tu> unus  
 15 mihi pro multis. Quid sobrias dicam cenas socratico more appa-  
 ratas et multa risuum suavitate conditas, quibus reliquorum soli-  
 tudinem sentire minime sinebas? Itaque citius te in urbem re-  
 cursurum et arbitrabar et optabam, vel ea potissimum ratione  
 quod nihil istic habere te censebam, quo diutius rure tenereris  
 20 inter agrestes et steriles hoc anno locos pruinis exustos et gran-  
 dine discussos.

Cum autem tanta voluptate per Livii lectionem affici te di-  
 dicerim tuis ad illustrissimum Leo<nellum> litteris, quae soli-  
 tudinem flagitat et urbis frequentiam vitat, cum tibi et animo tuo  
 congratulor, <tum> mihi ipsi certe condoleo. Quid enim malim.  
 25 quam viros genere primarios et ingenio excellentes operam stu-  
 diis exhibere, unde litterarum dignitas ac splendor augeatur et  
 virtus clarioribus in locis amplificetur? Harum dulcedine tractus  
 cum ex sententia locum sis nactus amoenum omnibus interpel-  
 latoribus vacuum, te ipsum in medios equorum fremitus, hasta-  
 30 rum concursationes, turmarum profligations medium ingeris et  
 trepidationibus alienis nunc laetus nunc moerens incubis aut  
 revocas: cuius voluptate spectaculi Ferrariae immemor longinquam  
 et mature vincendam spectas Carthaginem nobisque valedicens  
 tecum vivis, te ipso frueris. Quid igitur faciam? te imitabor, me  
 35 inter libros recondam et si quid inter legendum occurret tuo gene-  
 roso spiritu dignum, continuo Feltrinum in voluptatis partem vocabo.  
 Tu quoque idem facies: sic omnino disiuncti esse non videbimus.

Feminam non minus modestia quam genere primariam d.  
 Guidutiam ab sua Tadea salvere iube eique ipsam commenda-  
 40 tam facito ex corde. Vale, militiae splendor et decus meum.

Ferrariae III octobris <1432>:

9 nullum cod. | 22 tuuis (cuius?) cod. | 29-30 profligations hastarum  
 concurs - cod. | 30 et] ex cod. | 31 aliis cod. | incuibis cod. | 35 oeuv-  
 reret cod. | 36 feltanum cod.

## 636.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 6).

Guarinus suo Stephano sal.

Tua mihi opus est opera; sed prius rem exponam, tum quid te facere velim audies. Quidam adulescens genere Parmensis, studiosus litterarum, Parmae commoratur et ibi quosdam docet filios cuiusdam nobilis Cremonensis Cavaleabinii. Is nuper hoc 5 advenit volens sub me operam litteris dare; non valens autem domum initio hic reperire, rediit Parmam. Nunc autem cum apud me illum habere constituerim, vellem eum certiores fieri ut horum venire velit; paratum sibi aptum domicilium esse sciat et studiis suis idoneum. Itaque nunc tuam exere diligentiam, ut si 10 quem Parmae habes qui haec illi annuntiet, id meo rogatu facias et mature et diligenter et prudenter. Haec hactenus.

Dedi nuper Laelio nostro quid transcribendum, quod nuper edidi pro illustrissimo principe nostro, <ut> duos capitales inimicos ad amicitiam revocet, qui depugnaturi fuerant. Vale. 15

&lt;Ferrariae&gt; 28 octobris &lt;1432&gt;.

## 637.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 6).

Guarinus suo Stephano.

Sicut alias in te virtutes, sic tuam in amicorum rebus diligentiam ac vigilantiam commendabo, qui nunquam nisi perfecta <re> quiescis; quod nisi tuis in rebus imiter, profecto ingratitudinis reus sim et feritatis. Quocirca quid facturus sim in filium Hieronymum, testis erit ipse; in quem si taciturnus extiti, non mea quidem sponte sed necessitate tacui, nam in aliena eram

domo, ubi et alienis vivendum erat moribus et lectio invito mihi  
fuit interrumpenda; nunc quia novum sum ingressus domicilium,  
10 tibi et tuis me et res meas et operam libens ac promptus dicabo.  
Molestum est quod mihi nescio quid de praemio ineptire visus  
es, quasi non omnia tibi debeam, et voluptas ipsa, quam tibi in-  
serviendo suscipio, ingens et pretiosum mihi sit praemium.

De adulescente illo Parmensi nihil ultra facias opto, si nihil  
15 factum est; nam aliunde consulendum esse constitui rebus amici;  
tamen <quic> quid actum est, illi non deero; proinde quam  
primum ut mihi rescribas hac de re oro, quid factum ineffectumve  
sit. Libellum illum de re uxoria canibus omnibus odorabor, qui  
latet nescio quibus in vepribus; haec ipsa supellectilis permutatio  
20 totum turbavit ordinem rerum et librorum meorum. Vale, sua-  
vitas mea.

<Ferrara novembre 1432>.

### 638.

(Est. IV F 24 f. 189; Vatic. 8914 f. 40v; Rhediger. 138; pubblicata da  
me *La scuola e gli studi di Guarino* 227).

Guarini Veronensis ad Nicolaum Pirundulum iurisconsultum  
doctissimum super scriptio A. Gellii.

<Guarinus Nicolao Pirundulo sal. pl. d.>.

Gratulor atque omni capio nunc gaudia mente,  
Quod tibi tam florens hac tempestate novellus  
Filius in lucem veniat sine matre, tuos qui  
Non vultus aut membra refert, sed viva vigentis  
5 Ingenii simulacra tui et monumenta tuarum  
Fit manuum. Primis simulac stetit editus oris  
Eloquitur, teneris manat facundia labris  
Et, mirum dictu, longaevos instruit infans  
Ac doctos mulcet, clarorum gesta virorum

637, 10 dicam cod. | 11 quod] quidem cod. | 14 adolescenti cod. |  
19 super pelectilis cod. | 20 labiorum cod.

638, 3 filius: una copia di Gellio, di mano del Pironolo.

10

Explicat et mores, naturae arcana latentis,  
 Affigit stimulus animo virtutis acutos,  
 Praecipites frenat mentes, castigat inertes,  
 Nil nisi musarum docta argumenta profatur.  
 Illi floret enim generosa Pirundula proles,  
 Telemachus fortem sicut redolebat Ulixem.      15  
 Tanta viget gravitas homini, reverentia tanta,  
 Ut, nisi sit iussus, nullas ex pectore voces  
 Emittat ; iussus verecunda silentia servat.  
 O mihi contigerit tales progignere natos  
 Atque meis natis talem perhibere parentem.      20  
 Ergo progenitum nonnullis partibus ornem :  
 Quem nostras italum lingua demittis ad aedes,  
 Accipe et eloquium fundentem ex ore pelasgum.  
 Vivat et aeternum felix in saecula nostrum  
 Nomen amicitiae memori canat ore futuris,      25  
 Usque legant ut te vinctum, Nicolae, Guarino.

<Ferrara 1433>.

### 639.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 16<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis Ugoni suo s.

Gratias ago Gellio meo, cuius ope atque opera rem tibi gratam fecisse contingit mihi ; quibus pro meritis hoc illi praemii reddas volo, ut cum primum voluntati tuae morem gesserit, redditum ipsi pares in patriam ad patronum suum vel clientem potius, nam saepe numero me tuetur me iuvat et causam meam defendit ac studiis meis praesentem affert opem. De hoc satis. Io<hannis> causam tibi suscipias oro eumque et me Iacobo Ziliolo multum ac saepe commenda. Vale, Ugo suavissime.      10

<Ex Ferraria IIII non. dec. 1433>.

23 Guarino inserisce i passi greci nel testo latino di Gellio | 26 iunctum ?

639, 2 gillio cod. | 4 redditum cod. | 8 tuam cod. | Ia. Zill. cod.

## 640.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 17<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis Iacobo Ziliolo sal. d.

Iohannes de Panzaticis quaedam negotia sibi permagna et necessaria habet cum d. marchione, pro quorum explicatione cum multi scribant ex proceribus nostris, ipse tamen cognoscens ami-  
 5 citiam quam tu mihi tecum fore voluisti, duo speravit: me apud te multum posse et te apud marchionem; quare a me petiit ut negotia sua maiorem in modum commendarem, quod facio equidem ex corde, rogans atque obsecrans ut meae istae litterae favorem tuum propensissimum illi afferant et fructum illi pariant opta-  
 10 tum. Vale et me ama ac te a me unice amari persuade.

Ferrariae IIII nonas decembbris &lt;1433&gt;.

## 641.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 12<sup>v</sup> ).

Guarinus suo Stephano Todescho sal. pl. d.

Apud alium reddenda esset tantae dilationis ratio; sed tu qui meae causae faves, priusquam defensionem meam accipias, absolves et purgabis me, scio; dices: « Guarinus non tarde qui-  
 5 dem, sed multo in tempore scribit ». Cupiebam autem uno im-  
 petu et tibi de litteris et mihi de mandatis tuis satisfacere. Cete-  
 rum conatus sum incassum et nostra delusa est opera de re uxoria  
 domini L<aelii>; nam omnibus admotis machinis turris inex-  
 pugnabilis existit, puellae mater impotentiam suam excusat prop-  
 10 ter Padi inundationes, cui cum multa respondentur, nihil ta-  
 men exuti potuit, nisi nolle se. Addidi et auctoritatem illustris-

640, 1 zilio cod. | 4 cognosceres cod. | 10 a me] ama cod. | 11 flo-  
 rentie cod.

641, 4 scio dices scio cod. | 7 in eissum cod. | 8 due L cod.

simi viri Leo<nelly>, qui non secus <ac> pro eo tu faceres diligens fuit: deus meliora velit, nondum praeteriit Laelii maturitas.

Tuam in rebus meis diligentiam et accuratissimam operam 15 laudo, quarum testes adducis litteras iurisconsulti Ugo<lini> Cante<lli>, cuius amor omni ex parte se aperit et effundit; ei, ut scribis, mittam <aliquid> litterarum, ne cum ingratiss « sibi 18. *Ter. Ph. II 2.* operam ludi » credat. Vale; valemus et nos omnes.

Ferrariae VI idus decembris <?>.

20

## 642.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 18<sup>v</sup> ).

Guarinus optimo iurisconsulto d. Nico<lao> sal.

Optima ratione abs te factum est quod in adventu Stephani mei litteras ad me dedisti, ut omni ex parte cumulatior esset hominis amicissimi laetitia: ita enim non solum humanissimum Stephanum, sed et tuum venerabile caput complecti visus sum. 5 Gaudeo quoque meam in brassicis servare memoriam, ut hoc pacto crescentibus illis meus in te crescat amor et tibi non modo in corde sed etiam in ore verser.

Laelium libens accipio quem mihi commendas, ut cum meo animo sponte iocundum id esset officium, tibi quoque morem eadem in re gererem, quem in primis amo diligo colo. Laelius magnam prae se fert spem, ut bonas ingenii fruges edat. Vale, vir honorifice.

<Ferrara>.

---

12 eo tu] actu *cod.* | 13 Le *cod.* | 17 Ugonis *cod.* | 20 XI *cod.*

642, 6 meum *cod.*

## 643.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 6<sup>v</sup>).

Guarinus suo Stephano s.

Licet tua mihi benivolentia cognita et perspecta foret et multis in causis \*\*\*\*\*

<Ferrara>.

## 644.

(Marc. it. X 349, autogr. di A. Zeno, e Marc. lat. XIV 221 f. 35: dal cod. Sambonifacio, cfr. Segarizzi in *N. Archiv. Ven.* XX, 1910, 81: pubblicata in parte da me in *Museo di antich. class.* II 424).

Guarinus Veronensis comiti Ludovico sal.

Etsi iocundissimae mihi semper futurae sint litterae abs tua magnificentia profectae, tamen tuum incusare silentium non audeo, ne accuser eodem abs te crimine. Lactantium fateor mihi esse optimum si quis alter in tota sit Italia, quem non mitto, quoniam cum hic sit vir quidam admirandus frater Albertus. eo utitur hoc tempore usque ad pascha; deinde tuo uti poteris arbitratu, nam mea omnia tua sunt. Quam autem vir ille est potens vita et sermone! quanta rerum omnium notitia, quanta scripturarum et gentilium et divinarum intelligentia, quae dicendi copia, quae in vitia fulmina sunt! Vale compater magnifice.

Ex Ferraria XXIIII martii 1434.

643, 3 *causis*: a questa parola la lettera si tronca: segue poi nel codice immediatamente questa chiusa della lettera di un ignoto a Feltrino Boiardo: amicitiam venero. quoniam. ut non ignoras. maxima laus est viris placere e <l>arissimis. Vale et si tuas ad me dabis litteras. ut te facturum existimo. eas semper mutue benivolentie testes habebo. Vale. Ex Venetiis idus (sic) quintilis 1429. Insigni ac clarissimo equiti d. Feltrino Boiardo prefecto tr. (?) Mutine dignissimo.

644, 8 qui cold.

## 645.

(Marc. it. X 349 autogr. di A. Zeno, e Marc. lat. XIV 221 f. 35: dal cod. Sambonifacio, cfr. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX, 1910, 82).

Ad Guarinum Veronensem decus italicum dominum compatrem honorandum suum suus Ludovicus comes S. Bonifacii s. p. d.

Ex quo tuas litteras accepi, sepenumero cogitavi quomodo effici possum filius illius divi fratris domini fratris Alberti de o<rdine> m<inore>, quem summe bonum habeo tum fama 5 tum multorum indicio, tum et (quo ipsum mihi pluris facio) quod tuis in litteris sermone et opere laudasti; quandoquidem accurate et legi et perlegi ac magna cum diligencia perspexi, non in minimis suarum laudum fore puto cum tanti viri, ut ipse es, iudicio tanta laude probatur. Quare te mihi honorandum et compatrem 10 et concivem et precor et oro me suum facere velis, quem sibi filium visurus huc accedere velit, cum ad has partes navigaturus est, a quo ut oret ad deum pro me impetrare in animo est.

Vale in Domino, decus iubarque virorum illustrium. Si Lactantius ad te remeavit, ipsum precor da Georgio modo presenti 15 mihi assignandum, qui armiger est Mucii Reguli: ipsi enim hoc ut agat coimisi.

Ex Lendinaria aprilis VIII 1434.

## 646.

(Marc. it. X 349 autogr. di A. Zeno. e Marc. lat. XIV 221 f. 35v: dal cod. Sambonifacio; pubblicata in parte in Quirini *Diatriba* 228 di sul cod. stesso; cfr. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX, 1910, 82).

Guarinus cl. v. comiti Ludovico sal.

Tuus in me amor cum omnibus in tuis tum vero proximis sese litteris ostendit. Nam nisi tantopere me amares, haud tam

645, 15 remeabit *codd.* | 16 assignando *codd.*

646, 2 cum] tum *codd.* | in tuis] in locis *vel* in lacis *codd.* Forse il testo primitivo era: cum omnibus in litteris tum vero proximis sese ostendit.

magnifice de me sentires et loquereris: nam qualem me velis,  
 5 de tali verba laudesque disseminas. Gaudeo plurimum meum tibi  
 probari iudicium de viro sancto et doctissimo veroque Iesu Christi  
 praecone fratre Alberto, de quo haud nie fallit amor, quoniam  
 recte de homine iudicaverim. Nam in dies maior de illo me  
 tenet admiratio; in eo sexcenta sunt laude vel stupore potius di-  
 10 gna, quorum si pars mediocris in altero esset, divinitus datum  
 et de caelo lapsus praedicaremus hominem. Ego si quid recte  
 sentio, apostolicum vere dixerim virum vitae integritate, appetitus  
 sobrietate, spiritali acumine et intelligentia scripturarum. Bone  
 deus! quis dicendi ordo, quae claritas, quae vocis flexibilitas sive  
 15 lacrimae sint excutiendae sive terrores infligendi. Apud eum  
 adhuc Lactantius hospitatur, qui ut in suos redierit penates, « pro-  
 missa faciam ut tibi appareant mea »; quousque eo uti frater <sup>Ter. Eam. II 3</sup>  
 19 Albertus statuit, visum non est ut illum repetam. Nunc ad eum  
 iter arripio ut tui nominis legatione fungar et eum in tuum in-  
 20 vitem hospitium, sicut illum benignissime invitavimus. Vale vir ma-  
 gnifice.

Ferrariae XII aprilis 1434.

### 647.

(Marc. it. X 349 autogr. di A. Zeno, e Marc. lat. XIV 221 f. 36v: dal cod. Sambonifacio; cfr. Segarizzi in *N. Archiv. Ven.* XX, 1910, 82; pubblicata in buona parte da me in *Museo di antich. class.* II 424).

Guarinus Veronensis pl. sal. d. domino Ludovico veronensi  
 comiti.

Doleamne an laeter quod Lactantium tibi non miserim, ne-  
 scio. Nam non obtemperare tuo imperio, vir magnifice, acerbum  
 5 inibi est, cui omnia debeo non solum pro viribus, id enim com-  
 mune est, sed etiam supra vires, quod singularis amicitiae nostrae  
 proprium est. Non misisse autem fecit tuarum me compotem lit-

8 in dies: qui comincia il Quer. | 14 qui Quir. | charitas cold. |  
 15 infligendi: qui finisce il Quer.

647, 1 Guar. Ver. p. s. d. d. Lud. viro comiti cold.

terarum, quas pro mea in te observantia et colo et amplector,  
qui sane fructus inobedientiae dulcissimus. Qui si causas audire  
tarditatis meae et volueris, laudabis moram. Doctissimus vir et 10  
mihi singulari devinctus amicitia Scipio Mainens ex Basilea de-  
talit unum Lactantium, volumen vetustatis paene decrepitae, ex  
quo nonnulla meo, vel potius nostro addere mens erat, quae re-  
liquis deesse dicuntur. Id curabo facere et quidem mature, cum  
redierit nuper ex Bononia, ubi doctoratus sumpsit insignia; quo 15  
facto tuas in manus Lactantius ipse pervolabit. Vale nobilitatis  
splendor et feminae primariae comatri meae me uxorem liberos-  
que commenda tuque ut facis me ama.

Ferrariae VIII iunii 1434.

## 648.

(Marc. it. X 101 f. 246 autogr. dell'Alecchi, e it. X 349 autogr. dello Zeno :  
dal cod. Sanbonifacio, cfr. A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 82 ;  
pubblicato di sul medesimo codice un periodo in Quirini *Diatriba*  
CCXXVIII. Combino insieme tutte queste fonti).

Ludovicus <comes S. Bonifacii> Guarino <Veronensi>  
oratorum summo pari <s. p. d.>.

Per Iohannem presentem tabellarium meum. « Gli rimanda  
il codice di Lattanzio » (*Institut.*). « Per la correzione di Lat-  
tanzio esibisce al Guarino due opuscoli, che si ritrovavano appresso 5  
di se, del medesimo autore, ciò è De ira dei e l'altro De opifi-  
cio humano ». « Gli domanda Aulo Gellio de Noct. Att. ».

Noster Barbarus illustris Franciscus imperialis miles hue  
(``cioè per Lendinara``) heri (``cioè adi 1. ottobre``) transiit  
Veronensis pretor, cum quo sermonem in longum traxi, ut hac 10  
nocte hic moram traheret, quod equidem nequivi: quo dolui, sed  
attamen morem suum consuetum gerens benignus ac prudens,

---

19 XVIII lo Zeno, ma la cifra X pare toccata.

quod equidem noscis, ad Villam Bartholomeam tuam accessit,  
ubi in domo tua familiariter hospitatur.

15      <Lendinara 2 ottobre> 1434.

### 649.

(Marc. it. X 349 autogr. dello Zeno, Marc. it. X 101 f. 246 e Marc. lat. XIV 221 f. 34: dal cod. Sambonifacio, pubblicata in parte in Quirini *Diatriba* 228 di sul medesimo cod.; cfr. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX, 1910, 82).

Guarinus Veronensis magnifico Ludovico comiti S. Bonifacii sal.

Sexcentas ego tibi gratias et innumeras tibi laudes debeo  
pro tuis tam liberalibus tamque omni laetitia cumulatis litteris,  
5 quas una cum Lactantio misisti. Vere illae lacteae summo me  
referserunt gaudio, quarum illud <prae*cipue* me delectavit>  
quod illustris viri Barbari mei iter nuntiasti, cuius sapientia vir-  
tute humanitate Verona nostra florebit, colles ipsi virebunt, flu-  
vius sudabit mella cum lacte, muros ipsos arrisuros videre vi-  
10 deor: pro quibus quidem meritis tuis et tam laeto nuntio totum  
me tibi voveo dedoque. Lactantio nostro gratias « mille per oscula  
dixi » quod tuae magnifica*e* voluntati morem gesserit et operam  
suam tibi promptissimam impenderit. Quod duo alii codices Lae-  
tantii apud te corrupti sunt, laetor plurimum et illis gratias haheo.  
15 quando ut tuae magnificentiae inserviam causam occasionemque  
dederunt; quid enim malim quam te mea opera indigere? Ut  
sis sciens, compater honorande, est utrumque mihi volumen tam  
emendatum, manu mea scriptum, ut nihil supra: domi autem in  
praesentiarum non sunt; <ut> vero sese in proprios lares rece-  
20 perint, tu eis utitor et abutitor tuo pro arbitratu. An Gellium

648, 15 L'anno è dato dal solo Zeno in 1438: ma si tratta di un errore evidente.

649, 3 ago? | ego tibi om. Quer. | laudes tibi Quir. | 5 lacteo Quir.  
Allusione etimologica a *Lactantius* | me om. Quir. | 11 dedoque: qui fi-  
nisce il Quer. | 18 domi autem] denum ocium *codd.*

habeam quaeris? habeo quidem sordidum, veste pannosa et bom-  
bicina indutum tunica, sed adeo veridicum et magna ex parte  
emendatum, ut eum pro Croesi opibus et auro Midae mutaturnus  
non sim. Hui! quid dixi « habeo? » « habemus » volui dicere,  
nam tuus non minus quam meus est iare tuo in me, qui non 25  
modo libros sed etiam liberos tibi mancipatos facio dedoque. Quot  
sint, scire cupis? novem inquam; mox, ut deo duce spero, deci-  
mum expecto: quos tibi una et parentes suos tibi commendo.  
Vale vir generose.

Ferrariae 13 octobris 1434.

30

His annexas, ut primum licet, mittas oro. Ores et exores fi-  
lium nostrum chrismati offerendum ut mora illi gravis non sit;  
faciam meum in eum officium cum aliquid <temporis> furari  
potero. Nunc vides vocantem me Barbarum, ut eum aliquot diebus  
visam; non nunc quidem, sed cum laetiores arridebunt dies, quo 35  
tempore iter tua Lendinaria habere constitui.

## 650.

(Ferrar. 90 NA 3 f. 1; 135 NA 5 f. 46<sup>v</sup>; Regin. 1612 f. 26; pubblicata  
dal Martene *Amplissima collectio* III 874).

Cl. Guarini Veronensis sancto dei praecconi fratri Alberto  
Sartinanensi prologus in vitam S. Ambrosii archiepiscopi medio-  
lanensis.

<Guarinus Veronensis> sancto dei praecconi Alberto Sar-  
thianensi <sal. pl. d.>. 5

Vetus mos, Alberte pater, cum apud maiores nostros tum  
vero in hanc usque servatus perdurat aetatem, ut qui laeta et  
opipara celebraturi sunt convivia, ad eos munera deferantur, quae  
cum honori et laudi tum auxilio et apparatu sint nec minus  
intimae familiaritatis argumento simulque perpetuam amicorum 10  
recordationem tutentur ac renovent. Ut eorum vestigia probatam-

---

35 Aveva stabilito di andare a Verona per la via di Lendinara.

que imiter consuetudinem tua me inpraesentiarum sanctitas invitat. Nam cum eximias in dies epulas extractamque mensam apponas, non erit absurdum si mea pro tenuitate quipiam tibi liberalitatis impertiar, quippe qui tot hominum millia coram te discubentium quotidianie cernam, quorum gustum tot caelestibus condimentis oblectare, famem saturare, sitim explere et vitam immortalitate donare contendis. Proinde nostris ex hortulis flores quosdam fructusque delectos tuae paternitati pro munusculo perinde ac bellaria concinnavi.

Cum enim inter disserendum saepius intellexerim quanta devotione observantia admiratione magnum illum prosequaris Ambrosium, nonnulla de illius vita quasi « summa rerum fastigia » inter legendum graece scripta comperi, comperta converti, conversa tibi transmisi. Ubi non admirari non poterit lector humilis atque devotus percurrens inauditum fidei fervorem, generosi animi pro religione fiduciam, in potentes auctoritatem, subinde fortissimorum pro Christo pavorem, terribilium oboedientiam, incredulitatis supplicia. Quae cum in exornando amplificando probando declara rando variam dicendi suppeditare valeant materiam, non inutilia coenae meo quidem iudicio fore duces. Sic enim sentio, sic mihi non temere ut videor persuasi: nisi multiplici lectione et omnis generis inspiciundis scriptoribus tua locupletaretur et redundaret oratio, te adeo disputando pollere nequivisse, ut in detegendis insectandis extirpandisque criminibus miniteris deterreas ex cascadas tones effulmines, qualem de Ulysse vim copiamque disse rendi Homerus cecinit: « e cuius ore verba veluti nivales nimbi fluebant et densius ingruebant »: quanquam adiuvante mentis innocentia integritate et divinae maiestatis ardore, velut a fonte, illa manare non ignorem vel Flacco testante: « si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi ». Subinde si leniendi sint animi et studium pietatis inserendum, blanda vox, paterna monitio, lenis ubertas invitat deducit pollicetur affirmat, ut quantum illa fulgurare et detestari, tantum haec placare et placere videatur: hinc terrorem incutiat, hinc lacrimas excutiat. Id ipsum grande atque arduum magno cuiuspiam eloquentiae vel parenti vel magistro vi-

Verg. Aen. 1  
342.

17. III 222.

A. P. 102.

650, 18 donari *Vat.* | 30 dicenti *Vat.* | 36 dicendi *Mart.* | 38 densius] saepius *Vat.* | 41 sunt *Ferr.*, *Mart.* | 43 illa *scil.* vox.

<sup>Cic. de or. I</sup>  
30. sum est: « nec vero mihi quicquam, inquit, praestabilius videtur quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes alicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit ducere ». 50

Quo fit ut te ipso nonnullisque similibus Iesu Christi ministris, qui pauci admodum restant, haec aetas gloriatura priorum saeculorum, quibus Christi ecclesia floruit, ante oculos atque aures nostras repraesentet imaginem. Nec vero mihi succenseas aut

<sup>Cic. ad fam. V</sup>  
12, 6. ulla assentationis suspitione me notandum existimes velim, quia te in facie laudem « cum magis qui taceat invidus quam qui laudet assentator » appellandus sit. Primum quidem <quia>, Alberte pater, admirandis operibus dei ac beneficiis gloriari et gratulari tecum licet, qui tales, sicuti stellas, verbo potentes et opere exoriri educari augeri viros et fidei christianaे paecones fecit; deinde quia huius qualiscunque epistulae testimonio, quae fortasse beati Ambrosii comitatu vivet, commonefacienda fuit po-

<sup>Verg. Aen. VII</sup>  
642. steritas « quantis Itala iam nunc floruerit terra alma viris », qui collabentem ferme dei civitatem in hoc peregrinantem saeculo quasi columnae fulserint solidisque corroboraverint fundamentis. Fas nanque fuerit hos annos more prisco quasi paeclaris insignire consulibus, Bernardini et Alberti et aliorum complurium excellentissimorum sane hominum commemoratione, quos enumere longum esset. De his hactenus.

De Ambrosio iam audiamus, quem disseminare tuum erit, ne tenerum et nuper orientem deleat oblivio. 70

<Ferrara quaresima del 1434>.

Explicit prologus. Incipit vita et actus beati Ambrosii.  
Valentinianus post Ioviani obitum.

---

49 velis *Ferr.* | unde autem velit *Vat.*, *Mart.*, om. *Ferr.* | 63 peregrinante *Ferr.*

## 651.

(Vatic. 1875 f. 184<sup>v</sup>; 1877 f. 319; Palat. 918 f. 95<sup>v</sup>; Guarner. 84 f. 158<sup>v</sup>;  
Ferrar. 16 NA 1 f. 20<sup>v</sup>; Macerata 365 f. 119; Canon. lat. 173 f. 89;  
270 f. 118<sup>v</sup>; pubblicata in parte in Fr. Barbari *Epist. ed. Quirin.*,  
*Append. p. XXXVII*). •

Guarinus cl. v. Francisco Barbaro sal. d.

Manuel Chrysoloras suavissimus praeceptor noster et cum  
magnarum rerum scientia tum exactissima vitae norma vere  
philosophus suos crebro instituere discipulos solebat, ut eorum  
5 studia et bonas artis, quemadmodum et reliqua, ad liberalitatem  
ac munificentiam impertirent, ad quod benignissimam parentem  
naturam imitarentur: eam enim omnia, quae animantibus usui  
essent et commodo, in medium lucemve ita proferre, ut susci-  
pere volentibus in promptu facile sint. Hos ego quantum pro  
10 mediocri ingenio datur, sectari dum nitor, si quid e me frugis epul-  
lurat, in commune libens effero; idque cum alias, tum proxime  
in edendo Phocione nostro factito, quem ex Plutarcho latine in-  
terpretatus ad te misi, non quod eo latino magis quam graeco  
delectari te posse iudicem, cum utranque linguam probe calleas,  
15 sed cum apud te in alto dignitatis gradu collocatus fuerit, cunctis  
decepere cupientibus longe magis pateat faciliorque collectu fiat.  
Accedit ad gratiam: nam cum ad hanc tibi praeturam hic quae-  
storem offerat, ille magistrum epistularum, alter cubicularios, qui-  
dam eum qui praetoris vices obeat atque alius ministros alios,  
20 omnes fere amplius quid amicis quam quid tuae dignitati condu-  
cat animo advertunt. Ego qui eximio in te amore immo pietate  
nemini concedo, immunis ad hosce tuos fasces ero? indignum  
sane. Tibi itaque Phocionem adduco, fidelem profecto et sapien-  
tem pacis atque belli consiliarium, in quibus quidem artibus adeo,

---

651, 1 *vel* Guarinus civis Veronensis Francisco Barbaro pretori de-  
signato s. d. *codd.*, Vita Phocionis e Plutarcho greco per Guarinum Ve-  
ronensem in latinum traducta incipit *Guarn.* | 3 *vel* sanctissimae (do-  
cissima) *codd.* | 5 *vel* artes *codd.* | *vel* et *codd.* | 11 *vel* offero *codd.* | 17  
*vel* accedat *codd.* | 18 *vel* offerat *codd.* | 23 *rel* addico *codd.*

uti nosti, mirifice excelluit, ut nescias fortissime ducis et strenui 25  
militis an prudentissimi senatoris et boni oratoris laudem magis  
illi tribuas. Ei vero tantum inest modestiae, ut nunquam nisi  
iuussus sermonem sit habiturus: adeo ne molestus habeatur sub-  
veretur.

De his satis; Phocionem ipsum si libet audiamus. 30

<Ferrara agosto 1434>.

## 652.

(Arch. di Stato in Modena; cfr. A. Cappelli in *Giorn. stor. d. letter. ital.*  
XIV 6).

<Giovanni Falconi a Guarino>.

Ricordo ad voi, messer Guarino, i mini de Coimentari sono quindici: quatordeci i grandi et uno mezzano; montano in tutto centoquarantacinque soldi; one havuti cento, resto ad avere quarantacinque, come vedete. Pregovi per dio gli abia inanti sabato, 5 che vo comperare alcuna cossa ad me necessaria. Quando con tempo achade recomandatemi al mio illustre Signore messer Leonello.

<agosto 1434>.

## 653.

(Ottob. 1677 f. 245v; Tioli XXII p. 180 dal medes. cod.).

Guarinus Veronensis cl. v. Alberto sal.

« Quas tibi quas reddam tali pro munere grates? » Tu laudi tu dignitati tu gloriae meae, si qua esse possit, studies assidue et quantum in te est me ornare meque amplificare non desinis. Quae omnia magnae mihi sunt laetitiae, immo vero et felicitati; 5

---

31 Explicit Phocionis vita. Martis die. 20 decembris 1435 Vat. 1877.

nam quid optabilius quid melius, quam clarorum praestantium et omni laude praeditorum studia favores et tui similium benivolentiam assequi? Alii fortunas potentiam ceteraque id genus quaerant, ego vero hisce contentus opibus vitam beatam exigam.

10 Quod autem ad tam honorificum me invitas praeclarissimae civitatis nomine officium, gratias et interpreti tibi et amplissimae civitati maximas habeo. Hoc enim munus non modo ad meam sed etiam ad filiorum laudem uti splendor eximus pervenit ac late disseminatur. Quocirca me ac meos honori decori gloriae civita-

15 ti< s > vestrae immortaliter devinxistis, ita ut nihil sit quod illi non debeamus acturive pro ea simus, modo vires suppetant. Hoc autem tempore, quod illustri principi d. Leonello dicavi, votis vestris respondere non licet; vos vero me ac meis vestro pro arbitratu utamini licebit. Vale mi Alberte et me tuum ama.

20 <Ferrara 1433-1434 ?>.

## 654.

(Ottob. 1677 f. 246v ; Tioli XXII p. 181 dal medes. cod.).

Guarinus Veronensis cl. v. Alberto sal.

Si ex duobus mandatis alterum absolvero, omnino me consumacem aut voluntati tuae adversantem vocare minime poteris, ut altero quidem lacteris, altero patientiam, quae optima virtus 5 tum est, habere pergas. Ecce primum Epistularum quinternum; plures missem, ceterum saepius tuae me visitent litterulae ve- lium, quas in petendo mittes. Platonis vitam transcribendam com- modaveram, quae ut primum redierit ad penates, ad te volare faxo. Vale decus meum et humanitatis exemplum et exemplar.

10 <Ferrara 1433-1434 ?>.

---

654, 7 commodaveram] edideram cod. (credideram?).

## 655.

(Trivulz. 643 p. 164; Ferrar. 133 NA 5 f. 1<sup>v</sup>; Riccard. 924 f. 206; Novar. Capitol. 122 f. 176<sup>v</sup>; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 98<sup>v</sup>; Palat. 1592 f. 79).

Guarinus Veronensis Luchino Belbello sal. pl. d.

Cum summam tuis ex litteris voluptatem caperem, accessit  
quasi vesparum aculeus, qui in postrema me parte acerbo ictu  
pungeret; te nanque minus belle habere nuntiant, quod pro no-  
stra incohata nuper amicitia mihi quoque commune duxi. Ut igi- 5  
tur omni me ex parte valere recte facias tuam curabis diligenter  
valitudinem teque omni ratione pristinae restitues sanitati, in qua  
et ipse valebo: res enim amicorum communes esse convenit. To-  
biolus sese in patriam rettulit; itaque mandatis tuis minus ob-  
sequi valet; ego autem pro eo « sua munera inibo », repperire cu- 10  
rabo librarium quempiam cui exscribenda committam quae habere  
optas. Vale dulcissime Belbelle.

Verg. Aen. V  
846.

Ex Ferraria 4<sup>o</sup> nonas octobris <1433>.

## 656.

(Trivulz. 643 p. 165; Ferrar. 133 NA 5 f. 1<sup>v</sup>; Palat. 1592 f. 79<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis Luchino Belbello sal. pl. d.

Gaudeo ac mirifice totus exhilaror, cum tibi tantopere pla-  
citum me esse intelligo vel tuarum testimonio litterarum, et ea  
potissimum amicitia esse coniunctum quae non muneribus con-  
flata sit, sed tua virtute et nonnulla de meis moribus opinione, 5

---

655, 2 *vel* ex t-l-, *vel* ex l-t- *codd.* | 5 *vel* nuper *om. codd.* | 6  
*vel* me omni ex p-val-recte fac- (*vel* me valere fac-) *codd.* | 8 *convenit*  
*vel* debent *codd.* | 9 *recepit* alias *retulit* *Ien.* | 11 *quempiam*] *vel* unum  
*codd.* | 13 ex Ferraria 4<sup>o</sup> octobris *Ferr.*, ex Ferraria 4 nonas novembris  
*Triv.*, ex Ferraria *Palat.*, *om. rell.*

656, 2 *quom* *Ferr.*

cum haec sapientibus attributa sit, illa etiam pecudibus quas lanitii sui fructu caras esse pastori constat et patri familias. Est vero gratum in primis si quid aut facio aut feci, Belbelle, quod tibi vel iocundum vel amoenum sit; cum tua istorum morum suavitas et modestia sic merita de me sit. Gratissimas habiturus sum litteras Vegii viri praeclari et iurisconsulti disertissimi, quem et amo et veneror cum sit huius aetatis lumen et litterarum decus. Cordi sunt Epistulae, modo librarium nactus sim qui tuae morem gerat honestissimae voluntati. Vale et claris viris Vegio et Patrimitae me totum commenda atque trade. Ludovico meo salutem dic, quem in dies expecto, cum ab litibus eum solutum audiām. Vale iterum mel meum.

Ferrariae idibus novembbris <1433>.

### 657.

(Trivulz. 643 p. 164; Riccard. 924 f. 206; Ferr. 133 NA 5 f. 1<sup>v</sup>; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 98<sup>v</sup>; Palat. 1592 f. 79<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Luchino Belbello filio suavi sal. pl. d.

Geminis provocatus abs te litteris ingratus fortasse tibi videor qui accepta non reddo, cum debuisse « agros imitari fertiles qui multo plus reddunt quam acceperunt ». Ceterum non defuit grata mens, at defuere nuntii, quibus ad te litteras darem; nam licet te Mantuae moram trahere didicissem, tamen quem in locum epistulam dirigerem non intelligebam. Itaque cum litterarum tarditatem reprendas, tarditatis causam ut confido probabis, cum certe animus ipse tecum fuerit tuque in dies mihi ante ocu-los versare vel in ipso Salustio quem mihi dono misisti. In eo nanque tuae liberalitatis imago animo atque oculis obversabatur,

Cic. de off. I  
48.

---

9 ista Ferr. | 10 modestia de me merita sit Ferr. | 11 peritissimi Ferr. | 16 vel abs codd. | absolutum Ferr.

657, 2 vel forte codd. | 3 deberem Triv. | 4 vel acceperint (vel accipiunt) codd. | 5 grato grata Ferr. | 8 vel reprehendas codd. | vel comprobabis codd. | 10 vel versare (versere, versaris) codd. | vel] videlicet aliqui codd. | 11 vel obversatur (observabatur, observatur) codd.

pro cuius doni meritis quas tibi gratias referam non video, praesertim cum iniquum esse videatur ut pro rebus verba reddantur. Me autem ipsum tibi dono; tu me suscipe « et usu et possessione » tuum.

15

Si quid habes de Ludovico nepote meo libens sciam, iamdudum enim nihil de homine sentio, quod mihi animum sollicitum reddit. Vale.

Ferrariae nonis februarii <1434>.

## 658.

(Trivulz. 643 p. 169; Novar. Capitol. 122 f. 164v; Palat. 1592 f. 81v; Riccard. 924 f. 188; Ferrar. 133 NA 5 f. 2; Parig. 7059 f. 24; Iena Bud. 4.º 105 f. 29v; Harleian 3568 f. 80v; pubblicata da me *Guarino Veron. e gli archetipi di Celso e Plauto 53 e Storia e critica di testi latini 340*).

Guarinus Veronensis Luchino Belbello sal. pl. d.

Tu non parvas spargis querelas quod nullas a me acceperis;  
 Catull. 66, 31. et recte quidem, nam cum « amantes non longe a caro corpore abesse velint », solis possunt praesentes fieri litteris. Sed istas querelas in tabellarios evomas, vel adiuvante me facito, qui quasi 5 hostes amicitiarum sunt et quibus omnes benivolentiae professores bellum indicere debuissent. Verum enim vero cum tuis ex litteris commonefactus essem olim te Mantuae domicilium habere, eo meas super*iores lit*eras dimisi; itaque male de me suspicari desine et, salvo et inconcusso amore nostro, culpani in 10 meritos reice.

Tuam in me dilectionem ac diligentiam aperis cum alias tum de ipso Salustio, quem et olim ad me misisti et deinde missurus eras, nisi Panormita intercepisset, cuius materiae mentio me singulari afficit tristitia. Nam cum eum kalendis graecis redditum 15

---

12-13 pro cuius - reddantur *om.* *Ricc.*, *Nov.* | 19 La data è del Ferr. e del Palat.

658, 1 *vel* Balbello *codd.* | 2 *vel* receperis *codd.* | 4 *vel* possint *codd.* | 7 *vel* quom *codd.* | 8 *vel* olim essem *codd.* | 9 meas *seper* (*supra*) terras *codd.* | 14-15 cuius mentio me singularis afficit tristitudo *Triv.*, *Nor.*, *Ricc.*, *Ien.*

dicas et is Plauti comoedias novissime repertas a me abstulerit ei commodatas, quo in moerore vitam ago cogitabis. Tu igitur me certiorem facito prorsusne irrediturus abierit; quod si est, perii funditus. Utinam mors fera quae cuncta rapit et Panormi-  
20 tam rapuisset, ne meas raperet comoedias. Mortiferos illos Vegii versus contemplatus sum, in quibus cum mortales sententias, tum vero idem proposita ad tam diversa concinnatum non mirari non potui immortalitate dignum ingenium.

His inclusas mittas oro vel tuis expensis, ut de nepote meo  
25 Ludovico amantissimo quicquam discam, cuius litteras iam dudum frustra expecto; confer hoc in me singulare beneficium.

Vale et Vegio meo me commenda et Catoni viris insignibus et optimo viro d. Iohauni Alexandrino.

Ferrariae V kal. martias <1434>.

30 Nullus hic prorsus librarius reperitur, quo fit ut tuis votis tardus videar.

## 659.

(Ferrar. 133 NA 5 f. 2; Palat. 1592 f. 81<sup>v</sup>; Parig. 7059 f. 24<sup>v</sup>; Harleian 3568 f. 81<sup>v</sup>; pubblicata in parte da me *Guarino Ver. e gli archetipi di Celso e Plauto 54 e Storia e critica di testi latini* 339).

Luchinus Belbellus Guarino patri suo sal. pl. d.

Cum ex Villarasco vico hue redditum meum acceleraverim  
repente nihil mihi de te cogitanti littere tue allate sunt, que tanta  
dicendi facilitate valuerunt tantoque verborum ornatu ac senten-  
5 tiarum gravitate, ut non ex viro doctissimo et eloquentissimo,  
sed ex eloquentie fonte profectas intelligam. Accidit tamen pre-  
ter opinionem ut quicquam tuarum mihi afferri debuerit, cum

17 vitam angi *Triv.* (an vitam agam?) | 18 irrediturus: cfr. 544, 31 |  
19 vel quae fera *codd.* | 22 propositum *codd.* | 26 vel in me hoc *codd.* |  
29 martias] ian. (ianuarii) *Triv.*, *Ferr.*, *Harl.*, om. *rell.*

659, 2 quom *Ferr.* et sic semper | villa Raschio (vilerasco, vilerasce)  
*codd.* Oggi Villarasca in provincia di Pavia | *rell.* accellerarem  
(celeraverim) *codd.* | 6 tamen] *vel* tum *codd.*

meas tabellariorum perfidia in sinistrum evasisse usque adeo crediderim ; que causa est ut pro vicibus redditis abs te meis et pro humanitate et benivolentia qua mecum semper usus es, tibi 10 debeam ac obligatus sim perpetuo.

Affecerunt he quidem me sumnia ac singulari tristitia, cum ob maximum dolorem quem in dies pateris de tam diurno silentio ad te Ludovici nepotis, tum vel tuarum Plauti comediarum amissione ; quibus rebus satisque superque memorie mandatis 15 non doleo tecum sed excrucior, non excrucior sed pereo funditus. Dii etiam mulcent atque puniant qui huiusce nostri angoris ac solicitudinis partes sunt ; turpe enim et odiosum genus est, qui cum semper coniunctissime et amantissime vixerit quicquam acerbitatis animo allatum iri. Quod autem a me petis de Panormita 20 an irrediturus abierit, non te certiorem faciam, cum ipse nesciam de talium opinione iudicare, que quidem qualis sit non dicam : balbus enim sum. Omnem sane is supellectilem suam bibliothecamque secum traduxit, redditum tamen se vulgo dixit : puto autem, ut superioribus ad te meis intellexisti, kalendis grecis. 25 Habes et de hac re quod ipse habeo ; tu pro virili tua desine tristari : quo in merore sis cogito.

Versus quosdam, quos principi nostro Mediolanensium Veginus poeta cl. consecravit iampridem, ad te mitto; elegantissimos quidem et suspicione tua dignos ; non enim ipsi abhorrent a 30 nominis interpretatione. Solis quidem instar splendescunt, quibus nil pulchrius nil suavius nil denique clarus ac magnificenter legi ac videri iudicio omnium potest. Hec hactenus. Litteras tuas ad Ludovicum nepotem aut mittam aut ipsarum allator ero. Veginus totus tuus est, quotidie de te sermonem usurpat tuum- 35 que non amicum <se> sed filium magna tui cum commendatione palam apud omnes profitetur. Vale ; si vales « nostre causa salutis eris ». Iterum vale spes paterna.

Ex Ticino XIII martii <1434>, sequenti die post tuarum oblationem.

40

---

12 *vel* et *codd.* | 19 *vel* vixerint *codd.* | 21 *vel* redditurus *codd.* |  
13 balbus] Belbellus *Palat.* | bibliothecam quoque *Par.*, bibliothecamque *Palat.* | 25 habes hac de re *Palat.* | quidquid *Ferr.* | 30 susceptione *Par.*, *Palat.* | 32 ac] *vel* aut *codd.* | 39 XIII *Par.*, *Harl.*, *Palat.*

## 660.

(Trivulz. 643 p. 166; Palat. 1592 f. 80; Ferrar. 133 NA 5 f. 3; Riccard. 924 f. 189; Novar. Capitol. 122 f. 165; Harleian 3568 f. 61; 4094 f. 76; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 85 e 99; Stuttgart Poet. et Philol. 4.<sup>o</sup> 29 f. 97).

Guarinus Veronensis optimo iurisconsulto Catoni Sacco sal. pl. d.

Magna me tenet sollicitudo vel moeror potius de Ludovico  
meo Ferrario quem iam multos profectum a me menses expec-  
tabam ex Vulpedo redditurum. Itaque cum animo peiora verear,  
obsecro te per amorem nostrum ab teneris incohatum annis et  
crescentem in dies, ut ab hac me anxietate liberes; minus grave  
fuerit si dolendum esse statuero, quam sic in pendulo cruciari.  
Quempiam vel peculiarem mittas nuntium oro, qui eius hominis  
certum referat nuntium, de quo audire cum diutius sitiam, non  
litteris non vivo sermone id assequi possum. Id erit adeo mihi  
gratum ut non dubitem vel hac una ratione et causa tibi man-  
cipio alligari. Vale et ab hac me flamma libera; ad eum vel has  
mitte, quibus animi mei statum intelligat.

15      Ferrariae 3.<sup>o</sup> nonas septembbris <1434>.

## 661.

(Trivulz. 643 p. 168; Palat. 1592 f. 80<sup>v</sup>; Ferrar. 133 NA 5 f. 4<sup>v</sup>; Parig. 7059 f. 44; Ambros. H 91 sup, f. 109<sup>v</sup>; Harleian 3568 f. 80; pub-  
blicata in parte da me *Guarino Ver. e gli archetipi di Celso e*  
*Plauto 55 e Storia e critica di testi latini 341*).

Guarinus Veronensis cl. v. Catoni Sacco sal. pl. d.

« Magnas atque adeo ingentes » me tibi gratias debere profi-  
teor et prae me fero, humanissime Cato, qui carissimi nepotis

Ter. *Eun.* III  
1, 1; Cic. *de am.*  
98.

---

660, 4 vel a me prof - codd. | 5 vel Valpedo codd.; oggi Volpedo |  
iam quon an - Ferr. | 8 vel sic pendendo codd. | 13 vel om. ab codd. |  
14 vel intelliget codd. | 15 Ferr. - septembbris Triv., Ferrariae 4<sup>o</sup> septem-  
bris Ferr., Ferr. - 3 sept. Harl., Palat., om. rell.

661, 2 vel tibi me codd.

nuntium attulisti, cuius ignoratio me male habebat et ex corde magis magisque cruciabat. Huius morbi curatori medicoque tibi 5 quas non debo quas non habeo gratias! sed nullas cum tibi re- ferre valeam, cum ea re nihil bono viro magis necessarium sit, acerbitas oritur animo. Unum tamen referenda gratiae genus mentem subiit, quo ita laetari te posse intelligo ut nisi fallor gratias sis mihi habiturus. Soletis vos viri magnanimi et gloria 10 et voluptate affici in immensum, quotiens bene de hominibus merendi ulla vel causa vel occasio praestatur, maiorque suboritur in dando quam in accipiendo delectatio, deum immortalem imitando, ab quo in homines beneficia petuntur in dies, nulla in eum referuntur. Proinde videre vos licet in erogandis officiis 15 fronte oculis vultu manibus, toto denique corpore sic gestire, ut in accipiendis tristis frons, infracta verba, contracta supercilia. Quorsum haec? ut quando in reddendo te gaudio afficere non possum, in petendo ita laetificem ut beneficium conferre videar et praemium aliquod tibi tribuam, me videlicet tibi perpetuo de- 20 vinctum.

*Ter. Hean. 11,  
12.*

« Habeo hui! quid dixi habeo? habui volui dicere », Plauti volumen novis refertum comoediis, hoc est quas dudum sepulcas reviviscere vedit haec aetas. Eas a me petiit iam biennio Antonius Panormita, ut excrivi faceret. Hominem audio irrediturum 25 abiisse, quod me excruciat, si secum irredituras detulit comoedias. Quidam autem singularis humanitatis homo, ut fama est, Thomas cognomento Ergoteles eius rei hand ignarus esse debet. Te igitur per integratem tuam per amorem per benivolentiam mutuam obtestor oro et obsecro ut in reparandis conoediis meis studium 30 curaque tua more adhibeas, ne simul cum homine codicem amittam. Id tam gratum futurum est mihi beneficium ut nullum maius conferri mihi posse cernam. Quantum igitur me tibi de-

---

6 *vel* quom (quum) *codd.* | 7 *vel* quom (quum) *codd.* | *vel* nec - mag-  
sit *codd.* | 9 *vel* subit *codd.* | 10 *vel* mihi sis *codd.* | 11 *vel* in *om.* *codd.*  
| 16 toto denique] totoque *Ambr.* | 19 in *om.* *Triv.* *Ambr.* | 20 etiam  
*Ferr.*, *Par.* | *vel* tibi aliquod *codd.* | 22 habeo habui quid *Triv.*, *habes*  
habeo ha (*corr. in ah*) quid *Ferr.*, *habeo ha quid Par.* | 26 cruciat *Ambr.*  
| 28 *vel* Hieroteles (Ergotelles) *codd.* | 30 in *om.* *Ambr.* | 33 comparari  
*Ferr.*

vincias vide. Mapheum Vegium virum insignem salvere opto.  
35 Hisce inclusas ut diligenter mittas oro, mi Cato. Vale.

Ex Ferraria XII kal. novembbris <1434>.

## 662.

(Aretino 75 n.<sup>o</sup> 37; Borghesi 59 p. 168; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 430 p. 168; 4.<sup>o</sup> 432 f. 135; Manzon. 72 f. 168; 92).

Guarinus Veronensis suo Mathiae Treviensi sal. pl. d.

Bene ac iocunde facis, mi Mathia optime, qui tuarum frequentia litterarum meam de te refricas recordationem, ut quando non « datur praesentia ora tueri et vivas audire et reddere yo-  
5 ces », mutuos saltem liceat conferre sermones et litterarum commercio animos facere praesentes. Quod tantas refers grates, facis pro tua humanitate ac morum dulcedine, qui cum mea habeas communia, tuis de rebus tibi tributis gratias habes: rem minime necessariam. An nescis scientias et artes bonas studiosis homini-  
10 bus communem quasi hereditatem esse? te igitur contine et meis cum uteris, tuis te uti cognosce. Tu vale et me tuum esse co-  
gnosce.

Verz. Aen. V  
688.

E Ferraria XV septembbris <1435 ?>.

---

36 Ferariae *Ferr.* | kal. om. *Ferr.*, *Par.*, *Harl.*, *Ambr.*, *Vat.*

662, 1 L'indirizzo è del cod. Berl. 432, gli altri danno: Guarinus Mathie s. Il Manzoniano 92 « Guarino Veronese a Matteo da Treveri » | 10 continue (continuo) *codd.* | 13 La data è del solo Berl. 432.

## 663.

(Riccard. 779 f. 305; Palat. 1592 f. 42; Trivulz. 643 p. 180; Parig. 8580 f. 20; Stuttgart Poet. et Philol. 4.<sup>o</sup> 29 f. 102<sup>v</sup>; Maihingen II lat. 1. 4.<sup>o</sup> 33 f. 240 interpolato; Harleian 3568 f. 89; Lucerna M. 2.<sup>o</sup> 320 f. 7<sup>v</sup>; Basilea F VIII 18 f. 12<sup>v</sup>).

Mapheus Vegius Guarino Veronensi s. p. d.

Littere tue fuerunt iocunde mihi admodum, mi Guarine, cum quod ex te profecte sint, quem non secus ac patrem amo et colo, tum quod egregio me donaveris munere, ut ais, scilicet amicitia Bartholomei Rova<relle>, pro quo et singulares habeo tibi 5 gratias et eximie donatum esse me haud infitior. Est quidem ipse, quantum preter testimonium etiam litterarum tuarum capere potui, vir plurima insignique virtute preditus, qui et cuiuscunque benivolentia ac favore dignus non iniuria censeri possit. Verum quando in donandis hominum amicitiis res impresentiarum agitur, 10 non hercle tu etiam a me « indonatus abibis ». Est hic loci Baptista Cremonensis, adolescens mire integritatis et modestie philosophusque apprime doctus, cui et in poeticis studiis tale est ingenium, quale tuo relinquam prestantissimo iudicio. Pro summo nanque, quo in te affectus est, amore scribit tibi versus, quos 15 velim ita humaniter suscipias, uti semper humanus es. Huiusce hominis amicitiam vicissim munus tibi meum habeto et conservato.

Opus meum iurisconsultorum rogo ad me remitte par Antonium Faxolum magistrum navis et harum litterarum delatorem. Vale.

20

Papie VII idus decembris <1433-1436>.

---

663, 2 *vel* tum *codd.* | 3 *vel* sunt *codd.* | 4 *vel* scilicet *om. codd.* | 5 *rel* Rona. *codd.*, conarelle *Luc.*, canorelle *Maih.* | 6 equidem *Luc.* | 9 potest *Luc.* | 10 *vel* quia (quoniam) *codd.* | 13 *vel* etiam *codd.* | 14 pre *Luc.* | 18 *vel* iurecons - *codd.* | 19 *vel* Fasolum (Fasolam, Faxiolum) *codd.* | allatorem *Triv.* | 21 VII] nono *Vatic*

## 664.

(Riccard. 779 f. 305<sup>v</sup>; Palat. 1592 f. 42; Trivulz. 643 p. 179; Ferrar. 133 NA 5 f. 3<sup>v</sup>; Parig. 8580 f. 20<sup>v</sup>; Stuttgart Poet. et Philol. 4<sup>o</sup> 29 f. 102; Maihingen II lat. 1. 4.<sup>o</sup> 33 f. 240; Harleian 3568 f. 88; Lucerna M. 2.<sup>o</sup> 320 f. 7<sup>v</sup>; Basilea F VIII 18 f. 13).

Guarinus Veronensis Mapheo Vegio Laudensi sal. pl. d.

Credebam pro tuae integritatis fama et legum professione te  
in castigandis hominibus et ab improbitate retrahendis studiosum  
inprinisi et ardentem. Contra ac existimabam obvenit, siquidem  
5 me faeneratorem instituis; nam qui pusillo te amico donavi,  
grandiore me ut sic dicam patrimonio abs te locupletatum video.  
Et quod maius ac maius est et ad faenoris cumulum accessio,  
non modo Baptista viro insigni, sed etiam eius me donas opibus,  
idest egregio musarum thesauro, quem et Croesi gazis et Crassi  
10 divitiis antepono. Quid igitur faciam? hoc tam multiplicatum pe-  
culium repudiabo? Minime vero, praesertim cum, si vocabor in  
ius, id te auctore defensore ac patrono factum honeste ac iure  
apud quosvis iudices tueri sperem. Ne tamen huius tam pretiosi  
muneris ingratus existimer, altero te donare amico constitui, do-  
15 mino Roberto Strotio, suavissimi adulescente ingenii indolisque  
non inferioris et qui praeclarae suorum stirpi moribus et virtute  
respondeat. Resolvo et versus quosdam, qui ad debiti diminu-  
tionem, si videbitur, computabuntur, ne tantum aere graver alieno.

Faxolum nusquam comparuisse video; vereor ne nostri an-  
20 seres, quibus id leguminis genus gratum esse solet, devorarint.  
Curabo tamen ut tuum quamprimum ad te non dicam volet  
volumen, ne aucupes intercipiant, sed tutum devehatur in com-  
pedibus. Vale musarum decus et legum splendor.

Ferrariae VII kal. ianuar. <1433-1436>.

664, 1 Guarinus cl. v. Mafeo s. *Luc.* | 9 *vel* Cressi (Gresi, Crassii, Grachi) *codd.* | *vel* Crassii (Grassis, Grassi) *codd.* | 10 faciamus *Luc.* | 15 Toroberto *Triv.* | *vel* Strozia (Strocio, Storto, Strozie) *codd.* | 16 *vel* ut qui *codd.* | 18 graver ere *Triv.* | 19 *vel* Fasolum (Fassolum, Faselum) *codd.* | 20 liguminum *Luc.*: allusione scherzosa a *fagiolo* | devoraverint *Ferr.*

## 665.

(Ferrar. 133 NA 5 f. 3 ; Trivulz. 643 p. 166 ; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 85<sup>v</sup> ; Stuttgart Poet et Philol. 4.<sup>o</sup> 29 f. 97 ; Harleian 3568 f. 61 ; 4094 f. 70 mutila ; Palat. 1592 f. 80).

Guarinus Veronensis Iohanni Antonio ex Capitaneis de Vi-  
comercato sal. pl. d.

Raimondus Marlianus primarius adulescens proxime tuas  
mihi reddidit, tuis vere dignus litteris tabellarius, idest humanus  
humanis, in quibus perlegendis mirifica est animo aborta laetitia, 5  
cum tanta verborum suavitate et tam honorificis de me sermoni-  
bus tuam in me benvolentiam pietatemque declaras. Quid enim  
malim quid amplius optem quam <ut> bonis doctisque et his  
qui in laude nati in laude educati in laude viventes sunt, carus  
acceptusque sim? Hoc est vere patris imitari vestigia, quando 10  
non solum virtutis suae, verum etiam amicitarum suarum here-  
ditario quodam iure successor accedis, cum eum amabiliter et  
mihi affici testaris. Quibus rebus invitatus quin tibi qualescun-  
que scriberem, cohibere me non potui ; quarum si amorem cari-  
tatem benvolentiam pietatem amabis iisque contentus esse perges, 15  
non modo explere te sed etiam satiare stat animus, ut sic de  
amoris vi contendam tecum et certem, ut « ire animis contra »

Verg. Aen. XI non pertimescam, « vel magnum praestes Achillem ». Sin vero  
538. amore meo non contentus, et luculenta scripta, verbis oratoriis et

Verg. Ecl. III sensu excultiora, quaerites, iam nunc cedo « et longum formose 20  
79. vale vale dicam Iolla » ; soleo nanque familiari quodam, nostrati  
et vulgari scribendi genere uti, ut « quicquid in buccam veniat »,  
excidat, nullis expolitum exquisitoribus ornamentis. Id duntaxat  
attendo, ut « intus et in cute » odorem spiret amoris, cuius tanta  
mihi visa est dignitas, ut reliqui ornatus prae hoc nautea iudi- 25

---

665, 1 *vel* ex capitibus (ex capite, ex capit., de capitani.) *codd.* | 3  
*rel* Raymondus (Reim -) *codd.* | 4 *vel* dignis *codd.* | 5 mira *Ferr.* | 8 *vel*  
iis *codd.* | 12 et mihi amabiliter *Ferr.* | 17 tecumque certem *Triv.* |  
22 *vel* vulgario *codd.* | 25 nausea *Ferr.*

centur. Hae scribendi leges proponuntur : tuum est ut eas probes vel improbes. De his hactenus.

De paeceptore conducendo video spem interceptam : homini renuntiabo, is vel aliunde sibi consulet vel aequo feret animo.

30 Ego quantum in me est, patri gratias ingentes habeo, quando suam navavit operam, licet aliis aliter visum sit: « velle suum cuique est nec voto vivitur uno »; « quando non potest fieri quod vis, id velis quod possis ». Vale et patri optimo me commenda;

itidem magnis viris et iurisconsultis peritissimis d. Catoni, d.

35 Mapheo et ordini cuneto litterario; liberalissimo in primis et integerrimo iurisconsulto d. Iohanni Alexandrino totum me dede.

Pers. V 53.

Ter. And. II 1,

5.

Ferrariae XVI kal. septembbris <1435 ?>.

## 666.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 98; Vatic. 5167 f. 68v; Novar. Capitol. 122 f. 153v; pubblicata da me in Geigers *Vierteljahrsschrift* I 109; cfr. Quirini *Diatriba* 60).

Guarinus Veronensis suo Iohanni Lamolae sal. pl. d.

Quod me diligas et singulari pietate complectaris, multa mihi documento sunt: vel quod te omnium gratissimum esse novi idque praedico et nunquam praedicare desisto, ut tuae virtuti,  
5 cuius praemium aliquod honos est, testis accedam et reliquam iuventutem tuo animem ad imitandum exemplo; vel quod maiorum monumentis incitaris, « qui paeceptorem sancti voluere parentis esse loco ». Accedit quod scripta qualiacunque sint mea ita longe lateque disseminas, ut facile declares me, si vincere  
10 fata detur, imortalitate donare velle et in semipaternam posteritatis memoriam propagare. Id cum gratum mihi per se accep-  
tumque sit, non possum tamen non obiurgare te et pro iure amo-  
ris mutui reprehendere, quod in tollendis scriptis meis incautius agas. Venerunt enim quaedam in manus ita et nominibus et re-

Juvenal. VII  
209.

26 vel prepon - codd. | 28 conducendo spes omnis intercepta est *Ien.*

| 35 La chiusa da *liberalissimo* è dei soli cod. Ferr., Vatic. e Triv. |

36 Vale add. *Triv.*

rum serie depravata, ut non parum ignominiae et obloquiorum 15 causas praebeant: quo fit ut minus mirer veterum codices tot iam conscriptos saeculis erroribus tantis involvi ut lectoris animum lassent ac frustrentur, quippe quos non Oedipus non Sibylla non Apollinis, ut gentiles dicerent, interpretetur oraculum; quodque stoinachabilius est, interceptae sunt sententiae, et versus 20 integri, ut contra sensum meum sermo sonet, adempti. Proxime nanque delatus est ad me libellus, cuius exemplum olim transmiseras, ex quo cum quaedam scripta probarem, quaedam autem in eo desiderarem, grandiusculam super ea re tibi rescriperam epistulam. Ea nonnullis truncata membris, velut inscriptio 25 et tanquam prooemium in fronte paeponitur, ut cum scriptori laudem comparet, apud minus considerantes ignarosve mihi vituperia pariat, ab quibus me purgem necesse esse video, ne quid sinistre de me boni sentiant, quibus placere studeo, et de musis nostris male mereri pergam, si me auctore turpes illis inurantur 30 maculae.

Suet. Aug. 88. Principio quod dictum est de libro « prudenter politeque conscripto » non modo de versus genere, sed etiam de librarii opera velim intelligi: adeo litterarum facies formosa venustaque, et recta et vetusta scribendi formula, quam orthographiam appellant, 35 legentis oculos alliciebant. Tum haec inerat sententia olim ad verbum posita, quantum memoria repetere valet, et nunc astute subducta: « Quid facturum arbitramur Panormitam nostrum, si gravem et auditore quovis dignam nactus fuerit materiam tam ardenti eius ingenio parem, quando 40 in re tam abiecta et petulcis moribus respondente tam polite ludat? » Haec cur est e medio sublata particula, nisi quia quisquis ille fuit cum exceptione laudari noluit opusculum? Aliud scriptum fere sic a me fuerat, quod et interceptum esse deprehendo: « Hortare Panormitam ut stilum adeo 45 facilem e sordibus exilire consuefaciat malitque in grandibus mediocriter probari, quam in infimis turgere grandiloque. Phidiam, cuius recentissimum adhuc nomen omnia per ora volitat, mox exaruisse et aboleri

---

666, 26 *vel* proponitur *codd.* | *vel* *om.* *cum* *codd.* | 41 *moribus*] *moliter* (*vel* *molitus*) *codd.*

50 oblivione contigisset, si putrida ex materia, non autem auro vel ebore statuas effinxisset». Has ipsas clausulas explosas et intercisas tu mihi testis es optimus, sive exemplar insperieris seu tuam consulueris memoriam, qua vales unice, vel ea potissimum causa quod post missam ad te olim epistulam non semel 55 inter nos longior ea de re vivus consumptus est sermo. Tunc addidisse me non fugit, quod et ipse fatebere: « Si hoc tam prae-  
stans idoneum et vere cereum ad martia bella divellatur ingenium, tum claros tubarum clangores futuros qui nunc in Hermaphrodito culicis stridores obstrepunt,  
60 magisque fortia duraque quam ignava semper placitura vel mollia et, ut Quintilianus inquit, « nemo non vir spadone formosior ». Quod et ipsum Panormitam non negaturum confido pro eius doctrina et sui gravitate iudicii ».

65 Meministin quantis ego et quidem dignissimis Cosmum in re publica Florentina merito principem laudibus extollerem cum aliis virtutibus tum moderatione continentia et integritate, ut tecum quam inepte factum subaccusarem, quod tam molles lascivientes venereosque versus ad severum continentem sobrium-  
70 que inscriberet? quodque absurdius factum dixeram, libellus sui auctoris et parentis imperio ut lupanar prius adiret iubebatur, perinde ac illud Cosmi diversorum videretur. Haec cum ita esse non ignores, patieris quantum in te fuerit, amantissime Lamola, Hermaphroditum tot per insidias raptis de me spoliis triumphum  
75 ducere? Ad eam autem curam eo magis excandescere debebis, quod harum causa molestiarum es, qui me inscio ac potius recusante litterarum mearum abusionem fecisti. Pugnet Marte suo et invocatis suo de grege commilitonibus; nolentem me reclamantemque suis ne signis immisceat. Esto, quid de scriptoris in-  
80 genio, quid de carminis genere sentirem tecum aperuerim: num idcirco me testem insciū ad alterius quidem laudem, in meam vero perniciem adduxeris? et quod tuae fidei tacitum quasi depositum arcanumque crediderim, id mea sine venia imprudenter effutire velis? Id boni ac fidelis amici fuerat, commissa tegere

V 12, 19.

---

56 fatebare *codd.* | 60 ignavia *codd.* | 70 dixerant *codd.* | 71 videbatur *codd.* | 76 vel earum *codd.* | 84 rel vellis (= velis) *codd.*

nec foras meo iniussu disseminare. Siquis pretiosa vasa tibi 85  
aliame supellectilem certum ad usum commodasset, tu vero illa  
vulgo utenda profanandaque dimisisses, quos morsus quas incla-  
mationes contraxisses ! Iurisconsulti furti genus diffinire solent,  
« sicut iumenta sibi commodata longius adduxerit alienove invito  
domino usus sit iumento »; nec minus « sicut tabulas amoverit aut 90  
cautiones ». Cum, mea communicans tecum consilia, tuae fidei ani-  
mum crediderim tuque ex te prosilire siveris longiusque produci  
et meliores excerpti particulas, quantum gloriari Hermaphroditus  
debeat neminem latere arbitror. Aut igitur integra edenda et  
praeponenda fuit epistula aut tota subticenda nec ego ignarus in- 95  
vitusque, ut dixi, testis apponendus.

Ne quis sese fallat, oro : an quia versum mihi complacitum  
idoneamque scribentis venam testatum me facit, idecirco eius aut  
materiam aut obscenitates probem ? an et praecepta commendo ?  
Hui ! minime. Nunquid et ad religionem facere dicet quispiam ? 100  
Nihil magis contra religionem. At enim Persius, Horatius, Iuve-  
nalis obsena efferunt : fateor, illi ad instruendam mortalium vi-  
tam et ad maius vitiorum fastidium ante oculos obiciunt ; quo-  
rum tamen cum dictio probetur, turpitudo improbatur, quae et 105  
ipsi displicet poetae. Id et in pictoribus usuvenire cernimus, quo-  
rum cum in adumbrando scorpione mure serpente partibusque  
reconditis et latere volentibus aptitudinem miramur, non tamen  
non ea fastidimus abhorremusque spectando. Cui non Perilli arti-  
ficium laudare licuit, quo taurum expressit et ante spectantium  
oculos quasi viventem constituit ? quis non veras aures, cornua 110  
frontemque minacem sine reprehensione miretur ? At contra quis  
tam humanitatis expers tamque efferatae mentis existit, cui cru-  
delitas et saevitia colliberet, quam Phalaridi suadere ac probare  
nisus est ? Hac ratione et beatus ipse Hieronymus noster, cuius 115  
invicta severitas, divina sanctitas, admiranda scientia, melle dul-  
cior eloquentia satis pro dignitate laudari non potest, multis in  
locis placet, auditorem allicit, aures fricat, cum praesertim mere-

---

85 vel sicut pater familias vasa codd. | 92 produxeris codd. | 95  
vel subiicienda codā. | 97 an] ut codd. | 100 vel debet codd. | 102 vel  
afferunt codd. | 112 vel extitit codd. | 115 invita codd. | severitas] vel  
suavitas codd. | divina] vel doctrina codd.

tricias depingit illecebras ut fastidiosius detestetur et per eius  
castimoniam impudicitiam execretur, illud interponendo: « quod  
120 dictu quoque scelus est ». Nec vero glorietur quispiam, quod <sup>Migne P.L. 23,  
19.</sup>  
Catulli concivis mei testimonium adduxi, qui ad bonum virum in-  
struendum praeceptor est, ni « canatur surdo cantilena ». Quid  
enim inquit? « Nam castum esse decet, pium poetam ipsum ». Hoc  
16, 5.  
attendant hoc hauriat hoc complectatur et omni vita teneat quis-  
125 quis poetae nomine dignus esse cupit. Hoc quidem ad poetam;  
id autem quod sequitur ad poema decorumque poeticum pertinet:  
« versiculos nihil, Qui tum denique habent salem ac leporem, Si  
sint molliculi ac parum pudici ». Id sane verum est si personam  
effingant lascivam, ut rebus de quibus decantetur cognati sermo-  
130 nes attribuantur. Id et in Arte Poetica praecipit Horatius: « tri-  
stia maestum vultum verba decent, iratum plena minarum, lu-  
denter lasciva, severum seria dictu ». Nec minus id Tullius  
asserit: « ex eo decoro quod poetae sequuntur, quod a poetis  
servari dicimus, cum id quod quaque persona dignum est et fit  
135 et dicitur. Atreo nanque dicente: Oderint dum metuant; aut:  
Natis ipse sepulcro sit parens, plausus excitantur in scaena; im-  
pio enim et immanni tyranno impia et immanis quadravit oratio »;  
nec tamen plaudenti populo saevitia placet Atrei aut crudelitas  
comprobatur.

140 Ne autem longioribus te verbis teneam, haec mea est sen-  
tentia, hic meus animus, haec voti summa: ut si sribentis in-  
genium vimque carminis approbaverim, nemo propterea materiam  
turpem et castis auribus adversam laudare me suspicetur, cuius  
quidem voluntatis testem hanc epistulam et propugnatricem in-  
145 voca; ipsum vero libellum, si dictionem excipias, ceteris in rebus  
sic abominor et propulso, ut post primos eius trascursus ne  
semel quidem tot iam annos ipsius lectionem repetierim. Fac me  
olim carmen illud sine ulla exceptione vel aetatis lapsu vel aurium  
voluptate laudasse: facio nunc quod graves et sanctissimi viri  
150 factitant ut male dicta retractent; laudata revoco, usurpatas hac-  
tenus commendationes meas ab iniusto possessore repeto. « Nec  
enim promissa servanda, auctore Cicerone, ea quae sint iis qui-

---

130 *vel* idem *codd.* | *vel* precepit *codd.* | 136 paries *codd.* | 150  
usurpantes *codd.*

Ovid. Met. XIII  
171.

bus promiseris inutilia nec si plus tibi ea noceant quam illi pro-sint cui promiseris ». Haec ad te scribo, Iohannes amantissime, ut omnem curam operam studium, si me diligis, adhibeas, ut 155 ubicunque inscriptam illam offenderis epistulam, testem attrac-tam ignaram et invitam, aut illam aboleas aut hanc illi sociam vel potius adversariam adscribas, ut sicut Achilles Telephum, tu qui sauciasti, simul et sanes. Vale.

Ferrariae kal. ianuarii <1435>.

## 667.

(Guarner. 92 f. 220<sup>v</sup>; Vatic. 1877 f. 223; 1880 f. 277<sup>v</sup>; 1881 f. 1; Palat. 918 f. 281; Class. 383 f. 53 con le vite; Ambros. T 12 sup. f. 1 con le due vite; Parig. 5826 e 5829; Parma 1039 f. 66<sup>v</sup> con le vite; Est. 429; Costabili 58; Escorial c. IV 17 f. 289; pubblicata in *Biblio-theca Smithiana* p. CCCXL, in Plutarchi *Vitae*, Romae 1470, I f. 236 e in parte dal Bandini *Cod. lat.* II 745, 750

Guarini Veronensis in vitas Lysandri Lacedaemonii et Syl-lae Romani prohemium ad illustrem principem d. Leonellum Estensem.

<Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi sal. pl. d.>

5

Plurima cerno tuas ad nuptias, Leonelle princeps, frequentia apparatu ornamentoque magnificas, dona simul et munera duci et afferri pro amicorum et subditorum caritate ac fide, quibus Estensis pariter atque Gonzagae prosapiae dignitas illustretur. Ego autem qui nemini tuorum fide studio benivolentia in te cedo, 10 licet fortunis facile superer, immunis hoc tempore esse non debeo, praesertim cum eorum ad te mittendorum praestetur occasio, quae non minoris ut arbitror quam superiora facturus esse vi-deare. Illa nanque vel usu minui vel tractando conteri solent; verum haec ipsa quo frequentius utere diutiusque tractaris, eo 15

153 vel om. prosint codd.

667, 9 vel Gonzaghe codd.

latius crescere firmiusque durare ; illa praeterea semel profuerint, haec perpetuo. Quodnam istuc tuum munus ? inquies. Duo illustres viri et rebus egregie patratis imperatores plurimum decantati, Lysander et Sylla comes, quos mediis ex Athenis tibi deduco, 20 reliquorum saltantium et convivarum coetum nominis maiestate ornaturos et facetiis exhilaraturos. Ipsos eo lubentius traduxi, quo illorum quidem nomina ubique celebratoria, res autem ferme obscuriores erant propter superiorum saeculorum vel ignaviam vel calamitatem vel utranque, quibus tanta litterarum iactura 25 importata est, ut nisi latina mendicemus ex Graecis, cum alia permulta, tum clari quandam homines iaceant in tenebris sit necesse. Quocirca ingentes utriusque Chrysolorae grates habendae sunt laudesque cantandae, quorum beneficio industria studio et doctrina tot magnos homines ex obscuritate ad lucem, e morte 30 ad vitam, e silentio ad praedicationem revocatos intuemur.

Nec vero te perturbet, humanissime princeps, quod inter com-  
memorandum in hisce ductoribus aliqua facinora crudelitatis of-  
fendes, potissimum cum te, sicuti coram ita et scriptis, qualiacun-  
que sunt, meis, ad mansuetudinem placabilitatemque animare coner  
35 et incendere, ad quam cum tuopte ingenio tum studiis et ma-  
gnorum hominum imitatione et exemplo pronus duceris et quae  
tanti in principe et in eo qui excelsa maiestatis gradu pollet mo-  
menti est, ut quisquis clementia, ut tu, insignitus sit, non solum  
deo proximus sed etiam deus habeatur in terris. Magna quidem  
40 ea virtus est, qua innocentiam defendas ; non minor autem illa  
qua et nocentibus ad viam rectam redditum praebeas, captis suc-  
curras, infelicibus miserearis, legum duritiam lenias, ferrum com-  
pescas, iacentes subleves, suppicia mitiges, vitam dones. Accedit  
huic virtuti praemium laus, gloria cunctorumque benivolentia, vel  
45 tui ipsius testimonio ; nullus enim patrifamilias unicus tanta  
pietate dilectus ullo tempore filius fuit, quam tu clementiae et  
humanitatis gratia subditis, externis longinquisque carus. Quan-  
tam laudem ac pietatem a cunctis reportas cum eam te vocem  
usurpare audiunt : « non oportere quenquam a sermone principis  
50 tristem discedere ! » quo fit ut sermone sis affabilis, accessu fa-  
cili, vultu amabilis. Verum animvero crudeles ac probos illorum

Suet. Tit. 8.

---

25 ex] vel ab codd. | 36 vel exemplo om. codd.

Plut. *Instit.*  
Lac. 30.

IV 23-24.

mores perinde ac speculum idcirco tibi propono, ut bona cum inspectes, ad ea te conformes, vitia vero fugias et abomineris; fit enim ut in alienis personis turpitudinem acriore censura no- 55 temus et execremur. Quamobrem Spartanos cum servum in con- viviis ebrium deprehenderent, eum accitis filiis demonstrare solitos accepimus, ut ebrietatis ineptias deformitatem spurectiasque subtilius in mancipiis intuentes abhorrerent. Non absurde itaque Persius: « ut nemo, inquit, in sese tentat descendere, nemo, sed 60 praecedenti spectatur mantica tergo ». Ceterum ne vestra demorer colloquia, a me longior non suscipietur oratio.

<Ferrara 6 febbraio 1435>.

## 668.

(Padov. Semin. 89 p. 8; Padov. Universit. 541 f. 141; Canon. lat. 360 f. 49; 915 f. 137; Parig. 7868 f. 87<sup>v</sup>; 8632 f. 1; Laur. Ashburn. 1702; Firenze Nazion. II. IX 148 f. 26; Vindobon. 3330 f. 133<sup>v</sup>; Tioli XXXVI f. 132<sup>v</sup>; Brera AD XIV 27 f. 41 e 103; Ambros. H 192 inf. f. 40; P 256 sup. f. 97; Marc. lat. XI 19; Vatic. 5126 f. 6; Harleian 2580 f. 120; Ferrar. 110 NA 4 f. 115; Monac. Universit. 2°. 607 f. 139<sup>v</sup>; pubblicata dal Pez *Thesaurus VI*, III p. 156; cfr. Verani *Giorn. de' letter.* XX p. 287; *Bibliot. ms. di T. G. Farsetti* p. 44).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Nulla profecto, Leonelle princeps, signa videris omittere, quae ad virum vel praesentem vel futurum amplissimum pertineant; quam quidem ad rem cum alia quamplura, tum vero nu- 5 per abs te habitus sermo conductit meque magnopere delectat, cum de comparandis viris insignibus eorumque rebus gestis orta contentione Caesaris laudes per omnium ora volitantes decantares et adversus altercationis cupidos quasi manu conserta protegeres; Verg. Aen. I de cuius fortitudine et claritate divinus poeta cecinit: « imperium 10

---

53 vel abomines *codd.* | 56 vel commonstrare *codd.* | 59 ut] vel et *codd.*

668, 5 vel complura (*cumplura*) *codd.*

Oceano, famam qui terminet astris ». Ita fac vir magnifice ; magnum virtutes hominum crebris usurpa sermonibus, ut cum eos tibi cognitos feceris praedices, praedicatos diligas, dilectos imiteris. Nam maiorum statuae vel fructum illum pollicentur existimium, ut contemplatores suos ad probitatis aemulationem exuta ignavia stimulent, quod Q. Maximi Scipionisque et aliorum illustrium virorum testimonio verum esse non ignoras, qui, ut apud Crispum lectitas, « cum maiorum imagines intuerentur vehementissime animum ad virtutem accendi ferebant : scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria gestarum rerum eam flamمام egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adaequarit ». Idque adeo efficax est, ut primum hinc Caesari calcar ad dignitatem decus et gloriam adipiscendam incussum esse tradatur ; qui cum quaestor ulteriore Hispaniam obtineret, « Gades profectus animadvertisit apud Herculis templum Alexandri Magni simulacrum ; quo viso ingemuit, quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihil tum a se memorabile actum esset ea in aetate qua iam Alexander non parvam orbis partem subegisset ». Sic 30 Alejandro quasi magistro inflammatus ad captandas quampri-  
mum magnarum rerum occasiones exarsit. Quod tuo quoque ingenio infixum iri non dubito frequenti commemoratione maiorum suarumque contemplatione virtutum.

Ut igitur pro Caesaris splendore contra factiosos constantius propugnare pergas, antiquorum subsidia, quorum in omni re plurimum pollet auctoritas, adduco ; eorum perinde ac veteranorum aciem adversus tironum clamores in prima fronte locabis, ut priore concursu vel terga fugae dent vel « tremor occupet artus » vel si pervicacious perstare volent, manus dare incipient. In primis erit Plutarchus, cuius in omni doctrinarum genere tanta cognitio est, ut quem illi praeponas non facile dixeris ; eius ductus et auspicio pro tutanda Caesaris dignitate collatis signis congregidi non dubites. Is enim in ea, quam de Caesare eleganter sicut et

Iug. 4, 3-6.

Suet. Iul. 7.

Verg. Aen. VII  
446.

---

15 exuta] contempta Univ. Pad. | 16 Q.| rel quidem codd. | 23 vel plurimum codd. | 24 vel decusque codd. | 25 vel traditur codd. | 26 vel Gadis codd. | 34 vel constanter codd. | 39 pertinaces Univ. Pad.

Caes. 15.

alia conscripsit, vita haec de Caesaris excellentia summatim unum in cumulum redegit, cuius sensum ad verbum fideliter in latinum 45 convertere aggressus sum. Ea vero sunt: « Tempus deinde bellicandi ac rei militaris qua pacatam reddidit Galliam, perinde ac ipse alia capesseret initia et alteram quandam vitae rerumque novarum viam insisteret, huius generis est, ut eum et bellatorem et ducem nullo ex his inferiorem ostendat, quorum in ductandis 50 exercitibus singularis admiratio et praecipua extitit amplitudo. Quod si quis Fabios Scipiones Metellos et aetatis suae vel paulo superioris Silla in Marium ac utrumque Lucullum Pompeiumque, cuius gloria per varias rerum bellicarum virtutes usque in caelum effloruit, comparare voluerit, rerum ab Caesare gestarum magnitudo 55 superat: hunc quidem locorum difficultate in quibus ab illo bella peracta sunt, illum agri magnitudine quem Romano adeptus est imperio, alium multitudine hostium et viribus de quibus victoriam reportavit, quandam immanibus absurdisque gentium moribus quas plane ad leniores vivendi ritus redegit, alterum comitate et manu suetudine quibus erga victos usus est, nonnullum gratificandi ratione atque munificentia quas in commilitones exercuit, universos denique vel hoc uno excelluit, quod plurimas commisit pugnas et plurimos adversa intructos acie occidioni dedit. Annos enim minus decem intra Galliam belligerans urbibus supra octingentis 60 potitus est, gentes quadringentas subiugavit, adversus trecentas myriades separatim iusta depugnavit acie, e quibus cum centum dederit in stragem, reliquas vitae reservavit » (unam autem myriadem decem constare milibus certum est).

N. H. VII 91-  
94.

Haec quidem acies prima. Non erit alienum et conterranei 70 mei Plinii, hominis et docti et fortissimi, testimonium qui Caesaris tam admirandum praedicat ingenium, ut « scribere simul et legere, dictare et audire solitum acceperit. Quid quod epistulas tantarum rerum quaternis pariter librariis dictare aut si nihil aliud ageret septenis consuetus fuerit? Idem collatis signis quinque 75 quagies dimicavit, solus M. Marcellum transgressus qui undequadrages dimicavit; nam praeter civiles victorias, undecies centum

---

44 prestantia *Univ. Pad.* | 46 *vel* vertere *codd.* | 51 et] *vel Univ. Pad.* | 52 *vel* superiores *codd.* | 53 *vel* atque *codd.* | 60 *vel ac codd.*

et nonaginta duo milia hominum occisorum proeliis ab eo nec in gloria posuerim tantam humani generis iniuriam nec ipse sibi  
 80 tribuerit, *<cum>* Caesari proprium et peculiare sit clementiae insigne, qua usque ad paenitentiani omnes superavit. Idem magnanimitatis praebuit exemplum, cui comparari non possit aliud ; spectacula enim edita effusasque opes aut operum magnificentiam hac in parte enumerare luxuriae faventis est : illa fuit vera et  
 85 incomparabilis invicti animi sublimitas : captis apud Pharsalum Pompei Magni scrineis epistularum iterumque apud Thapsum Scipionis ea optima concremasse fide atque non legisse ». Et profecto nihil in homine maius nihil admirabilius nihil denique divinus inveniri potest ; nam ut de illo magnus orator inquit, « animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate ingenio virtute praestantem non modo extollere iacentem sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem : haec qui facit non ego *<eum>* cum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico ».

95 Ut autem de contentiosis indubitate trophaeum exigamus, et tertia struatur acies et huius supra hominem admirandi principis citetur testis Cicero. « Soleo, inquit, saepe ante oculos ponere idque libenter crebris usurpare sermonibus : omnis nostrorum imperatorum, omnis exterarum gentium potentissimorumque  
 100 populorum, omnis regum clarissimorum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine nec numero proeliorum nec varietate regionum nec celeritate conficiendi nec dissimilitudine bellorum posse conferri ».

Quibus universis unum sub intuitum collocatis quem mihi  
 105 dabis qui licet una vel item altera laude polleat, tantarum rerum gloria cumulatus eluceat ? Nihil dico de doctrina, nihil de eloquentia, quibus si non primus at secundus inter Romanos oratores virosque peritissimos ab certis et gravissimis locatur auctoribus ; nihil de reliquis virtutibus, grandi nanque volumine,  
 110 hui ! quid dixi ? voluminibus opus esset. Satis fuerit in praesentiарum quaedam attigisse « rerum fastigia » ; siquid fuerit omis-

Cic. p. Marc. 8.

p. Marc. 8.

Verg. Aen. 1  
342.

78 *vel* octuaginta *codd.* (*nonaginta* è la lezione di Plinio) | 81 omnis superarit *Univ. Pad.* | 92 *vel* hoc *codd.* | 95 *vel* erigamus *codd.* (indubitablem triumphum erigamus *Unir. Pad.*) | 99 *vel* omnes *codd.*

Verg. Aen. VI  
95.

sum aut mutire hostes ausi sint, mox delectus alter habebitur,  
 novae ac recentes cogentur copiae, quae succenturiatim secundis  
 immittentur dimicationibus quaeque subsidio locatae hosti fugam  
 incidunt. Tu modo ne cede minis « sed contra audentior ito », ut 115  
 invictum Caesarem fortis invictusque defendas. Hoc pacto uni-  
 versi exercitus conclamatione quod felix faustumque sit imperator  
 appellabere. Vale et me commilitonem tuum ama.

<Ferrara circa marzo 1435>.

## 669.

(Brera AD XIV 27 f. 107v ; Padov. Universit. 541 f. 143 ; Padov. Semin. 115 f. 56v ; Padov. Anton. 19 ; Vindobon. 3330 f. 322 ; Arundel 70 f. 194v ; Vatic. 1071 f. 36 ; Urbin. 224 f. 198v ; Barber. lat. 43 f. 22v ; Parig. 7853 f. 45v ; Corsin. 45 C 18 f. 75 ; Canon. lat. 173 f. 259v ; 351 f. 20v ; 915 f. 110 ; Ferrar. 135 NA 5 f. 16 ; Monac. lat. 382 f. 35 ; Capilup. XXIX ; Stuttgart Poet. et Philol. 4.º 29 f. 29v ; Treveri 1879 f. 162 ; Berl. lat. 2.º 366 ; Guarner. 80 f. 141 ; Class. 117 p. 326 ; Magliabech. VIII 1448 f. 14 ; Roma Vitt. Em. cod. " Vittorio Emanuele " 205 f. 113v : appartenne a Poggio, ma non è scritto di sua mano ; fondavo molte speranze su questo codice, ma è invece scorrettissimo e interpolato ; Harleian 3340 le due sole lettere di Guarino : lo supponevo autografo, ma non è ; Laur. 90 sup. f. 50 il solo biglietto 669 ; per un cod. del collegio di Cambridge cfr. *Sitzungsber. der k. Akad. der Wiss. in Wien* 136, 1897, 5 Abh. p. 66 ; cfr. Zacharia Iter litt. per Ital., 1762, 160 ; Catalogo di libri e di cod. ms. del march. A. Antaldi. Bologna 1856, 128 ; Arch. Venet. VII 187. Meno poche eccezioni, i codici contengono l'intera polemica tra Poggio e Guarino. Fu stampata tutta nel volume intitolato *Antilogium Guarini et Poggii de praestantia Scipionis Africani et C. Julii Caesaris*, Viennae Austriae pridie idus maias anno MDXII, che non potei vedere. La lettera e la replica di Poggio furono pubblicate in Poggii Florentini *Opera*, Basileae 1538, 357, 365. Mi sono servito di questa edizione per i confronti con la risposta di Guarino. Le parole di Poggio, contro le quali Guarino polemizza, sono spaziate nel testo. Nel riferire le varianti non ho tenuto conto delle redazioni interpolate, fra le quali ricorderò come tipica quella del cod. Barb. 43).

Guarinus illustri d. Leonello sal.

« Nuntius ecce novus », affertur, « novitate movebere facti ».

---

112 vel dilectus codd. | 115 mallis Univ. Pad. | vel ardentius codd.

« Exortus est » Caesaramastix unus, qui Caesari calumnias intendat et ei tenebras conetur offundere, quem omnium gentium litterae decantant et obstupescunt, qui splendore nominis totum vel mortuus illustrat orbem. Quidni? « imperium oceano famam qui terminet astris ». Id cum videatur indignum facinus, ad te provoco, princeps illustris, cum regum salus maxime regi tuenda sit. Accusat ille audax potius quam fortis accusator; causam di- cunt scriptores nobilissimi; testes accedunt et quidem locupletes. Tu partem cum audieris utranque, pro tua severitate sententiam proferes.

Hieronym. (Migne P.L. 23,339).

Verg. Aen. 1  
287.

<Ferrara giugno 1435>.

## 670.

Guarinus Veronensis cl. v. Poggio apostolico secretario sal.  
pl. d.

Remeante proximis diebus illustri principe nostro, qui vivendi et salutandi pontificis maximi causa Florentiam se contulerat, egregia mihi voluptas allata est cum pro sua in me caritate et mea in eius maiestatem observantia eum salvum ad nos revertisse prospexerim. Accessit ad gratiam laetus de te nuntius, quo et recte valere te et res tibi secundas adspirare factus sum certior: quibus gratulari et perinde ac meis gaudere obvenit pro verissima et veterima nostra benivolentia. Adiunctus est quasi cumulus dulcissimus quidam scriptorum tuorum fructus, qui mihi mirificis pollicitationibus oblatus impatienti me quadam expectatione refersit atque demulsit. Referentibus enim seu potius buccinantibus duobus equestris ordinis viris sane splendidis et sapientissimis didici Seipionis ac Caesaris praestantiam et differentiam ex rebus eorum gestis abs te collectam esse et sub unum aspectum adductam. Ingenti enim spe deductus sum rem certe praeclaram contemplaturum esse me, ut longa deinceps inquisitione opus non foret ad cognoscendam utriusque vitam pro

669, 7 rel terminat codd. | 12 rel Vale add. codd.

670, 7 perspexerim? | 15 ae] rel et codd.

tua eximia doctrina et innumerabilium rerum lectione, in qua 20  
per aetatem atque otium versaris impensius.

Horat. A. P.  
139.

Sic enim arbitrabar; perlato autem libello et diligenter perlecto me longe mea de te fefellit opinio. Hui quanta de spe dedidi! « parturiunt montes et nascitur ridiculus mus ». Nam vel rei amplioris cura perceptarum olim a te rerum memoriam obliteravit aut in tanta iudicii tui expectatione praevericatus es et, ut Caesar diceret, « non tam mendacia dicere quam mentiri de me voluisti » aut fortasse quantum tua in dicendo in re etiam facta valeat oratio significare delegisti. Quod si ita est, uti mox cernes, non tam oratoris qui vir bonus et veritatis amator diffinitur a veteribus, quam in arte ostentatoris munus absolvisti. Recenseamus si placet quod inter nos hic dicendum sit: non dictum omne, fastidiosum nanque excresceret volumen, sed pauca quaedam, quibus intelligas, cum sis inter nostrates humanitatis studiis et eloquentiae deditos non postremus, eo pacto scribendum et mature disserendum, ut in ista aetate canoque iam capite minimum sit quod vel praesentes increpant vel posteri.

Ab eo autem quod abs te nuperrime dictum est incohemus: quem morem vobis hominibus dicendi vi ac ratione pollentibus inesse animadverti. Subdis enim in calce: Adde quod nomen 40 Caesaris docti omnes viri execrari et odio habere deberent. Non enim magis patriae quam latinae linguae et bonarum artium extitit parricida; una enim cum libertate corruit latina eloquentia et studia litterarum. Indignum sane facinus, extinctum doctrinae splendorem et orbatum 45 divino lumine genus humanum, cuius profecto iactura satis deplorari et indignitas accusari non potest, quando nihil maius excellentius admirabilius vel humano excogitatum sit ingenio vel homini divinitus attributum, seu voluptatem seu animorum pabulum seu fructus amplissimos seu immortale gloriae viaticum 50 ante oculos proponere contemplarique velimus. Ceterum quid haec ad Caesarem? quibus id argumentis culpae Caesaris inurerere posse speras? « Quodnam scelus excidit ore? » Ubinam

Verg. Aen. II  
658.

Poggi, vir doctissime, loqui te putas? Num in convenarum barbarorum corona contionem habere te censes, qui butyrum magis 55

et mephitim quam ullum musarum nectar redolent et ad omne latini sermonis vocabulum per novitatem inhiant, et p[ro]ae stu-

pore « ab narrantis ore pendeant? »

Verg. Aen. IV  
79.

Sed ut ad te redeam, doctissimi viri, quorum iudicium pro  
60 tua moderatione tuo anteponis, Caesarem non linguae latinae  
parricidam, ut tu vocas, sed ut Tullius testatur « illum omnium  
fere oratorum latine loqui elegantissime » praedicant; illis testi-  
bus Caesar ad Ciceronem « de ratione latine loquendi accuratis-  
sime scripsit »; et alio loco ita scriptum legisti: « Caesar autem  
65 rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et  
incorrupta consuetudine emendat ». Sic est in Bruto. Itaque cum  
ad hanc elegantiam verborum latinorum adiungit illa oratoria  
ornamenta dicendi tum videtur tanquam tabulas bene pietas col-  
locare in bono lumine. Complura tibi producam testimonia ne-  
70 cesse video qui, cum lecta meminisse nolis, alios quoque rerum  
imperitos in fraudem ac errorem illicis et tui nominis auctoritate  
circumvenis. Quantus is apud Fabium Quintilianum praedicetur  
seis: « C. vero Caesar si tantum foro vacasset non aliis ex no-  
stris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acu-  
75 men, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse quo bellavit  
appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie  
studiosus fuit, elegantia »: non, ut Poggii fingit, destruit. Nonne  
et apud Tranquillum legis « eloquentia tanta fuisse ut aequarit  
praestantissimorum gloriam aut antecesserit. Quid? oratorum quem  
80 huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis  
aut acutior aut crebrior, quis verbis aut ornatior aut elegantior? »  
Plutarchus eruditissimus philosophus secundas Caesari partes in  
dicendi potestate tribuit, qui et primas assecutus esset si tantum  
eloquentiae, ad quam natura erat aptissimus, quantum armis in-  
85 dulsisset. Nonne et duo eius de analogia libri Latinorum studia  
iuverunt? Eos docti homines praecipua mentione minime com-  
mendassent, nisi ad testificandam Caesaris doctrinam et in stu-  
diosos viros industriam et opem pertinere cognovissent. Vide-  
90 Poggi quod et ante noveras: quanta Caesar adiumenta latinae  
linguae attulerit et ornamenta, quibus factum est, nisi aut in-

Br. 252.

Br. 253.

261.

x 1, 114.

Iuc. 55.

Caes. 3 2.

---

56 *vel* mephitem *codd.* | 90 *vel* lat - ling - *codd.* | 64 *rel* legimus  
*codd.* | 75 *rel* eo *codd.* | 78 *vel* equaverit *codd.*

gratus aut pervicax esse malis, ut litterarum expositorem et mun-ditiarum parentem verius quam parricidam appellare debeas bene de nomine ac dignitate populi romani meritum.

Eius culpa eloquentiam latinam et studia litterarum corruisse fingis aut iactas; contra affirmant alii, in quibus et Cicero ad 95

*ad fam. IV 8, 2.* M. Marcellum: « Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet favet ingeniis, nobilitatem vero et dignitates hominum quantum et res et ipsius causa concedit amplectitur ». Nonne et Suetonio teste

*Iul. 42.* in reformanda re publica omnium bonarum artium praceptorēs honore affecit, civitate donavit et undique accivit? Scire velim 100 abs te, cum per ignorationem meam non intelligam, in quonam artium genere tantus factus sit interitus, ut et tecum ipse deplorem et atramat orationem induam. Quod si dicere nequieris, multi contra et paene infiniti commemorari tibi poterunt quibusvis in artibus excellentes, qui primum quidem circiter bella civilia, de 105 inde paulo post, tum posterioribus longe temporibus floruerunt. Quin ausim affirmare multas et quidem praeclaras arte subtilius et ornatius viguisse.

Vis de tenuioribus primum artificiis recognoscere? Praestan-tissimos fuisse non negabis virosque doctos in grammaticis plu- 110 rimos, qui quanti qualesve extiterint, etsi fato nescio quo perie-rint, docucento sunt Donatus, Servius, Priscianus, Acron, Asper reliquique permulti.

Serv. *ad Ecl. VI 11.* Quid de poetis? Dicerem de Catullo, Claudio, Ovidio, Lu-canu, Statio, Silo Italico, cuius in lucem revocandi auctor extiti-sti, nisi omnes eos suo splendore dignitate admiratione unus Virgilius obumbrasset, de quo etiam tum adulescente ab Cicerone praeclare dictum est: « magnae spes altera Romae »; et ab alio: « laus quidem Maronis est, ut nullius laude crescat, nullius vi-tuperatione minuatur »; et: « cedite romani scriptores cedite 115 graii ». Nec immerito, nam « omnia divino cantavit carmine va-tes » et quem iure optimo praeponas Ennio illi, qui antiquitatis gratia observatus, non iniuria dictus est « vir haud magna cum re sed plenus fidei ». Ennium nanque sicut sacros vetustate

---

91 *vel* velis *codd.* | 105 *vel* dein *codd.* | 117 *vel* a *codd.* | 121 *vel* nec immerito *om. codd.* | *Omnia...*, su questo presunto verso ovidiano vedi R. Sabbadini *Le scoperte dei codici latini e greci*, Firenze 1914, 104.

125 lucos adoramus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem ». De satyris non dubitandum est, Quintiliani sententia, quin priscis illis « tersior sit ac purus magis Horatius ». « Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit ». Iuvenalis non in extremis ab eru-  
 130 ditis numeratur. Volumus et pictores non involvere silentio, quando cognata ferme sunt ingenia et « pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas ». Ingens nimirum et horum numerus et elegantia antiquis non dissimilis.

Historicine pauci ac parum incliti fuere et qui priscos sine dubitatione post se reliquere? Nam Cicerone teste constat quantum eius aetate ab summo abesset historia quamque genus hoc scriptioris nondum satis esset latinis litteris illustratum. Exorti sunt Asconius, Luceius, Sallustius, L. Florus, Trogus, Iustinus, Curtius, Cornelius Tacitus et ut in uno cunctorum laudes am-  
 135 plectar T. Livius ille gravis et lacteus. Philosophos taceo, cum innumerabiles fuerint. Tamen quanti Senecam, quanti Plinium, quanti Boetium faciemus? nonne priscis illis si non anteponis, saltem aequabis? Idem vere de desertis et eloquentibus dicere licet; quos defecisse tantopere deploras ut amisso phœnlice se-  
 140 men et origo sit omnino sublata. Nil de graecis commemoro, innumerabilibus fere; nam si explicare superiorum saeculorum desertos homines curaveris, post civilia bella dico, « ante diem clauso componet Vesper Olympo ». Tullius « plura eversa quam stante re publica volumina conscripsit », ut ipse affirmat. Pulcherri-  
 145 mas et desertissimas cum aliorum tum Ciceronis orationes post civilia bella videmus actas vel in senatu vel in iudiciis. Quis recensere possit iurisconsultos, admirandos doctrina et orationis suavitate homines, qui post illa tempora supra modum eluxere? Quot in condendis digerendis interpretandis legibus divino quodam ingenio et orna-  
 150 tissimo scribendi genere floruerunt! Medicinam humanae saluti divinitus commonstratam, antiquis licet temporibus ortam, post bella civilia et ornatam et eruditam et perfectius elimatam ipsius artis professores egregii non negant. Unum exortum est scientiae  
 155

138 *vel Luceius Sal - Asconius codd.* | 139 Poggio nella replica (*Opera* 371) ha Cornelius Nepos. | *vel complectar codd.* | 142 *vel antepones codd.* | 145 *vel nihil codd.* | 149 *et codd.*

lumen, quo vel solo posteriora sic illustrata sunt saecula et mortalia mentes, ut caelitus infusa videatur. Nam sacrarum litterarum interpretes et divinarum institutionum auctores in lucem editi sunt, quorum ubertate quid copiosius, suavitate quid iocundius, dictione quid ornatius, intelligentia quid acutius, multitudine quid numerosius?

Quae cum ita sint et ita esse inficiari nequeas, quid studiorum, bonarum artium, eloquentiae ruinam falso luges et interitum? Qua in re cava<sup>o</sup> ne te Caesaris parricidam vocare nonnulli valeant, sicut illum tu litterarum insimulabas: et eo magis quod « non hac ipsa corporis vita, quae vere mors est », sed gloria et nominis immortalitate eum privare vis. Esto autem: plures viri doctissimi et eloquentissimi fuerint, quos ut dices clades civilis absumpsit. Num idcirco litterarum et liberalium praceptorum artium bello civili periere? Num se e musarum antris eduxerunt et togas succincti, codicibus ad telorum ictus obiectis, se intra concursantes acies immiscuerunt? Tot urbes Italiae, tot peregrinae studiosis adulescentibus refertae vigebant, quae tonante civilis belli procella ne minimum quidem sensere strepitum nec ulla ex parte disciplinarum lucubrationes intermisserunt. Quot Bruti, Lentuli, Marcelli, Curiones, Sulpicii, Galbae, Polliones, Pauli peritissimi superfuere. Fac Caesaris opera deletam fuisse Romanorum libertatem, quod tamen adhuc non concedo: numquid a Caesare senatus consultum factum est, quo philosophiae et ceterarum liberalium artium studiosi capite poenas luerent aut de italicis urbibus philosophos exterminavit? Quod Catonem illum censorum factitasse constat. Hunc ipsum detestari et execrari debueras, si tanta te studiorum tenet misericordia, quam verbis prae te fers et quasi filiolam luges amissam. Quis variarum doctores scientiarum undique allexit? Caesar. Quis praemiis ornavit? Caesar. Quis honore ac dignitate aluit? Caesar. Vide igitur quam conveniat eum litterarum parricidam abs te vocari.

At enim sublata sunt studiorum praemia, dices: magistratus intercepti, sententiae in senatu dicendae amissa est omnis occasio, dum ad unius voluntatem cuncta reguntur; non accusandi,

---

170 *vel* doct-viri *codd.* | 173 *vel* musarum suarum *codd.* | 174 *vel*  
toga *codd.* | 181 *vel*-quid *codd.* | 182 *vel* ab *codd.*

non defendendi tempus locusque de more praestabatur, qui elo-  
 195 quentiae campus et quasi stadium fuerat; et ut a Cicerone dic-  
 tum est « honos alit artis omnesque incenduntur ad studia glo-  
 ria ». Si ita sentis aut dicis, Poggi carissime, vehementer aut  
 fallis aut falleris. Finito nanque civili bello, Caesaris dico et  
 Pompeii, romana res in pristinum adeo gradum ordinemque re-  
 200 dacta est, ut nulla fere iudiciis, legibus, cogendo senatui videre-  
 tur allata mutatio. Lege Plutarchum, diligentissimum rerum ge-  
 starum indagatorem, cui mira est antiquitatis notitia. Is in Dionis  
 ac Bruti vita comparanda haec ad verbum exposuit: « Caesaris  
 potentia dum constituebatur quidem non parvam adversariis in-  
 205 festationem exhibuit; suscipientibus autem et superatis nomen  
 duntaxat apparuit et existimatio. Ab ea nullum crudelitatis opus  
 extitit nullumque tyrannicum ». Et profecto rem ita esse compe-  
 ries. Vigebat senatus auctoritas, praetorum quaestorum censorum  
 imperatorum consulum ordinaria servabatur creatio. Quibus in  
 210 rebus cum tu diminutam seu mortuam romanam libertatem di-  
 cas, ego auctam et vivacem factam esse contendo, longius latius-  
 que romani fines imperii prorogatos affirmo, non conjectura sed  
 scientia et eorum testimonio qui populi romani gesta scriptis et  
 memoriae commendarunt: Dacas subiugatos, Germanias Pannonias  
 215 Illyricum Dalmatiam Africam Aegyptum in provinciam redactam.

Tusc. I 4.

c. 2.

Post Caesaris tempora his in partibus romanum ampliatum est  
 imperium. Num Indi Scythae Parthi Augusto imperante in ami-  
 citiam populi romani venere obsidesque obtulere? Ex quibus  
 Parthi vindicati signa militaria, quae olim magna cum nostrorum  
 220 clade Crasso et Antonio ademerant, reddiderunt: quod et timoris  
 indicium et oboedientiae confessio est, cum vel sic victos sese fa-  
 terentur et ut dicitur « herbam darent ». Quas ob res cum serva-  
 tum romanum sit imperium lateque propagatum, cum magistratus  
 et potestates consueta dignitate retentae, ut planius inferiore in  
 225 loco patefaciam, bonis artibus et liberalibus studiis materia honos  
 et praemia non defuerint et ea maximum susceperint incremen-  
 tum tum Caesare ipso tum Caesaris opera, non modo linguae  
 latinae et bonarum artium parricida C. Caesar appellari abs te

Suet. Aug. 18.  
21.

ibid.

Serv. ad Aen.  
VIII 128.

195 *vel ab codd.* | 196 *vel artes codd.* | 202 *vel inest codd.* | 206 *vel*  
*existimatio codd.* | *vel opus crud - codd.*

Verg. Ecl. IX  
36.

non debuit, quibus ille favit et gravium historicorum testimonio famam ornamentumque contulit, sed contra linguae latinae et bonarum artium parentem celebrare atque illustrare debent nostrorum scripta sermonesque disertorum. Ad quos si ingenioli mei tenuitas adspirare potuisset, litteratorum nomine pro mea virili studiosorum gratitudinem testatus essem; non desinam tamen ut, quantum Poggios dicendi magnitudine ac stili tuba vi-  
tuperare immeritum videro, ego velut « anser inter olores » obstrepare et commendare pergam.  
230 235

Nunc ad institutum revocetur oratio. Litterariam ego tecum orbitatem et posterorum saeculorum calamitatem lugendam esse sentio, in qua sicuti Caesar omni culpa vacat, ita in vitio sunt hominum flagitia et superioris aetatis error, maxime cum invale-  
scere coepit avaritia, quae omnium malorum mater est atque ma-  
teries. « Nanque avaritia, ut inquit Crispus, fidem probitatem  
240

Cat. 10, 4.

Horat. A. P.  
330.

ceterasque bonas artes subvertit ». « At haec animos aerugo et cura peculi cum semel imbuerit speramus carmina fingi posse linenda cedro et levi servanda cupresso? » Iuventus potius et natu grandiores insuerint privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere, quam ullam virtuti ac disciplinae operam impendere; transmarinas citius quaestus gratia peregrinationes terraeque marisque pericula subire, quam propinqua adire loca nullo cum discrimine, ut meliorem animum ornatoremque reddant. Non minimum quoque detrimentorum studiis importavit comes ad perniciem adiuncta luxuria, qua acuta etiam torpent iuventutis ingenia. Ciborum varietati pretiosisque saporibus, non artibus bonis, invigilare coepit industria; saltare, canere, alienis insidiari lectis calamistrati didicerunt adulescentuli, quorum palatum prius quam linguam domesticae instruxerunt disciplinae. Has ipsas honorum omnium pestes, quibus virtus atteritur, verissime accusare detestari ac studiorum et bonarum artium parricidas execrari debueras, ne calumniatoris nomen indueres.  
245 250 255 260

At enim libertate extincta subsecuta sunt imperatorum portenta nefaria. Indignum et lacrimabile facinus, cum

---

232 *vel* quas *codd.* | 235 *vel* poggium *codd.* | 239 posteriorum? |  
244 ad *codd.* | 245 imbuerit animos *codd.* | 247 *vel* insueverint *codd.* |  
258 *vel* vis *codd.*

imperio praestantissimo atque pulcherrimo sordidos atque portentuosos gubernatores praesidere contigit. Quid, quod et excellentes  
 265 tissimi successere principes quam plurimi seu virtutem seu doctrinam seu sapientiam seu rei militaris scientiam et rerum gestarum gloriam contemplere, ab quibus late propagatum et saepissime ab hostili vastitate conservatum est imperium? quos et probe nosti. Tacebo itaque Octavianum, T. Flavium, Traianum,  
 270 Ant. Pium, Hadrianum, Constantinum, Theodosium reliquosque permultos. Fac vero omnes ad unum flagitosos post primum ac perditos evasisse Caesares: quaenam incusandi Caesaris ratio est? Erat in eius manu successoribus vitae normam praescribere et posteris, quae sequerentur, necessaria vivendi instituta vel in  
 275 vitis edicere? Si quis diligentissimus pater familias quaesitum industria, magnis laboribus, periculis patrimonium liberis suis legasset, ii vero per socordiam illud perire sinerent aut luxu et illecebris dilapidassent, patrem idcirco familias iustis conviciis insectarere? Quod si feceris, num iusta in te odia concitaris et  
 280 maledicta? Ne longe abieris, primus Christi vicarius et nostrae religionis antistes constitutus est in terris Petrus, super quo Dominus noster Jesus Christus suam fundavit ecclesiam eique pastori suas pascendas commisit oves. De cuius sanctitate reliquisque virtutibus nil attinet dicere tum quia laude non egent humana  
 285 tum quia in re tam manifesta testes sunt superflui. Petri successores non omnes Petri similes esse dices aut credis. Num igitur illum execraberis quia superiori tempore nonnullos improbos vel avaritia vel nequitia insignes extitisse non ignoras? Eadem ratione et regium statum et consularem et decemviralem et tribuniciam  
 290 consulari potestate creationem atrociter increpabis, quoniam sceleratos in illis emersisse comperies? Non idcirco illorum creandorum auctores aut reprehendes aut contumeliam, sed eos qui magnarum rerum occasionem et adiumenta nacti ad malas se artes converterunt.

295 Videre nunc videor, amantissime Poggi, tuorum te scriptorum iam poenitentia duci et qui aliis placere voluisti, tibi ipsi etiam atque etiam displicere. Quod ita fit, ubi rectum consilium

264 *vel* contingit *codd.* | 274 *vel* quam *codd.* | 284 *vel* eget *codd.*

292 *vel* reprehendes *codd.*

mentemque calamus praeverit. Loquor tecum ingenue, quia lex  
 Cic. *de am.* 88. amicitiae iubet ea « capienda esse amice cum benivole fiunt ». Et audes catus homo id tuum edere iudicium, ubi vagus, non ad 300 historiarum dictata, non ad doctorum et quidem priscorum hominum sententiam, sed ad nescio quem sensum voluntate inque profers? In quo scitum illud sequendum abs te fuerat: ut castum iudicis absolveres officium, persona deponenda erat amici et iudicis induenda. Id vero quam factum a te sit, quibusdam 305 tecum in capitibus discutere non indignaberis. Non enim id mihi robur easque vires inesse confido, ut solus fortissimi bellatoris incursionem uno sufferre queam impetu; reliquis etiam cohortibus vicem relinquo, quas in subsidiis esse tibi denuntio. Quae ubi collata signa viderint, sublato clamore ductu Caesaris et auspicio 310 te me irruent.

Interim dum acies struimus de Luciano auctore graeco diligentius et apertioribus oculis animadverte, apud quem nullam de Caesar mentionem factam esse cernes. Caesaris ac Scipionis praestantiam expositurus, hoc est uter utri excelluerit, utriusque 315 bona contraque turpia velut in trutina debueras expendere: sic enim nec te iudicem nec lectorem fefelleris. Longe aliter facis, qui in altero quidem bona, quae eximia esse non inficior, dinumeras et tollis ad sidera, in Caesar vero vitia si qua fuerint ita rimaris et amplificas, admirandas autem divinasque virtutes aut 320 subtices aut calumniaris, ut ex orationis acumine potius admirationem quam veritatis pronuntiatione laudem vendicare volueris, eos qui scabie laborant imitatus, qui sinceram omittentes carnem si quid sanie gliscat indagant et unguibus exprimunt. Ecce in comparandis Caesar et Alessandro quia consilio Plutarchi eruditii 325 in primis viri auctorisque gravissimi praeiudicium ad Caesaris commendationem pertinere cernis, cur id malignaris et quod ab homine philosopho et veritatis historiographo relatum est, id non fideliter exponis sed in deteriorem trahis partem? Tu rem ipsam

---

300 *vel* cautus *codd.* | 303 *rel* abs te seq - *codd.* | 312 Poggio aveva scritto: Lucianus graecus autor Hannibalem Scipionem et Caesarem apud inferos in certamen gloriae rerum gestarum disputantes ludens introduxit, ut videatur pares quodammodo eos fuisse velle sentire. Ma era male informato; nel dialogo di Luciano *de praestantia ducum* i tre interlocutori sono Annibale, Alessandro e Scipione. | 325 *vel* ac *codd.*

330 verius explica et liberum auditori relinque iudicium. Credo, inquis: estne in re tanta coniecturis agendum, in qua de vita certatur? Vitam enim esse non hanc qua morimur in dies, sed gloriam qua immortalitas propagatur sapientissimi diffiniunt, quam qui auferre conantur longe magis furti tenentur, quam qui pi-  
 335 stillum aut sarculum interceperit. Utque comparationem minuas, Alexandrum non tam excellentissimum quam Graecorum ex-  
 cellentissimum iactasti, ut nationi, quam inanissimam ingratitudinem quidam appellare solent, comparatus Caesar inferiorem ab hominibus opinionem consequatur: quasi Graeci non omnium magnarum artium et insignium disciplinarum inventores extiterint. Nec animo advertis, p[ro]ae cupiditate carpendi, Alexandrum macedonem fuisse non graecum; et de rebus militiae gestis non de virtutibus comparationem confectam esse credere te dicis. Ut autem non recte credere sed potius falsum te opinari videas,  
 340 345 inspice quid in prohoemio ab Plutarcho scriptum de illis est: « Vitas non historias conscribimus nec omnino rebus clarissime gestis virtutis aut vitiorum inest demonstratio. Ceterum breve persaepe negotium, oratio iocusve mores magis aperit quam infinitis editis stragibus pugnac, acies maxima[rum] et urbium obsidiones ». 1, 3.  
 350 Nec longe post addit: « Nobis concedendum est ut animorum adeamus indicia, quo per haec utriusque vitam effingamus, amplissima reliquis certamina relinquentes ». Praeterea si vitas amborum percurrere dedit[us] non esses, virtutes aut vitia magis ab eo quam res militiae gestas describi non crederes, ut ais,  
 355 sed tute cerneret et Alexandri quoque calumniam forsitan exorsus esses, ne socio Caesar invidereret.

De reliquis aut refellendis aut purgandis aut etiam concedendis, nec enim ipsum omnino vitio caruisse negaverim, id abste velim impetratum ne aut tibi tantum tribuas ut per te de rebus 360 tam antiquis et ab tua memoria remotis iudicium facias aut probatis rerum scriptoribus anteponas. De eo quod civem patriae perniciosissimum fuisse et in servitutem patriam redigisse dicis post videbimus, cum et posterius factum sit; verum priorem aetatem quam adeo insectaris examinemus. Qui mores,

*Alex. 1, 2 (cfr.  
Cat. min. 37, 4).*

343 *vel te cred - codd.* | 347 *vel pers - breve codd.* | 348 *vel iocusque codd.* | 360 *vel a codd.*

quae animi magnitudo, quam praeclara in Caesare eluxerit et 365  
 praeluxerit effigies, priores testantur anni, de quibus parva quae-  
 dam libasse sat erit. Cinnam, civem amplissimum, quater consul-  
 lem dictatoremque, filiam Corneliam Caesari vixdum annum sex-  
 tum decimum egresso in matrimonium collocasse, magnae cuius-  
 dam existimationis et praecipuae dignitatis argumentum est, non 370  
 autem eius aetatis cui nihil insigne fuisse fingis. Cui et Sylla  
 ipse testis accedit; nam in eum, ut iam tum maximi ponderis  
 hominem, adeo capitales exercuit inimicitias, ut perdendi pueri  
 cupidus inquisitores plurimos dimitteret qui ad necem eum e la-  
 tebris extraherent. Nec enim minus quam Marium, Syllae terrori 375  
 Caesarem fuisse ipsius Syllae testatur oratio, quem praedicare  
 solitum dicis « ut male cinctum puerum praecaverent ».  
 ib. 46. Quam ob rem? « nam Caesari multos Marios inesse ». O ingens  
 ib. 1. de Caesare iam inde a puero paeconium, si sagacissimi ad odo-  
 randum Syllae testimonio tot Marios aequabat unus. De Mario 380  
 Plut. Caes. I; Cic. Parad. 16. philosophus magnus ita sentit et loquitur, ut « in secundis rebus  
 fortunatissimum hominem, in adversis summum virum » appelle.  
 Juvenal. VIII 249. « Hic est qui Cimbros et summa pericula rerum excipit et solus  
 trepidantem protegit urbem ». Dehinc nonne laudi maxima et  
 adulescentis ornamento paene singulari fuit, quod incliti homines, 385  
 ornatissimi viri et civitatis romanae principes pro pueri salute  
 apud Syllam intercesserunt; apud eundem et virginis Vestales  
 Suet. Jul. 1. pro illo summis precibus contenderunt? quarum castitas et obser-  
 vantia maiestatis locum in civitate romana semper obtinuit. Quam  
 ob causam, nisi quod splendida in adulescentis aetate indoles 390  
 generosaque pullulantis virtutis nobilitas bonorum civium animos  
 contra crudelissimum tyrannum impiumque commovebant? Sylla  
 nanque, cuius acutissimum erat ingenium perspicaxque ac praes-  
 saga magnifici viri coniectura, futurum Caesarem praevidebat, ab  
 quo sibi partibusque suis venturum exitium metuebat. Eapropter 395  
 tanti momenti iuvenem primum quidem pollicitationibus ac blan-  
 dimentis, deinde comminationibus atque terrore ad se conatus  
 allicere, teste Plutarcho, spretus est ab eoque contemptus: ideo,  
 Caes. 1. quod reliquum erat homini carnifici, eius vitae struxit insidias,

---

366 vel pauca codd. | 380 vel equavit (equabit) codd.; aequabat  
 Poggio nella replica (p. 378)

400 quas egregia iuvenis prudentia adhibitis remediis evitavit. Eodem tempore, Sylla dictatore vehementius urgente, Caesar ut Cinnae filiam Corneliam repudiaret nulla conditione compelli potuit, non dotis amplissimae confiscatione, non gentiliciarum haereditatum mulctatione, non sacerdotii praestantis interceptione. Quaero 405 igitur abs te, Poggi, si adulescens virum adeo terribilem romani gubernatorem imperii in civium millia strages edentem contempsit et p[re]a honestatis et officii ratione parvifecit, num illum fortissimi viri et magnifici animi laude dignabere? Si eundem ab Cinna ex omni romana iuventute et nobilitatis flore generum delectum, si praeterea Syllae iudicio atque verbis tanti factum aspicis, audebis pervicaciter dicere quod Caesaris adulescentia omnis nihil habuit quod magnopere sit aut laudandum aut referendum? Melius dixisses: quod Poggio, caesarianarum laudum detrectatori aut occultatori, placens acceptumque sit.

415 Id ut planius recognoscas accipe. Cum aliquot romana religio flamines haberet, in primis eximiae dignitatis et honoris flammen dialis erat idest Iovis, παρὰ τοῦ Διός. et recte sane. Nam sicut Iovem « hominum patrem atque deorum, rerum cui summa potestas », ut poeta diceret, coluit antiquitas, sic et illius flaminem praestare voluerunt. Hoc itaque sacerdotium cum plures 420 praecipuae nobilitatis homines peterent, Caesar omnium consensu ceteris praelatus est. Tanta hominum studia, pronos animos propensumque favorem meruisse pro nihilo pones aut insigne potius quod magnopere sit laudandum et referendum? nonne ex media 425 virtutis laude dicetur et officio? Accipe et hoc quod tūte fateberis insigne. Quid frontem contraxisti? ne discedas oro, abibis deinde non indoctior. Cum Thermi fortissimi et eximii imperatoris ductu et auspicio populus romanus bellum in Asia gereret, in expugnatione Mitylenarum complurium strenuorum militum 430 usus opera, enitentem Caesaris, qui sub eo merebat, virtutem habuit, in cuius rei testimonium adulescentem corona civica donavit, « quam ut scis civis civi a quo servatus est in praelio testem vitae salutisque perceptae dare consuevit ». Ne autem vel ignavis id praemium contigisse calumnieris, illud ipsum tradi so-

Verg. Aen. X  
18, 100.

Suet. Iul. 2.

Gell. V 6, 11.

---

408 *vel a codd.* | 414 *vel detractori (detractatori) codd.* | 426 *faterbere* Poggio nella replica (p. 379) | 434 *illud] vel id codd.*

Gell. ibid. 13. litum est iis « qui cum civem servaverant, eodem tempore hostem occiderant ». Sic duplicitis virtutis et servi civis et caesi hostis insigne consecutus est Caesar et quidem adulescens. Vides, vir eruditissime, quot in eo laudanda sunt, cuius adulescentiam nihil habuisse insigne commemoras, quod magnopere laudandum fuisse dicis.. Hoc ipsum vere insigne et celebrandum vel in maiores 440  
 natu facinus si de Scipione legisses, quanto verborum ambitu, quanta et quam luculenta oratione decorasses ! Virtus ubique praedicanda est seu in hoste sit seu in alterius factionis homine. Huius tam paeclari facinoris gloria tota Caesari sine ulla dubitatione tributa est, non sicut Scipionis factum de patris 445 apud Ticinum liberatione, « cum servi consulis decus ad servum natione ligurem ab quibusdam auctoribus delegetur ». Alterius facti venit in mentem, quod etsi forsan alias gravata latus sit, insigne tamen et patriae splendori et imperii stabilimento fuisse negaturus non es. Regiones Asiae romano proximas impe- 450  
 rio incursionibus spoliante et vastante Mithridate, rege profecto potentissimo et multos iam annos romanis cognito ducibus, Caesar accitus ad opem ferendam, ab Rhodo profectus, quo studiorum gratia navigarat, in Asiam traiecit acerrimus adulescens. Ubi contractis in unum adversus regios exercitus auxiliis, Mi- 455  
 thridatis praefectum, fusis eius copiis, fugavit, provinciam romanam servavit, sociorum discrimen depulit, dubias civitates stabilit, constantes in fide tenuit. Didicerat nanque magni cordis et optimis imbutus disciplinis adulescens quod liberalium artium studio ab rebus gerendis abduci contra officium est. Praetermit- 460  
 tendae etiam defensionis eas causas ut turpes et ab philosophia reprehendendas esse cognoverat, cum quis laborem reformidaret aut pigritia inertiae tardaretur aut suis ipse studiis impediretur ut eos quos tutari deberet desertos esse pateretur. Cedis adhuc an vero perstas et nihil insigne in Caesaris adulescentia fuisse 465 contendis, quod magnopere laudandum proferendumque sit ? Hoc Caesaris factum insigne adeo populus romanus amplexus est et tantopere tulit in caelum laudibus ut, gratae mentis testimonium honore fortibus viris digno declarans, tribunatum illi militum cunctis suffragiis tribuerit.

Suet. Iul. 5.

470

---

436 vel occisi codd. | 447 vel a codd. | 462 vel reprendendas codd.

Non invitus abs te, humanissime Poggi, quae sierim num inter insignia colloces quod a teneris annis sic magnarum rerum et optimarum artium studiis invigilaverit et accuratissimam operam impenderit, ut inter doctissimos latini et graeci nominis homines  
 475 non postremus annumeretur; cui sane rei testis, licet inimicus, Cicero accedit: « Omnes inquit superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset ». Estne insigne vel admirandum potius, quod « scribere simul et legere, dictare et audire solitum certi auctores tradunt? quid quod epistulas tantarum rerum qua-  
 480 ternis pariter librariis dictare aut si nihil aliud ageret septenis consuetus fuerit? » num insigne aut laudandum? Si universa Caesaris adulescentis insignia complecti voluero, grande certe volumen hoc a me tempore minime destinatum confecero. Unum itaque dumtaxat praeclaruni ut arduum facinus adiungens, reli-  
 485 qua valere sinam. Caesar cum Syllae furorem et acerbas in se fugiens inimicitias excedere Italia statuisset, Rhodum praestantissimarum artium domicilium musarumque et eloquentiae nutricem in primis tanquam « ad sapientiae mercaturam » enavigabat.  
 Inter navigandum circa Pharmacusam insulam a maritimis p-  
 490 donibus excipitur; ii nanque per id tempus insulas oramque maritimam infestantes mare navibus innumeris et classibus ingentibus tenebant. Ab eis cum dein talentis quinquaginta sese redemisset, in Asiam se recepit et mox adunatis in Milesiorum portu navibus et militibus impositis, qui frequentes pro sua in Caesa-  
 495 rem pietate convenerant, in latrones fecit impetum navalique praelio commisso fundit fugatque et redactis denique in potestatem piratis cruci suffixit: quod illis ioco saepe minatus fuerat dum apud eos captivus teneretur. Hoc insigne facinus, apud non malignum virtutis aestimatorem praecipuis celebrandum praeconiis,  
 500 dubitari non potest quin fortitudinis et iustae vindicationis titulis adornetur.

Subinde non ridere et amice interdum subirasci tibi non possum tuam perlegens epistulam, in qua, omnia in Caesarem maledicta colligens ea sic affirmas quasi nulla subsit dubitatio et

473 *rel* invigilarit *codd.* | 479 *rel* tradant *codd.* | 495 *rel* predones *codd.* | 497 *rel* predonibus *codd.* | 499 *rel* extim - *codd.* | 502 *submirari* Poggio nella replica (p. 380).

*de off. II 63.*

*Plin. N. H. VII 91.*

*Cic. de off. III 6.*

*Suet. Iul. 74;*  
*Plut. Caes. 2.*

505 ~

Verg. *Geo.* III  
80.

cum eius magistratus percurris si quid est cum laude gestum tacitus omittis, sordes autem exprimis: ut, si quis eximium et celerem cursu equum adduxerit, tu « caput argutum », cervicem formosam, pectus animosum, solidos pedes omittens, caudae saetas tenuesque comas carpas. Caesarem igitur aliquotiens in coniurationis suspicionem perductum, quod Plutarchus incertum obsecurumque fuisse dicit, quis ignorat? Scimus enim quanta inimici eius, cives invidi et adversae factionis homines, tum malignitate tum metu tum indignatione in eum machinati sunt, ut eum odio plebis et populi, cui carissimum esse intelligebant, vehementius obicerent. Quocirca qui vitam eius scriptis et graece et latine commendarunt cum ad eum locum pervenirent, non « conspiravit » inquiunt, sicut « haec gessit in Gallia » et « in provinciae formam redegit » et « stipendium imposuit » et « piratas vicit », sed « in suspicionem venit ». Quid enim aliud est suspicio quam incerta turpitudinis opinio et rumor inconstans? qui eius generis 520 est, ut nulla tam sancta integraque persona sit, quam non suspicionibus quivis possit criminari, indignumque apud iudices graves tuique similes facinus habeatur, suspiciones firmamenti satis habere, quas homines aut factionibus acerbi aut natura malivoli persaepe configant. Cuius rei gravissimus testis est Salustius, 525 praestans historicus et auctor valde bonus, qui in coniuratione Catilinae suspicioni fuisse Crassum et Caesarem scribit, cum per clarissimorum civium insidias et calumniam variis rationibus et causis in ea et quide[m] falso nominati fuissent: quod a Cicerone praestantissimo cive et amantissimo patriae consule pro Caesaris 530 integritate atque laudibus testimonio declaratum est.

Ceterum de aedilitate praetura reliquisque magistratibus si quid magnifice iuste ac forti animo gestum est, abs te mentio nulla. Si eius praestantiam dicere velle praefatus es, cum non mediocre vel moribus vel arti sit vitium aliud proponere aliud 535 commemorare, cur ornatum a Caesare comitium forum basilicas porticus, cur editos magnificis apparatus ludos venationes epulas reliquaque munificentias nec exponis nec significas, quae ad illius aetatis gloriam pertinebant? Ea vero vel ad peritorum iudicium vel ad imperitorum notitiam fuerant explicanda. C. quoque 540

---

532 vel ceterisque codd.

Caesari videris obicere quod ad conciliandum plebis favorem restituit trophaea C. Marii prius a Sylla disiecta.

Suet. Iul. 11;  
Plut. Caes. 6, 1.

Qua in re cum non modo vituperium nullum sed summa pietatis laus Caesari sit, quoniam quaedam illius probro suffuraris, sup-

545 plendum est quod intercepisti. Amita Caesaris Iulia, senioris uxor Marii, diem suum obierat, quam nepos ipse efferre honorifice cupiens funebrem orationem et quidem luculentam omnium admiratione cum habuisse, ornamenta mariti ad Iuliae laudes non parum attinere cognoscens, simul et Marii statuas et tro-

Suet. Iul. 6.

550 phaea praetulit; ea posteriori tempore publice in Capitolio reposuit quae dudum ab inimico Sylla et homine immanissimo disiecta latuerant. Scire abs te velim quidnam in hoc facto quod tantum improbas peccatum est. Quae ab inimico per odium fuerant abiecta, per pietatem ab amico restituta sunt: hic amitam

555 benignus ornatbat, ille suum imperatorem ingratus dehonestabat.

Qui minus Syllae per factionem alterius honori detrahere iniuste licuit, quam Caesari virtutis praemia iustissime conservare? Esto,

plebis favorem Caesar adeptus est: et Sylla nobilitatis studia extorquebat. Quod si acta Syllae rescindere flagitium est, impie

560 tribunicia restituta a Caesare potestas erit, « cuius vim ac ius

Suet. Iul. 5.

Sylla diminuerat », quae una contra potentes arx erat atque refugium. Res ipsa fuit argumento: de restitutis dico trophaeis.

Siquidem primariis et magnae auctoritatis hominibus in frequenti senatu Caesaris audaciam acerbissime incusantibus, in quibus Lu-

565 tatius Catulus, Caesar senatu iudice ita se purgavit adversariis

Plut. Caes. 6,  
3.

confutatis, ut cunctorum laude et admiratione verae magnanimitatis titulum reportarit.

Magnum subinde crimen intendis in Caesarem, quod effusis, ut ait, largitionibus ac supervacuis impensis populi benivolentiam captarit, praesertim cum pontificatum petret. Huic addere fidelis expositor debuisti: cuius « duos nactus competitores potentissimos multumque et dignitate et aetate antecedentes », Isauricum et Catulum, et quod ad singularem Caesaris gratiam et populi in eum caritatem pertinet, « plura Caesar in eorum tribubus suffragia solus quam uterque in omnibus tuliterit ». Ignorare videris vel non meminisse saltem quot liberali-

Suet. Iul. 13;  
Plut. Caes. 7, 1

546 *vel* mariti *codd.* | 548 *vel* Marii *codd.* | 579 *vel* tum *codd.*

tatis et munificentiae modis mirabilem populi favorem emeruit, cum id non mediocre adiumentum iis qui in re publica versantur necessario comparandum esse intelligeret. Ad eum cum ludi spectacula convivia tum praestita innumerabilibus patrocinia, commendationes candidatorum huic vel illi tribui, iudicibus, magistratibus; dexteritas, morum dulcedo, affabilitas in prensandis supra aetatem dextris, ratio et omnifariam cultus in populum valuit: quibus effectum est ut populus invicem novos excogitaret honores ac magistratus, quibus tanta in se merita compensaret. 585 Fac autem ea largitionibus empta suffragia: abs te quaero, Romaene id peccatum sit aut deformis. Quam quidem ad interrogacionem antequam respondeas et tecum diutius cogitato et quodam assumito consiliarios. Praeterea quis partienda per tribus atque centurias pecuniae morem introduxit? num Caesar? mini- 590 me. Nam quid sibi volunt leges antea *<latae>* de ambitu, quid tot ambitus rei superiori tempore in iudicium vocati? Is vero in conuentudinem inveteratus ita fuit aditus, ut optimates ne Caesar consul designaretur suffragatoribus pecuniam spoponderint atque contulerint, « ne Catone quidem tuo illo sancto abnuente eius 595 generis largitionem, quam e re publica fieri profiteretur »: tanto in odium Caesaris *<furore>* deflagrabat, de quo non longe post quaedam reseranda erunt quae ad rem pertinent. Quod si quis vel sui vel utilitatis publicae gratia sacerdotium episcopatumve cuperet, nec id nisi collatis ante pecuniis atque primitiis 600 a pontifice maximo posset impetrare, quod quidem inveterato iam more omnium ferme consensu invaluit, cuinam culpam obiectares? impetrantine an ei qui initium introduxit? Cum igitur adulescens-tulus Caesar competitoribus suis aetate potentia dignitate opibus antecedentibus praelatus fuerit et plura non modo in suis sed 605 etiam in eorum tribubus suffragia consecutus sit, non largitione non pecuniae, qua illi superiores erant, sed gratiae caritati benivolentiae quibus Caesar superabat tribuendum est. Quid tam insigne Scipioni contigisse dices? Qui non principibus, ut Caesar, praepositus est potentibus, sed desperatis ac perditis rebus, 610 cum nemo in Hispaniam imperium accipere auderet, Scipio petere professus temeritatis damnatus est et populum facti poeni-

Suet. *Iul.* 19.

generis largitionem, quam e re publica fieri profiteretur »: tanto in odium Caesaris *<furore>* deflagrabat, de quo non longe post quaedam reseranda erunt quae ad rem pertinent. Quod si quis vel sui vel utilitatis publicae gratia sacerdotium episcopatumve cuperet, nec id nisi collatis ante pecuniis atque primitiis 600 a pontifice maximo posset impetrare, quod quidem inveterato iam more omnium ferme consensu invaluit, cuinam culpam obiectares? impetrantine an ei qui initium introduxit? Cum igitur adulescens-tulus Caesar competitoribus suis aetate potentia dignitate opibus antecedentibus praelatus fuerit et plura non modo in suis sed 605 etiam in eorum tribubus suffragia consecutus sit, non largitione non pecuniae, qua illi superiores erant, sed gratiae caritati benivolentiae quibus Caesar superabat tribuendum est. Quid tam insigne Scipioni contigisse dices? Qui non principibus, ut Caesar, praepositus est potentibus, sed desperatis ac perditis rebus, 610 cum nemo in Hispaniam imperium accipere auderet, Scipio petere professus temeritatis damnatus est et populum facti poeni-

---

598 vel rem p. codd.

tere coepit, cum « favor plus quam aetatis ratio valuisse », Livo teste. Caesar autem quantum caritate valuerit et benivolentia  
 615 non solum penes populum sed etiam penes senatorium ordinem, factum illud testimonio est. Cum olim multitudinem ad se sponte confluentem operamque sibi in asserenda dignitate tumultuosius pollicentem compescuisset, « senatus Caesari gratias per primores viros egit et accitum in curiam amplissimis verbis collaudavit » :  
 620 adeo utrique ordini gratiosus habebatur. Desine igitur virtutis et laudis opera largitioni et turpitudini assignare. Ceterum si tantum largitione ac pecunia Caesarem valuisse putas ut magistratus imperia dignitates usurparit aut mercatus sit, dic oro cur non eadem et aliis et Crasso vel adulescenti vel aetate proiecto con-  
 625 tigerunt, qui re pecuniaria longe praecellebat ? Igitur tam petulantissimis maledictis romani nominis splendorem insectari non debueras, sed cum hominum comparationem facere profitearis amborum bona malaque proferre nec simul advocati et iudicis officium intercipere, ne cum utrumque reddere te incipias, uter-  
 630 que esse desinas.

Suet. *Iul.* 16.

Magnam mihi desumptam video provinciam si universis quae abs te depravata referuntur historia vel respondere vel detracta supplere decrevero ; verum ut et aliis vicem suam remittam, ne « tanquam meam in possessionem venerim », reliquos excludam,  
 635 pauca quaedam deligam capita, alia nugatoria prorsus omittens. Quod subdis, quam subdole quam corrupte quam venenose pronuntias : solus certe omnium in coniuratione deprensos conservandos censuit in senatu. Quo me vertam ? ad Poggium ? Minime, nam corruptus testis corruptas habet et aures.  
 640 Leonellum itaque principem gravissimum appello, cuius integerrimo iudicio plus tribuo. Cur Caesaris sententiam Poggius malam in partem ac sinistram excipit, cum alii de fine poenae, idest morte, in coniuratos sumenda, Caesar de poena diuturniore in parricidas statuenda sentiret ? ea quo longior, eo in male meritos supplicium dignius. Solus inquit. Immo et Decimus Syllanus cons. des. idem sentiebat, idem et Tib. Nero, idem et proconsularis homo Q. Cicero consulis Ciceronis frater, idem et re-

Cic. *de off.* 1  
134.

---

624 *vel - gerint* *codd.* | 633 *rel* *et ut* *codd.* | 637 *rel* *deprehensor*  
*codd.* | 644 *vel* *diuturniori* *codd.*

Suet. *Iul.* 14. liqui, « nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio », idest in Caesaris opinionem consentientem. Ergo non solus. « Post-  
*Cat.* 53, 1. quam Cato assedit, ut ait Crispus, consulares omnes itemque 650 magna pars senatus sententiam eius laudant ». Magna pars, in-  
 quid, non cuncti : ergo et reliqui Caesaris sententiam probant,  
 non igitur solus, uti solus Poggio affirmat, qui utinam Horatia-  
*A. P.* 263. num illud tenuisset : « scribamne licenter an omnes visuros pec-  
 cata putem mea » ? Et quod inconsideratus dictum ab eo est, 655 conservandos censuit inquit. Conservandosne ? an qui coniu-  
 ratos publicatis eorum pecuniis in vinculis habendos censuit et per dedecus et infamiam notatos, conservare voluit idest salvos esse contendit ? Et ut quo modo eos salvos esse voluit constet,  
 XXXVII c. 36, Caesar haec adiecit in sententia Dione teste : « ne quis de illorum 660 liberatione verba in senatu facere auderet in posterum » addita poena ; « eaque oppida unde quempiam fugisse contigisset in ho-  
 stium numero haberi » censuit. Siccine liberari solent ? Quis ita latine loquitur ut, qui intra carcerem in asperitatem vitae in duros corporis cruciatus in salutis desperationem quempiam in-  
 truserit, saluti et conservationi consuluisse dicatur ? Quod si ita 665 est, quid Poggio Caesarem accusat qui M. Catonem in car-  
 cerem « duci iussit », si eo pacto Catonem conservaret ? O Ci-  
 Suet. *Iul.* 20. ceronem ignarum latinæ linguae hominem, qui « siccarios vene-  
*de off.* III 73. ficos fures peculatores non disputatione philosophorum sed vin-  
 culis et carcere fatigandos » esse dixit, quando hac loquendi ra-  
 tione conservatos significabat, quos exterminando et poenis tor-  
 quendos affirmabat. Sin diutius in vivendi acerbitate retinendos et longiori miseria affligendos intelligebat, quid Caesaris sententiam aut improbat aut depravat ? At eos salvos Caesar fieri curabat. 675 Non est ita ; nam eorum qui sententias dicebant officium erat facienda praescribere, senatus vero decernere et rata statuere : alioquin inanis erat omnis oratio. Nihil igitur dicit qui coniuratos conservari ab Caesare voluisse dicit.

Et quoniam de Catone dicturum me pollicitus sum, in quo 680 non parvam in Caesarem ordiris accusationem, de homine sum-

---

659 *vel sanos* *codd.* | 660 *vel sententiam* *codd.* | 667 *vel Poggio*  
*om. codd.* | 680 *vel me dicturum* *codd.* | 681 Scriveva Poggio nella let-  
 tera : M. Catonem sanctissimum virum in carcerem duci iussit (Caesar).

matim evolvam, non tibi qui haec probe calles sed imperitis qui facile perliciuntur in errorem. Complura in Catone laudibus digna viguisse contenderim, quibus ad posteritatem usque celebratus est, sed eundem tam importunum pervicacem morosumque fuisse, ut intra cynicorum aut stoicorum potius angulos et altercationes quam in romana re publica qui obversaretur dignus extiterit, qui ingenita quadam peculiari sibi duritia, fero vel ferreo potius ingenio, ardentissimi spiritus virum fax ardentissima semper incendit et quem mitigare potuerat pertinax et inexorabilis adversator irritarit. Nec mirum, cum « in ea fuerit haeresi », quae quam semel apprehendisset « mutare sententiam » nefas esse iudicavit; non gratia moveri, nemini ignoscere, misericordiam denegare constantis et vere sapientis putaret officium. Quo factum est ut quod ab ineunte aetate ab doctoribus hauserat et acuendi ingenii ac disputationis gratia didicerat ad immitem et saevam. magis quam severam vivendi normam et immobile consiliuin direxerit. Qui sibi non pepercit, quonam modo aliis veniam daret? Tanta vero fuit eius discrepantia infirmitas et inconstantia, ut filium ad vivendum hortatus de Caesaris benignitate omnia sperare praeceperit, cum sibi tamen prae Caesaris odio et invidia mortem conciverit, ne de ipsius salute et conservatione Caesar gloriaretur: quasi turpe sibi foret quod in amantissimo et bellico filio censuisset honestum. Et bonus ille vir « si diis placet » prius quam sibi manus inferret Platonis librum de animi immortalitate perlegerat, quasi non Platonis instituto gravia intententur iis suppicia, « qui sibi letum insontes peperere manu lucemque perosi proiecere animas: quam vellent aethere in alto nunc et pauperiem et duros perfere labores ». Ei tamen Pythagoricum illud instillatum esse debebat « iniussu imperatoris idest dei de praesidio et statione vitae nefas esse decidere ». Huic sancto viro mores et instituta civitatis conformanda praebeas, qui modestissimam et probam in primis uxorem reluctantem, ut iumentum, alieno concessit viro et sanctum coniugium pro quo etiam bruta propugnant profanavit? Quidnam hoc esse dices, si lenonium nequaquam appelles

Cic. Farad. 2:  
p. Mar. 61.

Augustin. de  
civ. I 23.

Plut. Cat. min.  
68, 2; Plat. Phaedo VI; Macrob.  
Somn. I 13, 5-7;  
Verg. Aen. VI 434-  
37.

Cic. de sen. 73

Plut. Cat. mi.  
23, 3.

688 fero] *vel ferro* (saevo) *codd.* | 689 virum : *scil.* Caesarem | 692 *vel* apprendisset *codd.* | 694 *vel* prudentis *codd.* | 696 *vel* scevam *codd.* | 697 *vel* pepercerat *codd.* | 706 *vel* intendantur *codd.*

officium? veluti Roma non virgines non viduas haberet, quae Hortensio spem procreandae sobolis afferrent. De huius hominis moribus quid sentit Plutarchus, subtilis earum rerum examinator, non ab re fuerit explicare. Cato, inquit, non persuasu faciles non multitudini amabiles mores habuit nec ad gratiam floruit in re 720 publica. Ceterum, ut inquit Cicero, « dum in Platonis magis quam Romuli re publica versatur » ad rubricam e consulatu lapsus est. Ei obvenisse censeo quod intempestive nascentibus accidere fructibus solet; nam ut illos et libenter aspiciunt et mirantes nequam utuntur, sic et prisci in Catone mores post multas tempe- 725 states in vitas corruptas et improbos mores incidentes, cum extimationem et gloriam ingentem vendicarint, necessariis rerum usibus minime congruebant: tanta erat in eo gravitas et virtutis magnitudo, nullum existentibus iam temporibus modum habens aut aptitudinem. Haec hominis pertinacia, quae pro tempore uti veli- 730

*Cic. ad fam. I 9, 21.*

ficatione noluit, dum immota tenere vela perstat nec vento cedit, quod semper sapientis est habitum, rectam potius mergere quam paululum obsequentem servare navem constituit. Nam gallicas Caesaris victorias et propagatum imperium vel invide vel indigne- 735 ganter ferens cum cetera civitas et gauderet et gratularetur id que publicis supplicationibus testaretur, Cato iureiurando denun- tiavit se Caesaris nomen delaturum et in iudicium vocaturum, cum interim Cato, non minus astutum libertatis insidiatorem et monar- chiae sub dictature specie studentem Pompeium et suspicans et dictitans, cum eo contra Caesarem conspiraret et ei violatis legi- 740 bus favorem omnem studiaque dicaret. Haec est illa Catonis integritas, qua sanctissimus vir appellari meruit: belli civilis quantum in eo fuit instigator et altor et simultatis ultor.

*Suet. Iul. 22.*

Expediamus et paucis de Galliarum sortitione et proroga-  
tione, cum utranque praeter leges consuetudinem et insti- 745  
tuta maiorum factam esse contendas. Negabisne lege Vatinia  
et senatus auctoritate eas illi attributas? Dices id generi sui stu-  
dio confectum fuisse; adde etiam propensis in Caesarem populi  
suffragiis et ardentibus in illius honores animis. Nam et tribuni

---

717 *vel* procurandae *codd.* | 726 *vel* extimationem *codd.* | 743 *vel* et  
instig - et actor quantum in eo fuit *codd.* | 745 *vel* legis *codd.* | 748 *vel*  
esse *codd.*

750 et consulis et imperatoris et alios magistratus superiori tempore  
precibus et commendationibus impetrari solitos quis est qui ne-  
sciat?

Unum omittere non possum, te ita tuo fidere iudicio ut con-  
tra priscarum rerum scriptores certam ac diffinitam pronunties  
755 sententiam. Ecce cum aliis de bellis sapienter et fortiter admini-  
stratis vulgata depraves, tum de alexandrino non honorem in-  
quis sed dedecus promeruit. Sta, oro te, gradum ne retorse-  
ris. Estne imperatoris decus primum cum fortissimis ducibus ro-  
bustissimis militibus ingentibus copiis terra marique pedestres na-  
760 valesque pugnas summo cum periculo non semel sed pluries ad-  
ministrasse et inde victoriae compotem revertisse? Huius generis  
ab Caesare bellum illud gestum esse constat. Audi vel recordare  
potius quid de illo veteres sentiant, quorum supra ceteros pollet  
auctoritas: « Bellum sane difficillimum gessit neque loco neque  
765 tempore aequo, sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac  
solertissimi hostis, inops ipse omnium rerum atque imparatus ».  
Omitto intercisos aqueductus, aquas eius ingenio atque scientia  
restitutas, quibus ne siti suus periret exercitus discrimen et pa-  
vor ingruerat. Taceo de praelio adversus Pharitas et periculo  
770 quod cum singulari prudentia, non incautus ut iactas sed pre-  
sagus, nando effugisset, animi magnitudine victor extitit.

An parum laudis et admirationis consecutus est Caesar hu-  
manitatis clementiae mansuetudinis multarumque virtutum ex eo  
bello reportavit? et ut testatur Hircius aut Oppius « dignum ad-  
775 veniens fructum virtutis et animi magnitudinis tulit », cum Caesar  
alexandrinos hostes sese dedentes in fidem receptos orationis  
suavitate consolatus est. Praeterea socios et familiares Pompeii,  
quoscunque per aegyptios agros errantes in potestatem redegit  
quiique ab rege capti coniecti in vincula fuerant, Caesar liberavit  
780 omnique beneficentiae genere prosecutus sibi conciliavit. Romam  
deinde ad familiares scribens « maximum se ac iocundissimum  
victoriae fructum colligere dicit, quod ei datum est nonnullos  
semper ex iis cives conservare qui adversum se belligeraverint ».

Suet. *Iul.* 33.*Bell. Alex.* 22.  
3.*Plut. Caes.* 48.

---

750 *vel* consules et imperatores *codd.* | 772 Il periodo è anacolitico:  
forse sarà da togliere *consecutus est*. | 774 *vel* attestatur *codd.* | 776  
*vel* in fide *codd.* | 781 *vel* dein *codd.* | 783 *vel* belligerarint *codd.*

Hine laudi an dedecori tribuendi sunt laborum et victiarum  
fructus? quos qui non laudant et admirantur invidos aut mali- 785  
gnos appellari aut utrunque. Quaero enim abs te: quid si cives  
adversariosque trucidasset, num crudelem vocares? Utique. Cur  
qui eos contra salvos et incolumes reddidit et dignitate ac ma-  
gistratibus insuper honestavit non humanum liberalem clemen-  
temque praedicas? Quia sic in suos facere Caesar debuit, dices. 790  
Qua lege, quo instituto? Benignitatis pietatis atque clementiae.  
Ergo quisquis earum praecepta servarit institutisque paruerit be-  
nignus pius clemensque confitente Poggio vocabitur et erit. « Qui  
*Digest. 11. 10.* honeste vixerit, alterum non laeserit, suum cuique tribuerit » iu-  
stus est, quoniam iustitiae iussa tenet. Alienos lectos invadere 795  
qui non vult, quia continentiae legibus libenter audit, num con-  
tinens et est et videtur? Quid singula percurro? Quicunque vir-  
tutis sectatur officium, virtute praeditus appellatur a doctis quia  
quod debebat effecit.

*p. Marc. 8.* Contra te stant prisorum testimonia graviora, ex quibus Ci- 800  
cero in primis occurrit, quanquam nequid iniuriae relinquas in-  
tactum non modo Caesaris laudibus obtrectator accedit sed et  
Ciceronem non admodum probas, qui eius virtutis testis apparel  
et eas laudes aīs non protulit veritas. Immo vero veritas  
Ciceronem magnas ad laudes explicandas impulit et quarum te- 805  
stimonium in iis quos defendebat habebat, eas etiam honorificis  
verbis ornabat: « Animum vincere iracundiam cohibere victoriam  
temperare adversarium nobilitate ingenio virtute praestantem non  
modo extollere iacentem sed etiam amplificare eius pristinam di-  
gnitatem: haec qui facit non ego cum summis viris comparo sed 810  
simillimum deo iudico ». Non haec idcirco vera sunt quia a Cice-  
rone dicta sint, sed quia vera prius, etiam Cicerone tacente, fue-  
rant, prolata fuere. Nam qui hostibus et inimicis eius et quidem  
acerbissimis persecutoribus, non autem patriae libertatis defenso-  
ribus sed potius Pompeii satellitibus, ut ostendam, vitam dederit 815  
veniam impertierit ad dignitates evexerit, eum non magnanimum  
liberalem benignum clementem praedicare debuit orator magnus?

---

790 Poggio aveva scritto: Nulla est enim clementia, non trucidare  
eos qui patriae libertatem tuentes tyrannidem recusabant. | 811 *vel ab*  
*codd.* | 816 *vel erexerit codd.*

Sed responde quaeso. Concedamus non veritate ductum sed temporis necessitate coactum sic mentitum Ciceronem fuisse, ut suorum civium saluti consuleret, et ita vivas coram voces exprimendas. Acta oratione, postquam suos e periculo salvos eduxerat, quid mendacia illa scriptis edenda fuerant? Ut enim probe scis, post causarum defensiones orationes a patronis confici mos fuit: quid tanta in mentiendo probra, quid assentationes illae parasiticae posteritati ad Ciceronis ignominiam et immortale dedecus prodendae fuere, nisi veritas universorum consensu probaretur? Id ita fuisse non modo Caesaris aetate manifestum fuit, ut admirationi vox illa fuerit « parcite civibus » medias effusa per acies, sed et sequentibus saeculis, cum odio aut invidia et amore liberum extitit iudicium, benignitatis et clementiae praeconia celebrata. Plinius nanque locupletissimus auctor et omnium doctrinarum copia excellens hunc in modum de Caesaris clementia testatur: « Caesari proprium et peculiare sit clementiae insigne ». Num et hoc ad Caesaris assentationem prolatum a Plinio testimonium refelles? Accipe et illud: « Idem magnanimitatis praebuit exemplum, cui comparari non possit aliud; illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas: captis apud Pharsalum Pompeii Magni scrineis epistularum iterumque apud Thapsum Scipionis ea optima concremasse fide atque non legisse ». Quid et Tranquillus? « Simultates contra nullos tam graves exercuit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret », cum esset in ulciscendo natura lenissimus. Moderationem clementiamque tum in administratione tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. Quotiens in Gallos quotiens in Aegyptios quotiens in omnes divinam exhibuit humanitatem! Illud de ipso constat: eximium, praeter paucos admodum, nullum « nisi praelio periisse »; omnibus suis quem partis adversae vellent servare concessit. Praesto erant cum aliorum tum Plutarchi Dionisque, hominum praestantissimorum, testimonia, nisi satis haec esse confiderem ad detegendas tuorum scriptorum praestigias, quae profecto lectorem incautum quemque deciperent.

Ecce enim de Alexandrino bello calumnians adiungis: non

---

822 *vel* fuerunt *codd.* | 842 *vel* benignissimus *codd.* | 846 *vel* perisse *codd.* | 848 *cum] vel* tum *codd.* | 852 *vel* calumnias *codd.*

*Suet. Jul. 73.*

*N. H. VII 93.*

*ibid. 94.*

*Iul. 73.*

*ibid. 75.*

honorem sed dedecus promeruit dum Cleopatrae amore  
ardens incautus ferme in hostium pervenit manus. Quasi  
credi velis eodem tempore in Cleopatrae gremio apricantem Cae- 855  
sarem in hostium ferme potestatem pervenisse, quam acuto certe  
ingenio et subtili coniectura evitavit. Qui quoad potuit suos in  
pugna cohortatus inde fugit ad navigium annatans, quod peritu-  
rum, affluente multitudine suorum, vaticinatus, sic in aliud denuo

Suet. *Iul.* 64. se fortiter et animose nando recepit, « elevata laeva ne libelli 860  
quos tenebat madefierent, paludamentum mordicus trahens ne  
spolio potiretur hostis ». Sic ergo bellavit ut ab rebus gerendis  
nullus eum amor aut voluptas retardarit. De Cleopatra non sum  
qui probare cupiam nec tu improbare soleas, qui cantare solebas

Ovid. *Am.* I 9, amatorium illud : « militat omnis amans et habet sua castra Cu- 865  
pido ». Sed idem contendo id eius generis esse delictum, quod

Horat. *A. P.* 353. « humana parum natura caveat » quodque facilius sit accusare  
quam vitare. Eo nanque praeclaros et generosos viros circum-  
ventos fuisse quis ignorat ? Ut de reliquis taceam, nesciusne es  
virum admirandum illustrem imperatorem et populi romani prin- 870

Val. *Max.* VI 7, 1. cipem Scipionem Africanum ancillae domesticae quandam amo-  
ribus irretitum et illum qui Hannibale superato Carthaginem colla  
submittere coegerat manus amori deditisse ? Quod si humanum de  
utroque ferendum est iudicium, uter excusatione dignior est : qui  
reginam amavit an qui ancillam, qui formosam qua nullam tulit 875  
aetas illa venustiorem an qui deforme mancipium, qui disertam  
eruditam et sexcentis odoribus ac lenociniis inescantem an qui  
rusticam sordidatam et popinas farinasque redolentem, cui uxor  
adesset an Caesar cui procul erat ? Multos praestantis ingenii re-  
peries qui neutrum incusandum sed potius excusandum esse con- 880  
tendant. Nec sunt qui audeant Cupidinis imperium increpare, « qui  
iubeat caelo superos relicto vultibus falsis habitare terras » et  
qui de capto Iove triumphet. Non ab re fictum est a poetis Om-  
phalae et Iolae servisse Herculem et Martem intra Vulcani retia  
deprehensum cum Venus et ille iacuere ligati. Post multa virtus 885  
opera lassari solet et remissione labores instaurantur.

Hom. *Odyss.*  
VIII 266 ss.

Tibi profecto condoleo, Poggi carissime. Cum tua ista tumul-

---

856 *vel* hostilem *codd.* | 867 *vel* caveat nat - *codd.* | 874 *vel* dignior sit *codd.*  
| 880 *vel* excusandum utrumque cont - *codd.* | 885 *vel* deprehensum *codd.*

tuaria inter doctos homines lectitatur epistula, tibi non parum  
 auctoritatis et opinionis adimit, quem pro amore in te meo  
 890 ritisque tuis eruditissimum praedicare soleo. Ea enim persequendi  
 caesareas laudes cupiditate flagras, ut maturius quae dicis <non>  
 potueris advertere: quod et nonnullis olim obvenit, qui dum vitia  
 virgiliani carminis intentius carpunt, virtutibus omissis, « Virgilio-  
 mastiges » appellati sunt. Cum enim alia permulta eius generis  
 895 sint, tum vero quod ais, Gallos gentem barbaram et feram  
 sed bello insuetam ab Caesare domitam: contra extant pluri-  
 ma illorum bello facinora, quibus liquet nullo eos tempore a bel-  
 ligerando cessasse. Haud immemor esse debes, ut assuetam sem-  
 per armis gentem dicas, fusos fugatosque saepenumero Tuscos,  
 900 florentem ea aetate gentem: « tanta enim opibus Etruria erat,  
 ut non terras solum sed mare etiam, per totam Italiae longitu-  
 dinem ab Alpibus ad fretum Siculum, fama sui nominis imple-  
 set ». « Eius fines usque ad primam Tiberis ripam tendebantur,  
 unde et dictam esse peritus nemo dubitat quasi heteros horos  
 905 idest finis alter ». Hanc gentem ab Gallis fusam tam late impe-  
 rantem non insuetae armis nationis argumenta dixeris. Dices:  
 prisca haec; noviora percurre. Quotiens romani exercitus Gallo-  
 rum ductu et auspiciis magnis involuti periculis! Non cōparo  
 virtutem armorum: vetustatem et assuetam semper in armis gen-  
 910 tem ostendo. Peregrinemur ex Italia. Num Thracia tota num  
 Propontis num Asiae pars maxima gallicis armis domita, adeo  
 ut per illud tempus nulla in armis natio celebratior fuerit? Plu-  
 tarchus in M. Marcelli vita nomen antiquitus gallicum magno Ro-  
 manis terrori fuisse testatur « adeo ut cum sacerdotes bellorum  
 915 immunes esse decernerent, bella duntaxat Galli n exciperent ».  
 Quid, posterioribus annis num virtute bellica cunctis praefer-  
 batur gentibus? Salustius suam usque ad aetatem de militari  
 Gallorum scientia quid sentiat non obscurum reliquit: « facundia  
 Graecos inquit, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse »; et  
 920 alio in loco: « per idem tempus adversum Gallos ab ducibus  
 nostris Q. Scipione et M. Manilio male pugnatum est, quo metu  
 Italia omnis contremuerat; illique et usque ad nostram memoriam

903 vel Tiberis partem *codd.* | vel tendebant *codd.* | 909 vel virtu-  
tem: armorum vet - *codd.* | 911 vel devicta *codd.*

*Serv. ad Ecl.  
II 23.*

*Liv. V 33-34;  
Plut. Cam. 16.*

*Liv. I 2.*

*Isid. Etym. XIV  
4, 22.*

*3, 2.*

*Cat. 53.  
Iug. 111.*

Romani sic habuere: alia omnia suae virtuti prona esse, cum Gallis pro salute non pro gloria certare ». His atque aliis satis constare arbitror Gallorum gentem nullo tempore bellis insuetam 925 fuisse uti commemoras sed, cum terribilis in armis fuerit, quod multorum locorum ruina, regionum vastitate, hominum strage, nationum subiugatione apud rerum scriptores testatum est, concedas oportet Caesari gentis illius domitori immensam accessisse gloriam. Quo fit ut tua scripta diligentius perpendenda sint et, qui 930 in proferenda sententia de Caesaris et Scipionis praestantia profitebaris, sententiam de te ab lectore decepto proferri audias, ut tibi videlicet de utriusque praestantia adimi debeat auctoritas. Nam qui tam apertis in rebus tua fide sese captum intelliget, quid in obscuris et quae ignota sunt faciet? 935

Omissis reliquis, quae muliebris cuiusdam altercationis instar habent, unum instare perspicio quod reliqua praeggravare videtur, idest libertatis amissio. Qua quid dulcius quid praestabilius quid viro dignius mortale genus habeat nullus dixerit: pro ea conservanda tot arces tot moenia tot arma tot « susceptae vitae dimications », ut mori potius quam servire optandum sit. Hoc igitur tam sumnum tam caeleste bonum quisquis interceperit omni odiorum acerbitate persequendus est. Ceterum animum adverte et intelligentiam tuam explica, prudentissime vir Poggi, ne huius rei culpa Caesarem involvas immerito, cum diutius antea fuisse 940 libertas extincta, quam potentia Caesaris invalesceret, quando non illius umbra non imago vivebat ulla. Ne longius repetam, dominante Mario quae leges quae iudicia quae cuiusque ordinis servata dignitas? Parva loquor: cui vel in dominum servo vel in principes ignobili rapinae incendia caedes non licuere, in omnem sexum et aetatem stupra? « Nobilitas cum plebe perit late- 945 Lucan. II 101-2. que vagatur ensis et a nullo revocatum est pectore ferrum ». Haecce libertas? Ubi Caesar successit amissae libertatis reparator, Sylla « ille quod exiguum restabat sanguinis urbi hausit ». « Tunc data libertas odiis resolutaque legum frenis ira ruit ». 950 « Tunc flos Hesperiae, Latii iam sola iuventus concidit et mise-

---

931 Si aspetterebbe: et qui proferre sententiam velle profitebaris  
| 938 Poggio aveva scritto: populum romanum redegit in servitutem |  
948 vel cuiusquam codd.

rae maculavit ovilia Romae ». Huius non dicam servitutis aut libertatis amissae sed sunimae calamitatis iam tunc vetus origo fuerat. Compositis pace syllana rebus idest postquam saevire ar-  
 960 mis Sylla desiit quot modis urbanam lacerare libertatem coepit, ut facile declararet non aliud quam miserabilem sub tyranno servitutem eam libertatem esse. Sublatae leges, perempta iudicia, tribunicia potestas intercepta; et ut testimonia libertatis agnoscas, quanta, ut alia taceam flagitia, in adulescentulum innocentemque  
 965 Caesarem exercitata persecutio, quot mortis insidiae bonorumque confiscationes! Quaenam est servitus, si hanc appellas libertatem? Clodianam subinde recense tempestatem et violentum in civitatem dominatum. An ulla tum lex ullum ius ulli possessionum termini fuerunt, quos non contempserit effregerit invaserit? Tolera-  
 970 bilia haec. Amantissimum patriae civem, virum vere magnum, Ciceronem ex urbe suorum armis satellitum exterminavit, ne mutire quidem audente senatu. Audi bonaे libertatis indicia: expulso Cicerone familia eius disiecta, « parietes perturbati, tec-  
 tis sceleratae faces illatae ». Ubi tunc libertas sopita vel sepulta  
 975 iacebat? Immo ne civitas quidem erat sed latrocinium verius, cum leges in ea nihil valebant cum iudicia iacebant cum mos patrius occiderat cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in re publica non erat.

Sexenta sunt extinctae iam dudum libertatis documenta,  
 980 licet in eius umbris viveretur. Quid de tyrannica Pompeii vi refe-  
 ram? cui cum provincia obvenisset Hispania, extorqueri nunquam potuit ut suam in provinciam, quam per legatos Petreum Afranium et Varronem administrabat, ex urbe secederet: Catone illo tuo sanctissimo reliquisque stipatoribus una conspirantibus ne per  
 985 eius absentiam de romani populi cervice iugum tolleretur et ut in Caesarem perniciosa tenderet retia, sub belli Parthici specie duas surripiens legiones Caesari superiori tempore ad Gallicum bellum concessas ut vel sic sacerum exarmaret. Gliscentibus initio rebus cum Caesar de conciliandis animis litteras ex Gallia de-  
 990 disset ad consules, nunquam nisi ab invitatis impetratum est, res-  
 sistente Pompeio, « ut in senatu recitarentur », ubi quisquis le-  
Plut. Caes. 28.  
ss.  
Caes. B. C. I  
1, 1; Plut. Ant.  
5, 2.

973 desturpati *Brera* (forse *disturbati*; Cic. ha *disturbabas*). | 988  
*vel exinaniret codd.*

nius aut aequius ad res tumultusque sedandos locutus fuerat aut conviciis a Pompeio perterritus aut minis castigatus destitisse coactus sit; in senatum veteres Caesaris inimici vocati. Quorsum haec? Ut intelligamus priscam illam populi romani disciplinam 995 obliteratam, integritatem corruptam, ardentissimam patriae caritatem iam pridem extinctam.

Quae quidem in tempora tum Caesaris aetas incidisset, ea vero qualia essent auctore Plutarcho contemplari ne pigeat, ut si fieri possit hoc pacto meliorem de Caesare opinionem induas: 1000

*Caes. 28, 2-3.* « Corrupta civitatis disciplina qui magistratus petebant positis in propatulo mensis impudentissima largitione mercantes plebem alliciebant; inde conductus mercede populus pro largitore descendebat, non suffragiis sed arcubus gladiis fundisque certaturus; cruento atque cadaveribus saepenumero tribunal i foedato nullis 1005 obsequentes dirimebantur, civitatem veluti gubernatore destitutam omittentes. Itaque qui mentis erant compotes satis habere, si tanta ex tempestate res in deteriora non exciderent sed ad monarchiam prolaberentur; permulti etiam erant qui in medio iam dictitare auderent eo res urbanas pervenisse ut nisi monarchia 1010 adhiberetur immedicabiles essent ». Eapropter cum status tanta perturbatione fluctuaret ut rebus unius duntaxat gubernationem exposceret, bene actum a fortuna secum erat, quae benignissimum perinde ac medicum praestiterat. Quocirca Caesare interfecto populus continuo romanus Caesaris desiderio affectus infestum sese interfectoribus eius inexorabilemque praebuit. 1015

Non adducam hunc in locum monarchiae commendationem, clarissimorum virorum et doctissimorum philosophorum disputationibus et auctoritate ceteris administranda civitatis rationibus antelatam. Quid et de Caesaris facto ad romanum imperium sentiat auctor excellens et rerum romanarum scriptor diligentissimus Dion accipe, quod quam minus inepte potero latinis verbis conabor exponere. Is enim in initio libri XLIII ita scriptum reliquit: « Caesar expeditionem in Parthos suscepturus hunc in modum agebat. Ceterum impius nonnullis incidentis stimulus ex meritorum 1020 invidia nec non ipsius odio, quem sibi honoribus praelatum esse

---

994 *vel coactus est* *codd.* | 1003 *vel largitione* *codd.* | 1020 *antelatam:* era meglio concordare con *monarchiae* | *vel etiam* *codd.*

cernebant, et illum per iniquitatem interfecit, novum quoddam sceleratae gloriae nomen assumens, et decreta populi suffragiis dissipavit rursusque ex conspiratione seditiones et intestina Romanis 1030 bella paravit. Nam Caesaris interfectores et populi romani libatores esse piae se ferebant, re autem vera impias illi struxerunt insidias et civitatem recte administratam seditionibus involverunt. Quod si meliora longeque maiora et plura privatimque ac publice semper ex regibus quam ex populis obvenisse M. Brutus 1035 et C. Cassius versare animo voluissent, quemadmodum et Barbarorum et Graecorum et ipsorum Romanorum gesta testantur, nunquam civitatis praesidem curatoremque nec tradidissent nec infinitorum sibi ipsis reliquisque mortalibus malorum causa extitissent. Eius vero caedes huiusmodi causam habuit, nec senatus 1040 insons fuit, qui cum honorum novitate et incredibili magnitudine Caesarem extolleret ac inflaret, deinde querelis hominem et criminationibus agitabat quod eos Caesar libens assumeret et ab eis intumesceret. Peccavit quidem Caesar qui decretos quosdam sibi honores desumpsit et illis vere sese dignum existimavit; longe 1045 vero plurimum senatus, qui cum illi ut digno tam immensos honores tribuere coepisset, huius generis decreta ad incusationem et maledicta perduxit. Nec enim universa repudiare Caesar audebat, ne tam ardent studio senatus exquisitos et sibi delatos honores aspernatus, ad indignationem atque odium patres ac 1050 pulum instigaret ».

Ex superioribus manifestum vel caeco fieri puto ab Caesare libertatem occupatam non esse suamque dignitatem et caput contra non patriam sed factiosos patriae libertatis occupatores defendisse et rerum conditionem Caesaris principatum postulasse praeclaro testante poeta: « victrix causa deis placuit ». Quid si non imminutam sed restitutam et in melius redactam libertatem Caesaris cura consilio et administratione comperiemus? An obscurum est Caesarem « senatum suppleuisse, praetorum aedilium quaestorum, minorum etiam magistratum numerum ampliasse? ». Utque populariorem magisque communem statum faceret « proscripitorum olim liberos ad honores admisit »; « octuaginta civium milia in transmarinas colonias distributa in urbem civilibus bellis

Lucan. I 125.

Suet. *Iul.* 41-43.

1039 eiusmodi vero caedes causam *Brera* | 1041 *vel* dein *codd.*

exhaustam revocavit, senatorum filios, ut amplior esset et in urbe frequentia et magistratum communicatio, peregre proficisci v<sup>tuit</sup> »; « omnes medicinam Romae professos et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent et ceteri appeterent, civitate donavit »; « ius laboriosissime ac severissime dixit, repetundarum convictos ordine senatorio movit », poenas facinorum auxit, parricidas bonis omnibus multetavit. Ipsius est lex Iulia maiestatis peculatus ambitus de adulteriis aliaeque quamplures. Nam cum sapientissimus rei publicae formator intelligeret duo in primis conservandae civitatis fundamenta esse e medio iustitiae sinu deprompta, bonis praemia pravis supplicia, universos pro dignitate prosecutus est, hos quidem a turpitudine terrens, illos autem ad bonas artes animans et incendens. Et ut studiosum non modo romanae sed etiam externae pacis ac libertatis principem fateamur et praedicemus, e bellis variis non ante Romam se rettulit quam Syriam Ciliciam Assyriam Bithyniam Pontum aliasque multas domesticis dissensionibus liberasset, iura legesque acciperent et externorum hostium metum deponerent. Quotiens vivente Pompeio Caesar litteris nuntiis et legatis ab eo contendit ut romanae paci et saluti publicae consulens ab armis discederet et animuni tranquillum indueret. Eius incepta secutus Octavianus Augustus « ad quem rerum summa rediit, sapientia sua atque solertia, patris imitatione percussum undique atque perturbatum ordinavit imperii corpus, quod, ut auctor est Florus, haud dubie nunquam coire et consentire potuisset nisi unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur ». 1070 1075 1080 1085

IV 3, 5-6.

Haec atque alia innumerabilia optime formatae civitatis instituta ademptaene seu imminutae an restitutae et amplificatae libertatis signa sunt? Quae cum magni atque adeo admirandi viri officia sint, quid tale de Scipione dixeris sane non habes, de quo si res bellicas tollis nulla profecto aut parva mentio fuerit: quas etsi claras et ingentes fateor, Caesaris tamen gestis et varietate et magnitudine et numero et temporis longinquitate cedentes non negabis. De Scipione me in praesentia continebo, ne tanti hominis opinioni tuo exemplo detrahant neu una congresione tam ingens bellum confecisse velle videar. Verum ut ambo- 1090 1095

---

1083 *vel* induceret *codd.*

rum iudicium unam in summam paucis redigam: Scipio quidem  
 1100 vir bonus, civis pusillanimus, imperator excellens, quod Livii  
 auctoritate et assero ipse et tu non inficias ibis: « vir, inquit,  
 memorabilis, bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior »;  
 Caesar vero civis magnanimus, princeps prudentissimus, impera-  
 tor excellentissimus. Quae ut maioris iudicis auctoritate quasi se-  
 1105 cundis confirmentur auspiciis, accipe quae de Caesare eruditissi-  
 mus homo Plutarchus et Poggio Guarinoque locupletior testis  
 asserit et unum collegit in cumulum: « Tempus deinde bellige-  
 randi ac rei militaris qua pacatam reddidit Galliam, perinde ac  
 ipse alia capesseret initia et alteram quandam vitae rerumque no-  
 1110 varum viam insisteret, huius generis est ut eum et bellatorem et  
 ducem nullo ex iis inferiorem ostendat, quorum in ductandis exer-  
 citibus singularis admiratio vel praecipua extitit amplitudo. Quod  
 si quis Fabios Scipiones Metellos et aetatis suae vel paulo su-  
 1115 perioris Syllam Marium et utrumque Lucullum Pompeiumque,  
 cuius gloria per varias rerum bellicarum virtutes usque in cae-  
 lum effloruit, comparare voluerit, rerum ab Caesare gestarum ma-  
 gnitudo superat: hunc quidem locorum difficultate in quibus ab  
 illo bella peracta sunt, illum agri magnitudine quem romano  
 adeptus est imperio, alium multitudine hostium et viribus de-  
 1120 quibus victoriam reportavit, quendam immanibus absurdisque gen-  
 tium moribus quas plane ad leniores vivendi ritus redegit, alterum  
 comitate ac mansuetudine quibus erga victos usus est, non  
 nullum gratificandi ratione atque munificentia quas in commili-  
 tones exercuit, universos denique vel hoc uno excelluit, quod  
 1125 plurimas commisit pugnas et plurimos adversa instructos acie oc-  
 cidiioni dedit: annos enim minus decem intra Galliam belligerans  
 urbibus supra octingentis potitus est, gentes quadringentas su-  
 biugavit, adversus trecentas myriadas separatim iusta depugnavit  
 acie, e quibus cum centum in stragem dederit, reliquas vitae re-  
 1130 servavit ». Singulare et conterranei mei Plinii, magni certe viri,  
 testimonium est de Caesare, de quo cum alia permulta tum id  
 profert: « idem collatis signis quinquagies dimicavit, solus M.  
 Marcellum transgressus qui undequadrages dimicavit ».

XXXVIII 53.

Caes. 15.

N. H. VII 92.

1108 *vel redegit* *codd.* | 1112 *quod si quis] quisquis* *Brera* | 1113  
*rel superiores* *codd.*

Habes, vir doctissime et amantissime Poggi, maiorum de Caesare ac Scipione iudicium: quorum auctoritate, nisi nosmet 1135 nimis amaverimus, quae sit utriusque praestantia et differentia facile dignoscemus. Quas quidem ad res cum tuum istud subtile excitaveris et in se ipsum revocaveris ingenium non dubito quin mox « palinodiam ordiaris ». Sic quantum superiore illa epistula, et quidem ut auguror tumultuaria, facundiae laudem vendicasti, instaurata diligentius iudicatione et docti et diserti et veri scriptoris nomen et praeconium consequaris. Vale.

<Ferrara giugno 1435>.

## 671.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 134; Padov. Semin. 89 p. 39; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 147 e 180<sup>v</sup>; Treveri 1879 f. 42; Laur. Ashburnh. 278 f. 115<sup>v</sup>; Vicenza G 7. 26 f. 84<sup>v</sup>; Monac. lat. 504 f. 177<sup>v</sup>; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 20<sup>v</sup>; Vindobon. 3330 f. 140 e 170; pubblicata dal Pez *Thesaurus VI, III* p. 163).

Guarinus Veronensis illustri principi Leonello Estensi sal.  
pl. d.

Fatebor tibi vera, vir natura magnifice: tanta tuo illo iocundissimo aspectu delectatione affici et consuetudine demulceri soleo, ut molesta nimis tua sit absentia, cui quidem duabus rationibus 5 medicari posse videor: si et crebra de te cogitatio te mihi presentem fecerit, quod efficere conor, et nonnulla litterarum accessio et mutui sermonis interventus longinquos nos faciet esse propinquos. Itaque has ad tuam magnificentiam te visuras meo nomine mitto, quae sociam secum deducunt epistulam, quam ad 10 magnificum transmittas Carolum, si ita censueris cum eam una cum equite clarissimo Feltrino Boiardo perlegeris perfectamque probaveris: eum ut scis studiorum nostrorum non minus censorum quam socium et consiliarium habemus. In ea vero confienda maior mihi labor adiunctus est et pondus, quod vos ambos mihi 15

1142 *vel* consequeris *codd.*

671, 4 *vel* soleo *om. codd.* | 12 splendidissimo equite Alberto de Sala *Vindob.*, *Pez.* | 15 *vel* abiunctus (*vel* iunctus) *codd.*

disiunctos fecit hoc aucupiorum tempus; sicuti cum tribus continentibus duo vocem supprimunt, adeo tertius sibi ipsi destitutus languescit, ut cantandi rationem perdat et animum. Itaque ut et aliquam illi restituatis harmoniam modulationemque curabitis  
20 et me certatim amabitis. Vale.

Ferrariae V idus iulii 1435.

## 672.

(Vicenza G 7. 26 f. 80; Treveri 1879 f. 40v; Laur. Ashburnh. 278 f. 120; Riccard. 924 f. 191; Ferrar. 110 NA 4 f. 133v; Monac. Universit. 4.º 768 f. 179; Monac. lat. 504 f. 175v; Vindobon. 3330 f. 169; Jena Bud. 4.º 105 f. 103; Arundel 70 f. 113v; Corsin. 33 E 27 f. 51v; Olmütz bibliot. degli Studi 159 f. 70v; cfr. *Archiv. Veneto* VII p. 179 dal cod. Saibante 428; Lami *Catal. cod. Riccard.* 220).

Guarinus Veronensis pro illustrissimo Leonello Estensi ad magnificum Carolum de Gonzaga.

Leonellus Estensis magnifico Carolo de Gonzaga fratri suo dulcissimo s. p. d.

5 Immortalis erga me dei beneficia et ingentia merita saepius animo versans non parvum inter cetera illud invenio, quod me tibi adulescenti primario prius amicitia, dehinc affinitate devinxit, ex quibus cum decus et laudem, tum vero fructum et emolumenta consequi datur. Quid tam praeclarum tamque laudabile  
10 quam quod benivolentiam, olim cum vetusta et generosissima familia vestra meis a maioribus incohata et auctam, ita continuemus et omni dilectionis officio cumulemus, ut eam in dies crescentem et quasi hereditariam ad posteros nostros certa fide atque constantia transmittamus. Quibus ex causis factum est ut  
15 tuas litteras vel nudas summa cum laetitia hilaritate et honorificentia suscepturus fuerim; nunc autem cum et verbis expolitae

21 L'anno è del solo cod. Berl.; la cifra veramente non è tanto chiara, ma sembra si debba leggere «1435»; in ogni modo l'anno si trova anche per altra via.

672, 6 parum (*vel* parvo) codd.

et sententiis graves et omni ex parte facundissimae sint, quanta  
in earum adventu voluptas mihi orta sit explicare non possim.  
Accedit, dilecte et omni melle suavior Carole, quod non solum  
me tibi sororium habere gaudes, sed etiam <virtute> ornatum 20  
esse, modo id fieri possit, gratularis animas hortaris incendis. Eas  
quidem ad res veri amici ac boni viri ac liberalis officio fungeris,  
cum tuas insignes laudes eximiasque virtutes in me quoque transfun-  
dere conaris, ut pro amicitiae iure tua bona et mentis ornamenta  
mihi etiam facias esse communia. In his autem ipsis prudentis- 25  
simis monitis et benivolis adhortationibus tam magnifice profecto  
non loquereris nec tam plenam haberes orationem, nisi et ma-  
gnifice sentires tibique prius persuasisse nihil in vita magnopere  
expetendum esse supra virtutem. Genus enim opes imperium et  
ut dicis « forma vires et reliqua corporis commoda » caduca om- 30  
nia, solam virtutem ac disciplinam immortalem aeternamque ma-  
nere. Id ipsum eum fixum animo habeas, et lingua declaras in-  
terprete. Et profecto, ea nisi in principe ingenita fuerit opinio,  
nomine quidem vocabitur ac fortuna princeps, re autem vera et  
dignitate princeps esse non poterit. Quocirca ille quidem prin- 35  
ceps ingenii et doctrinae « Plato tum denique fore beatas res  
publicas putavit cum docti et sapientes homines eas regere coe-  
pissent aut hi qui regerent omne suum studium in doctrina et  
sapientia collocassent » ; hanc coniunctionem videlicet potestatis  
et sapientiae principi necessariam et civitatum saluti censuit. 40

Ad haec vero tam ardua meis humeris onera vel recipienda  
vel ingredienda subdubitabam prius fateor et haesitabam pro in-  
genioli mei parvitate ; at ubi litterarum tuarum accessit auctoritas  
et cohortationis fides, excitatus exurgo non aliter quam iacentes  
milites tubarum clangor exuscitat et sic exuscitat ut in hostes 45

<sup>Verg. Aen. XI</sup> 453. « iuventus arma fremat » et iam propius conserere manum exar-  
descat. Stimulat quoque me vehementer tui ipsius exemplum et  
industria, in quo perinde ac in speculo me ipsum componens  
tam illustre facinus aggredior. Video nanque te doctissimum et  
excellentis ingenii praeceptorem sic imitando effinxisse, ut ex 50  
eius fonte tua haec manasse videatur epistula. Ingens mihi spes  
injecta est posse quicquam studio cura et diligentia consequi non

---

34 fortunam, fortune (forma) *codd.* | 41 repetenda *codd.*

meo quidem ingenio, quod sentio quam tenue sit et exiguum, sed suavissimi praeceptoris et hominis egregii solertia caritate artificio  
55 vigilantia et assiduitate, quarum ea vis est eaque conditio, ut vel feroce domentur equi et silvestres mansuefieri cernamus aves.  
Vale frater amantissime.

Ex Ferraria III idus iulias <1435>.

### 673.

(Ambrosiano H 192 inf. f. 79; pubblicata da me *Centotrenta lettere di Fr. Barbaro* p. 76).

Franciscus Barbarus Guarino Veronensi sal. pl. d.

Postquam nuntiatum est mihi optimum virum ac sapientissimum et eloquentissimum theologum Albertum nostrum cum classe in Syriam traiecturum; quantum potui et quantum debui privatim  
5 et publice condolui... Preterea cum pestilentia longe lateque disseminata sit in civitate nostra, facile coniectura assequi possumus navales milites, cum quibus sibi vivendum erit aut moriendum, pestilenti contagione affectos esse... Quare te hortor et rogo ut cum illustri Leonello des operam ut Albertus noster  
10 aut mutet consilium aut etiam alterum annum proroget hanc transmissionem in Syriam et Egyptum.... Vale; commenda me Alberto patri et illustri Leonello.

Verone XI kal. septembris <1435>.

Scripsissest Alberto nostro diligenter, sed non licuit propter  
15 occupationes huius preture....

### 674.

(Valla *Opera* 602).

<Guarinus Veronensis ill. v. Leonello Estensi sal. pl. d.>.

Ecco la testimonianza del Valla: Testimonio est manus Guarini in Plinium de naturali historia, quod opus cum sciamus men-

---

58 IIII *Vind.*

dosissimum, tamen totum velut immensum vastumque aedificium resarcire conatus est et scriptis ad marchionem Hestensem litteris 5 id se praestitisse gloriatur.

<Ferrara 1434>.

### 675.

(Marc. lat. XIV 30 f. 11<sup>v</sup>; Parig. Arsen. 1134 f. 29; Lucca 2128 f. 28<sup>v</sup>; Est. XII I. 7 f. 40<sup>v</sup>; Vatic. 1778 f. 42; Lollin. 29 f. 77<sup>v</sup>; Angelico C 3. 15 f. 2; Ambros. E 83 sup. f. 76<sup>v</sup>; Vicenza G 7. 26 f. 38<sup>v bis</sup>; Corsin. 43 E 4 f. 20<sup>v</sup>; pubblicata da S. Baluzius *Miscell.*, Lucae 1762, III 160; cfr. *Arch. Ven.* VII 178).

Clarissimi oratoris Guarini Veronensis in Isocratem de subditis ad principes prohemium ad ill. Leonellum Estensem.

<Guarinus Veronensis illustri d. Leonello Estensi sal. pl. d.>

Saepius ante oculos res humanas proponenti mihi, Leonelle princeps, munus sane venerabile, singulari admiratione prose- 5 quendum concessumque divinitus regendi ratio censeri solet. Nam cum homo, divinum certe animal mortalisve deus, ita creatus sit ut dominari in cetera possit ac caelum maria terras, et quae in eis sunt, subiecta suis haberet usibus, cui dubium esse queat hunc ipsum, de quo loquor, hominem immortali deo in primis io- 10 cundum haberi gratum uniceque dilectum, cui familiaris sit et divinitatis participatione cognatus? Quod ideo tibi facile persuasu vel cognitu potius fieri confido, quia scitum illud sapientissimi oratoris crebro usurpare consuesti et in ore atque delitiis habere saepissime: « Nihil est principi illi deo, qui omnem mundum 15 regit, quod quidem fiat in terris acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur. Harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur ». Si quis igitur open vel ornamentum illis afferret, eo maiores illi habenda forent gratiae, quo in dei animal et in civitates ipsius latis- 20 sime pateret officium. Quocirca dies mecum noctesque verso qua

*Cic. Somn. Scip.*  
13.

---

675, 1-2 *vel Cl - or - G - V - ad ill - d. Leo - Est - Nicocles seu Symmachicus codd.* | 8 *vel possit in e - codd.*

ratione curas laboresque tuos fulciam, quibus boni regis munia  
 cum omnium admiratione ac laudibus obire pergis. Et quanquam  
 cum per te tum vero paterna virtute ac sapientia polleas, non  
 25 dignaberis tamē pro tua modestia si, ut Agamemnoni Nesto-  
 rem, sic et tibi fidelem ac prudentissimum consiliarium addidero,  
 cuius ductu atque peritia tibi tuorumque saluti et dignitati gra-  
 viter et commode consulas. His humanitatis et studiorum fruc-  
 tibus acceptum a maioribus lumen amplificabis, regium gloria  
 30 illustrabis ordinem.

An te ipsum Nestorem vel sentis vel appellas? inquies.  
 Minime medius fidius, at Isocratem iungere tibi paro, eximium  
 quidem philosophum et Nestore, pace dixerim sua, nequaquam  
 hac ex parte inferiorem. Eum proxime latinum tuo nomine vel  
 35 ea causa feci, quod cum libellum avide legas Isocratis quo in  
 subditos regem instituit, hunc illi quasi socium coaptes, quo in-  
 vicem subditos in regem instituit: sic omni ex parte absolutum  
 habēbis regentis officium.

#### *Argumentum in libellum Isocratis*

40 Salamin paeclarā olim Cypri urbs fuit et metropolis, cum  
 alia et civitas et insula e regione agri attici sita fuerit. In hac  
 Nicocles Evagorae filius regnum obtinebat, ad quem Isocrates  
 Theodori filius atheniensis et dicendi et bene vivendi magister  
 optimus duos libellos conscripsit. In primo Isocrates Nicoclem  
 45 directo sermone instruit regis officio, quem inter manus saepe  
 versas ad illustrem Ludovicum Gonzagam ab Iustiniano eruditissimo  
 adulescente interpretatum. In altero autem subditos regi  
 commonefacit quonam pacto imperium pati eique obtemperare  
 sciant: in hoc vero omnis ab Isocrate Nicocli regi tributus est  
 50 sermo. Quod cum aliis rationibus factum est, tum vero quia inter  
 commonefaciendum consulendumque minae ac terrores in subiec-  
 tos erant immiscendi; quod et congruentius efficaciusque ex regis  
 quam externi et privati persona futurum erat. Inscrībitur autem  
 « Nicocles sive Symmachicus », ubi et eius annotatur persona qui  
 55 priores disserendi partes assumit et res qua de agitur. Quem mo-  
 rem apud antiquos servatum vides, uti « Cato maior sive de-

---

25 *vel* indignaberis *codd.* | 36 subditum *Ambr.* | 45 *vel* instituit *codd.*

senectute », item « Laelius seu de amicitia ». Symmachicus autem socialem significat; id enim potissimum hic ipse commentariolus agit, ut in regiam dignitatem parendo observandoque unanimis sociosque conciliet. Quam gratus uterque regi libellus extiterit 60 quantoque honore apud eum artes colerentur cum alia permulta documento sunt, tum regale munus; certi nanque testes adsunt Nicocleum utroque accepto commentario Isocrati viginti talenta dono misisse.

*Plut. Orat. vit.  
IV 17.*

<Ferrara 1433 c.>

65

## 676.

(Regin. 777 f. 46<sup>v</sup>; Padov. Semin. 692 f. 146; Harleian 2569 e 2571; Querin. A VII 1 f. 73; Lucca 2128 f. 95; Torin. Nazion. H. III 8, ora Lat. B 262 f. 5; Laurenz. 89 sup. 16 f. 187; efr. Bandini *Cod. Lat.* III 275; Maffei *Scritt. Veron.* lib. III p. 78; Rosmini *Guarino* I 95; A. Zeno *Diss. Voss.* I 219; R. Sabbadini *Centotrenta lett. ined. di F. Barbaro* p. 118; G. Porro *Catal. dei cod. ms. Trivulz.* p. 268).

Clarissimi viri Guarini Veronensis ad illustrem principem d. Leonellum Estensem de assentatoris et amici differentia ex Plutarcho liber.

<Guarinus Veronensis ill. d. Leonello Estensi sal. pl. d.>

Platonem virum doctissimum eundemque gravissimum et 5 philosophorum facile principem olim in Siciliam idecirco navigasse memoriae proditum est, Leonelle princeps, ut Dionysium iuniorum excellentis per id tempus ingenii et spei singularis adolescentem disciplina et bonis artibus erudiret ac institueret. Intellegebat enim vir sapientissimus, ut cupiditatibus principum ac vi- 10 tiis infici soleret civitas, sic ornari et corrigi rectis eorum institutis et continentia: posse igitur cum reliquos subditos tum Siculos universos bene instructi iuvenis exemplo aut ad probos mores vehementer accendi aut ad sanitatem pristinam revocari et feli-

61 *vel* alerentur *codd.* | 62 *vel* sint *codd.*

676, 7 *vel* maiorem *codd.* | 9 *vel* litteris *codd.* | *vel* instrueret *codd.*

- 15 citatem cunctis afferri. Et sane voti compotem Platonem et virtus et sua reddidisset industria: adeo magnificis viri consiliis principia respondebant; nisi perniciosa mox assentatorum conspiratio perinde ac iactis generosis seminibus grando quaedam ingruisset et germinantes iam in ortu fructus et quidem uberes suffocasset.
- 20 Id autem ne principibus et in excelso dignitatis fastigio, ut tu, positis officere valeat, si qui fortasse aut bonitate naturae aut amicorum suas ad disciplinam ac virtutem capessendam invitabuntur aut anhelabunt, Plutarchus cum praesidio adest, tum doctrina et magnarum rerum scientia tum prudentissima recte vi-
- 25 vendi ratione illustris homo et admirandus certe philosophus. Ipse te et primores ceteros per te et muniet monebit et adversus truculentissimas bestias assentatores armabit, ut eorum detectis insidiis, adulatorem amicumque dignoscentes, hunc quidem benigne et suaviter complectantur, illum acerbe ac inexorabiliter
- 30 propulsent et abominentur, cuius maxime nidum et receptaculum intra potentium aulas constitui noverat.

Quasdam ab eo selectas arbitratu meo sententias tuo nomine contexui, ut nulla in parte Leonelli mei, quantum facultas datur, desim ornamentis et reliquis in te studiola nostra prosint. Sic tibi  
 35 gratias habituri sunt, quia sicut eos praeclara vitae institutione excitas animas et ad imitandum accendis, ita quo doceantur et prudentiores evadant causam praebeuisti. Eo autem libentius hoc onus vel tua gratia, generose vir Leonelle, suscepi, quoniam quam accuratus et diligens ad insignium virorum vitas et res  
 40 ipsorum gestas exponendas sit historicus, probe nosti. Nunc operae pretium est, ut quantus in fulminandis vitiis et virtutibus propagandis philosophus emineat, ipse intelligas: quibus ex rebus non parvum vitae mortalium momentum adducitur, cum hisce quidem praeceptis, illis vero testibus et exemplis rectus ac certus  
 45 degendae aetatis cursus instruatur et corroboretur. Nunc ne procul nimis aberret oratio, dicere de amici et assentatoris differentia iam aggrediar, si prius pauca de huius ortu subiecero.

Maximos et praestanti ingenio viros — vitia mentibus instillent.

50 Haec tibi, Leonelle vir amplissime et mi rex benignissime,

---

23 *vel* et *codd.*

Tusc. I 4.

munuscula deferuntur duce Plutarcho, comite Guarino tuo; quae si tibi non ingrata cognoscam, ad reliqua studium excitabis: « honos enim, ut ait Tullius, alit artes ». Nostra quoque iuventus tuo commonefacta iudicio promptius leget ac legendo proficiet: unumquemque ita ferme comparatum esse videmus, ut quae suis 55 vel dignitate vel existimatione maioribus probentur, ad ea propensior feratur. Si quem praeterea inde fructum legerint, ingentes tibi gratias porro et habebunt et dicent cum abs te velut a fonte id sibi manasse meminerint.

&lt;Ferrara 1437 ?&gt;.

60

## 677.

(Laur. Ashburn. 181 f. 24<sup>v</sup>, Paoli 109).

Guarinus illustri marchioni Leonello sal. pl. d.

Solent iis, qui sanctarum scripturarum abyssum velut pelagus magnum percurrunt, multi perinde ac scopuli inter legendum occurrere. Qua ex re factum est ut non solum indocti sed etiam docti verba ipsa subtilius ponderare et diligentiori examine librare debeant, ne in errorem quempiam incident aut inducant inextricabilem: sicuti nuper ex propinquis apud tuae magnificentiae mensam, sermonibus de fide catholica ortis ut christiani principis interest, non parva mihi emicuit dubitatio quid sibi velit pax ipsa per Salvatorem promissa oblata mandata. Nam cum 10 <sup>Ioh. 14, 27; 20,</sup>  
<sup>19.</sup> « pacem meam do vobis » diceret et ipsis apostolis eiusque ministris et secutoribus nuntiasset « pax vobis », is potissimum qui via est et veritas, ubinam pax illa sit dubitant plerique et quo in tempore debuit expectari. Non dicam quod ante ipsius adventum et non multis ante annis totus terrarum orbis « ab ortu solis 15 usque ad occasum » magnis et perniciosis bellis labefactatus vexatus et laceratus est; sed ab ipsius Iesu Christi nativitate tot

---

59 Explicit feliciter. Rodigii. 1439. die X iulii. Ego Bartolameus de Ganasonibus de Brixia scripsi *Querin.*

677, 12 quia cod.

clades mundo importatae sunt. Nam ut vera testatur historia, Salvator noster quem Graeci οὐτῆς, Hebraei vero Iesum vocant, 20 e beata virgine ortus est anno imperii Octaviani Caesaris Augusti quadragesimo secundo vel, ut alii, quadragesimo, qui annis quinquaginta sex et mensibus sex imperavit et diem suum obiit anno aetatis septuagesimo sexto. Ab nativitate igitur Iesu Christi anno secundo, Iuda quodam Galilaeo concitante, Iudei sumptis 25 rebellant armis; tertio deinde anno universi a bimatu parvuli Betheleem Herodis mandato neci sunt traditi, in quibus et Herodis filius; unde Augustus cognita Herodis in filium crudelitate dixit: « mallem Herodis porcus esse quam filius ».

Quae primae pacis initia! Anno deinde VIII terribilis in- 30 valescit fames; anno deinde Christi VIII et imperii Augusti L, Tiberius Caesar atrox in Dalmatas Sarmatasque bellum gerit, ex quo utrosque in romanam redigit potestatem. Anno Christi XI et Octaviani LII Atheniensibus contra Romanos arma moventibus bellum infertur et tandem opprimuntur et auctores seditionis 35 occiduntur: nondum pacem illam nuntiatam video. Subinde imperante Tiberio Caesare anno imperii eius IIII, post Christi nativitatem XVIII Germanicus Caesar bellum gerit in Parthos et devictis triumphum dicit. Anno V imperii Tiberii et a Christi nativitate XX urbes tredecim terraemotu in Asia ceciderunt. Anno 40 imperii Tiberii XVIII vel ut alii dicunt XV Dominus Iesus Christus ad passionem ducitur: quo tempore totus mundus conquassatus, solis facta defectio, plurimae in Nizaea et Bithynia aedes terraemotu collapsae sunt. Eodem anno et a Christi nativitate XXXIII Pilatus Iudeae praeses secreto noctis tempore 45 imagines Tiberii Caesaris in templo Hierusalem statuit, unde populi tumultus et seditio facta et ad arma concursum est, quae fuit multorum prima causa et origo malorum. Anno imperii Tiberii Caesaris XX et a nativitate Christi XXXV Pilatus sacrum thesaurum, quem corbonam Iudei vocant, rapiens et in aquae- 50 ductum expendens, alteram seditionis ingentis causam praebuit et malorum semina plurima. Hoc tempore tanta eruperunt bella, ut Armenia per Parthos, Moesia per Dacas, Pannonia per Sarmatas,

---

21 Fonte principale delle notizie date in questa lettera è la *Chronica* di Girolamo | 38 imperio cod.

Gallia per finitimas gentes afflictæ vexatae et direptæ sint. Imperante subinde Caligula post Tiberium et anno Christi XXXVIII Flaccus praefectus Aegypti Iudeos magnis affigit calamitatibus; 55 eorum synagogas statuis aris victimis gentiliter polluit. Imperante deinceps Claudio, anno imperii III et Christi XLV, bellum ingens in Britannos conflatur et in Orchadas insulas, quibus debellatis et romano adiunctis imperio Claudio triumphat. Anno Claudii VII et Christi XLVIII in diebus azymorum tanta est Hierosolymis orta seditio, ut in portarum exitu populo corruente XXX milia Iudeorum sub procuratore Cumano perierint. Anno Claudii VIII et X et a nativitate Christi LI et LII fames valida Graeciam et Romam invadit. 60

Longum est percurrere orbis mala, christianorum martyria, 65 quae pax praedicta auferre debuit, si pax mundo promissa est. Sed ne longe abierimus, pax apostolis per magistrum nuntiata hunc habuit in eis finem, ut Simon Petrus multas Romae persecutio-nes passus crucifixus sit, capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis; Paulus apostolus et vas electionis et Iesu 70 Christi tuba verissima cum apud Felicem Iudeae procuratorem ab Iudeis accusatus esset, Romam mittitur ibique die quo Petrus crucifixus est, capite truncatur anno imperii Neronis XIII et ultimo; Andreas frater Petri apostoli in Patrarum urbe Achaiae crucifixus obiit; Iacobus frater Iohannis evangelistae ab Herode 75 rege apud Hierosolyma capite fixus atque humatus; Bartholomeus in Armenia ab incredulis gentibus decoriatus vitam amisit: et ne singulos dicam, paucis exceptis, martyrio ferme omnes coronati in tribulationibus nulla cum corporis pace vixerunt et du-riter perierunt. 80

Ioh. 14, 27.

Subinde perscrutanti mihi venit in mentem num aliud pacis genus christianis promissum esse videatur, quam mundus ipse donat. Nam et ipse Jesus Christus non « pacem mundi do vobis », sed « pacem meam » inquit, et adiecit: « non sicut mundus dat », ubi, etiam cessante quandoque inter homines ab hostibus bello et 85 pace vigente, lites inter cives, iurgia, caedes, intestinae oriuntur discordiae, frater in fratrem, pater in filium, filius in patrem insurgit. Quae autem haec ipsa quam quaerimus pax sit, difficile

dictu, asserente Augustino: « Pax ista praecellit, sicut scriptum  
 90 est, omnem intellectum neque sciri a nobis nisi cum ad eam ve-  
 nerimus potest. Quomodo enim pacificantur caelestia, nisi nobis  
 idest concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax omnem,  
 ut dictum est, praecellens intellectum: sed utique nostrum, non  
 eorum qui semper vident faciem patris ». Et alio in loco idem  
 95 inquit Augustinus: « Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo  
 mediator est immolatus, pacificantur caelestia cum terrestribus  
 et terrestria cum caelestibus ». Quibus ex rebus inquirendi datur  
 occasio quoniam in loco christiana speranda et amplectenda sit  
 100 pax quam ille proposuit, « quem Iudei quidem Messiam, Graeci  
 vero Christum, Latini autem unctum » appellavere. Vale, princeps  
 excelse.

Ferrariae XXIII aprilis <1443?>.

### 678.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 132v; Lollin. 16 p. 187; Ferrar. 110 NA 4  
 f. 106; 151 NA 5 f. 48; Padov. Semin. 89 p. 37; Marc. lat. XI 80 f.  
 161; XII 151 f. 116; XIV 221 f. 92v; Tioli XXII p. 115; XXXVI  
 f. 33v; Monac. lat. 454 f. 78; Vindobon. 3330 f. 139v; 3191 f. 63;  
 3462 f. 46; Monac. Universit. 2.º 607 f. 146v; Est. 36 f. 14; Balliol  
 135 f. 131; i soli versi in Ambros. D 267 inf. f. 98v; G 44 sup. f.  
 116v. Vatic. 4514 f. 37; Canon. misc. 317 f. 86v; pubblicata la lettera  
 in parte dal Verani in *Giorn. dei letter. XX* 287-288, dal Pez *Thes.*  
 VI, III p. 163; cfr. *Bibliot. ms. di T. G. Farsetti* 35; pubblicati i  
 versi da K. Müllner in *Wiener Studien XVIII* 128 e da me *La critica*  
 del testo del *de officiis* ecc. Catania 1888, 40).

Guarinus Veronensis d. Leonello Estensi sal. pl. d.

Non desino, Leonelle princeps, pro mea virili sicut aliis in  
 rebus tuae dignitati laudique servire, ita et in hisce humanitatis  
 studiis divinum istud ingenium tuum fulcire, ut quantum reliquos  
 5 tuae fidei consilio et gubernationi commendatos superare bonis  
 artibus debes, tantum te ipsum vincas in dies; hac ratione quan-  
 tum tuis in me officiis ac meritis debeo, si non re, at signis qui-  
 busdam declaravero meque ab ingratitudinis criminе vendicavero.  
 Cum igitur per varios prisorum codices septem sapientum cele-  
 10 brata legas nomina, eos carmine collectos atque colligatos ad te

*Enchir. 63; cfr.  
 in Joh. evang.  
 tract. LXXVII;  
 Enarr. in ps  
 CIII 13.*

mittere constitui, ut cum inter legendum occurrerint, hinc omnis tibi scrupulus adimatur.

15

Nomina septenum sapientum Graecia cantat,  
Partibus et natos diversis orbis honorat.  
Inclyta nam genuit celebrem Bianta Prienne.  
Inde Solone suo clarae laetantur Athenae.  
Miletus generat perdoctum antiqua Thaletem  
Atque Mitylena praeclarum Pittacon edit.  
Se genitum rigida gaudet Lacedaemone Chilon.  
Te, Periandre, creat laudabilis aere Corinthus,  
Lindon at in caelum cum laude, Cleobole, tollis. 20

<Ferrara 1430-1435>.

### 679.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 82<sup>v</sup>; Novar. Capitol. CXXIV f. 157; Vatic. 5167 f. 70; Bergamo A II 32 f. 92: questi quattro soli codici recano il testo intero della lettera; Ambros. G 44 sup. f. 90; Pavese 117 f. 84; Ottob. 1196 f. 345; Chig. I, VI 209; Vindob. 3462 f. 43<sup>v</sup>; 3172 f. 116<sup>v</sup>; Padov. Semin. 99 f. 40<sup>v</sup>: questi hanno solamente la seconda parte da *Ut igitur et absens a obsurdare desinam* 86-147. Alcuni passi pubblicati dal Rosmini *Guarino* I 113 e da *Ut igitur a desinam* in una stampa antica, cfr. *Propugnatore* 1875, II 213, e recentemente da K. Müllner *Reden und Briefe ital. Humanisten*, Wien 1899, 224).

Guarinus ill.<sup>mo</sup> d. Leonello Estensi säl. pl. d.

Plusne dulcedinis adventus tuus an molestiae discessus afferat, difficile dictu est, Leonelle princeps. Nam cum mores tui, gravitas sermo festivitas, vultus oculi mirificam prae se ferant suavitatem, tuo ex discessu cum hisce rebus carendum est, amaritudo quaedam aboriatur necesse est: ita fit ut quantum laetitiae tua pariat praesentia, tantum desiderii infigat absentia et instar apum res nostra fiat, quae cum mella pariant, acerbos su-

678, 11 vel institui codd. | 18 vel Mitilene codd. | 20 vel corinthos codd. | 21 vel et codd. | vel Cleobele vel Cleobule codd.

679, 6 suboriatur Ferr., Ber. | 7 pariat corr. in parit Vat.

binde relinquant aculeos. Infinitae de te cupiditati meae « haud  
 10 satis est vidisse semel »; omnis « lepidissimi capitii » tui con-  
 templatio aviditatem magis incitat quam avertat incenditque quam  
 extinguat. Nam licet maxima benivolentiae caritatis et observan-  
 tiae pars in recordatione consistat et animo qui « disiungi retrahique  
 nequit » vale< a >nt illa verba: « et abeuntem usque  
 15 consequitur », tamen ut noster Catullus inquit « amantes non  
 longe a caro corpore abesse volunt ». Cum igitur vel negotia tua  
 vel otia et rusticationes amabilem Leonelli mei faciem intercipiant,  
 configiendum ad artes mihi est; nam quod locorum intervalla  
 surripiunt, vicaria restituet nobis epistula, et quod viva non po-  
 20 test oratio, scribendi supplebit officium. Quocirca cum mutuis ex  
 scriptis tanta commoda voluptates fructusque colligantur, ut alio-  
 quin longinqui < propinqui et tacentes > diserti quodam modo  
 futuri fuisse viderentur, eis satis dignae referri gratiae nequeunt,  
 qui apud priora saecula litterarum inventores extitere: quanquam  
 25 divinum potius munus, quam humanum existimandum sit inven-  
 tum. Etenim ut alia omittam, quis non tollat in caelum laudibus,  
 admiretur obstupescat, quod paucula nimirum elementa res hu-  
 manas ac divinas explicit instruant et perpetuo conservent?  
 quodque mirabilius est tot iam defuncti saeculis et loquuntur et  
 30 posteritatem condocefaciunt.

Itaque cum litterarum officio me tibi praesentem reddere in-  
 stituo, princeps benignissime, et cogitatione proinde quopiam  
 scribendi venabar argumentum, tua ecce liberalitas dicendi ma-  
 teriam attulit; inter fricandum siquidem frontem atque oculos  
 35 tuae munificentiae testes litterae deferuntur. Ut frumentario sub-  
 sidio nostram rei familiaris angustiam levas, immo locupletas!  
 illustre sane munus et amplissimum ipsoque donatore dignissi-  
 mum, quod et de benignitatis parente ac fonte fertur, Alexandro.  
 Quem cum amici mirarentur aliquando quod pusillos, idest mei  
 40 similes, homunciones magnificis donis honestaret, quasi ipsos minus  
 agnosceret: « illos quidem, inquit, agnosco, ceterum me ipsum  
 non ignoro ». Qua in re quid faciam subdubito. Nam cum refe-  
 renda gratia nullum magis necessarium existat officium et eam

---

14 val - verba om. Vat., Ber. | habentem Novar. | 31 ita quod Ferr.,  
itaque quod Novar.

ad rem « agros iubeamur imitari fertiles qui multo plus reddunt quam acceperunt », ne rusticus dicar reformido, si praeter verba 45 et ea quidem tenuia nihil habeo quod contra parare possim: ini-qua vero pro rebus ipsis, quae cumulari debuerant, vel saltem par pari referri, verborum recompensatio est. Eoque magis in-  
grati hominis nomen maculasque reformido, quod, ut est apud

- Cyrup.* 12, 7. Xenophontem, ingratum hominem et inverecundum esse oportet 50 et parentum, patriae, deorum denique curam abiecssisse necesse est: ita Persarum institutis ingratitudinem gravibus affici poenis idem testis est Xenophon. Verum tamen si pro meritorum tuorum dignitate parum idoneam gratiarum actionem accommodare videor, confido fore ut non tam ingenio meo, quod imbecille pro- 55 fecto atque exiguum est, quam muneri, quod magnificum ac regale est, pro tua modestia attribuas, praesertim cum ipsa benefactorum tuorum recordatio, et quidem iocundissima, tibi grates tibi praemium tibi merces cumulatissima fiat. Me tamen siquid sum tuae magnificentiae dederem, nisi tuis dudum meritis devinc- 60 tus ita usu et possessione tuae factus essem potestatis, ut iuris mei nihil in me reliquum sit.

- Catull.* 1, 4. Ne autem nimis cito litterariam hanc nostram sermocinatio-  
nenm interrumpam, quam mihi quidem gratissimam, tibi vero non  
iniocundam fore confido quia « soles meas esse aliquid putare 65 nugas », diutius nonnihil producatur oratio et de communibus  
quippiam studiis dicamus; quod nuper in peristylo Fontis factu-  
rus eram iamque rei eius initium egeram, nisi Patavinus homo  
suis adstantium coronam facetiis salibus et urbanitate permulcens  
nos quoque audituros allexisset. Non delectari non poteram simul 70  
et admirari ingenii illius celeritatem, linguae volubilitatem, promptissimam inveniendi vim, tam iocosas rerum similitudines, tantam  
verborum copiam, adeo paratas in similiter cadentibus similiter-  
que desinentibus voces, ut non excogitatas tum primum sententias  
efferre, sed scripta cursim lectitare videretur. Quantae illud ad- 75  
mirationis et paene stuporis, cum is ab illustri principe nostro  
iussus eos probare quos improbarat et collaudare quos morsibus  
antea fuerat insectatus, verbis in contrarium versis atque sen-

---

45 acceperint *Ber.* | 47 vel *Ber.*, ut *rell.* | 56 muneri *Ber.*, muneris  
*rell.* | 60 sim *Ferr.* | 71 huius *Ber.*

tentiis palinodiam non minus alacri factitabat ingenio. Haec ipsa  
 80 res documento nobis est et fidei, excellentes illos homines, quos  
 tantopere colit et extollit antiquitas, quacunque de re propon-  
 tis gravissimisque materiis, in curia in foro in contione pon-  
 deratissimis verbis ac magnificis sententiis extemporaria oratione  
 vere disputasse. Omissa in praesentia Patavino ipso facetissimo,  
 85 ad nos redeamus.

Cic. *de or.* III  
126-29.

Ut igitur et absens studia tua, Leonelle princeps, si non re,  
 at consilio iuvem opemque feram, regulas quasdam et veluti stu-  
 dendii ordinem brevibus proponam, quae a Manuele Chrysolora  
 virtutis et doctrinae magistro percepit, cum in litterarum via du-  
 90 cem sese mihi praebebat. Primum quidem non introrsum aut  
 sub lingua legentem immurmurare, sed clariore pronuntiare voce  
 iubebat, quod praeceptum cum ad digestionem conducere ferant  
 ii qui naturae ac medicinae causas tenent, etiam ad intelligendum  
 meliusque percipiendum non parvum adiumentum afferre, cum  
 95 aures ipsae, quasi alias extrinsecus insonet, mentem moveant et  
 ad cognoscendum acrius exuscitent. Tum finitum verborum am-  
 bitum terminatamque sententiam, quam alii clausulam alii perio-  
 dum vocant, attentioribus oculis animoque percurrere: cuius sen-  
 sum si prima confictione legendo capesses, tecum repetens sum-  
 100 matimque cogens unum in aspectum ac mentis intuitum colliges;  
 si in primis congressibus, ut legenti persaepe fit, sensus indaga-  
 tus obaudiet « tectusque tenebit se », gradum revocabis, fores ut  
 sic dicam pulsabis, quo vel rogatus ad intelligendum pateat adi-  
 tus; qua in re tuae tibi aucupariae canes imitandae sunt, quae  
 105 cum vepres ac stipulas lustrantes avem indagine prima minime  
 nactae sint, relegere denuo iubentur, ut quod prior elicere nequi-  
 vit impetus, secunda excutiat aggressio.

cfr. Plin. *Epiſt.*  
IX 36, 3.

Verg. *Aen.* X  
802.

Protinus ubi plures uni cuidam destinatas capiti clausulas  
 eodem percurreris modo ac diligentia, priusquam alterum lectio

---

79 faciebat *Ber.* | 80 et *Ber.*, *om. rell.* | 82 politissimis *Ber.* | 86  
 et *om. Vat.*, *Ferr.*, *Norar.* | 89 vel virtutum *codd.* | 95 vel aliud *codd.*  
 | 96 vel excitent *codd.* | 98 vel percurre *codd.* | 100 cognoscens atque col-  
 ligens *Müllner* | 102 obaudiet: nel senso di *abundiet*, *non audiet*; in un  
 lessico del cod. XCII del Capitolo di Novara (sec. XV) si legge: *Abaudit*  
 male audit vel non audire simulat. | 103 vel rogitatus *codd.* | 104 vel  
 aucupatorie *codd.*

promoveatur in locum, receptui canendum erit et lectorum summa 110 tecum tacitus recognosces. Nec verbum ex verbo sed sensa tantisper exprimes, quasi corpus non membra circumscribas. Quodsi inter legendum quicquam aut ornate dictum aut prudenter et officiose factum aut acute responsum ad instituendam ornandamque vitam pertinens offenderis, ut id memoriter ediscas suadebo; id- 115 que ut recordationi firmius inhaereat tenaciusque servetur, non satis erit dixisse semel, verum de more Pythagoreorum quod interdiu didiceris reminiscendum erit vesperi; et aliquo desumpto mensis die erit perceptorum omnium renovanda memoria.

*Cic. de sen. 38.* Firmandae quoque lectorum memoriae vehementer proderit 120 si quem delegeris quocum lecta conferas et in lucubrationum tuarum partem communicationemque vocaveris; haec nanque recordationis vis atque natura est, ut iners esse nolit et fatigatione levetur in dies. Has ad res salubre probatumque praestatur consilium, ut quotiens lectitandum est paratum teneas codicillum 125 tanquam fidelem tibi depositarium, in quo quicquid selectum adnotaveris describas et sicuti collectorum catalogum facias; nam quotiens visa placita delecta repetere constitueris, ne semper tot de integro revolvendae sint chartae, praesto codicillus erit qui sicuti minister strenuus et assiduus petita subiciat. Haec adeo 130 fructuosa apud maiores studiorum parentes et alumnos habita semper est industria, ut cum alii permulti tum vero Plinius no- ster nullum legisse tradatur codicem, quin dignas adnotatu res excerpserit. At si vel taedium vel lectionis interruptio ne in codicillum de quo loquor adnotanda transcribas impedimento fuerit, 135 puer aliquis idoneus et musarum familiaris, quales plerique reperiuntur, huic ipsi praeficiendus erit operi et ministerio adhibendus.

*Epist. III 3, 10.* Accedebant quaedam non incommodae huic sane praceptioni regulae; sed cum aliis fortasse congruant otiosis, tibi vero per immortales occupationes exercendi tempus denegetur, omisi, praesertim cum mihi needum exploratum sit quam grata tibi futura haec ipsa perferantur, quae fortasse supervacanea iudicaturus sis: ut si quis ambulandi leges ac pracepta daturus, incessum motumque ab sinistro vel dextro pede fieri oportere « hoc vel hoc

---

110 *vel* summam *codd.* | 119 preceptorum *codd.* | 133 traditur *Ber.*  
| 134 *vel* excipserit *codd.* | 142 *vel* adiudicaturus *codd.*

145 pacto » dicat et tardum aut celerem rectumque aut obliquum exponat; proinde me continebo et cum satis verborum datum sit, aures tuas amplius obsurdare desinam.

Post superiora iam scripta sensi quam animose quamque prudenter iniuriis illius viri mederi voluisti; quare cum amici 150 causa magnopere gaudeam, non minus tua gloria gratulor, ut omnes boni eius exemplo iam nunc intelligant quantum praesidii in te figere ac locare possint ac debeant. Vale.

<Ferrara estate del 1434>.

## 680.

(*Bibliot. ms. di T. G. Farsetti*, Venezia 1771-80, II 30 « in una lettera di Guarino a Lionello d'Este, che trovasi manoscritta nella libreria della Salute »).

<Guarinus Veronensis ill. Leonello marchioni Estensi sal. pl. d.>.

\*\*\*\*\* Cum iuvenilibus annis sub Manuele Chrysolora illustri philosopho et eius nepote Iohanne, praeceptoribus amantissimi, Constantinopolim incolerem et post prima deposita rudimenta pleniore gradu discendo pergerem \*\*\*\*\*

<Ferrara 1435 ?>.

## 681.

(Laur. Ashburnh. 278 f. 114<sup>v</sup>; Corsin. 33 E 27 f. 53; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 13<sup>v</sup>; Vicenza G 7. 26 f. 83; Monac. lat. 504 f. 177; Arundel 70 f. 114; Vindobon. 3330 f. 170; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 180; 4.<sup>o</sup> 768 f. 180; Treveri 1879 f. 41).

Guarinus Veronensis equiti splendido d. Feltrino Boiardo sal. pl. d.

In agrum cum otiandi vel recreandi potius animi gratia secesseris, consilium probo vel naturae documento vel clarorum

---

147 Il cod. Berg. e alcuni altri che recano il solo estratto chiudono con: Vale mi rex. | 149 viris illius *Vat.*, *Ber.* | 151 boni omnes *Vat.*, *Ber.* | 152 et possint et debeant. Vale iterum *Ber.*

<sup>8</sup> Val. Max. VIII 1-2 hominum exemplo. Legisse enim memini Scipionem et Laelium 5 sicuti animorum similitudine sic et magnarum virtutum paritate devinctos post lassatos magnis ex curis animos ludum ruri non effugisse; Scaevolam quoque iuris interpretem optimum post forensum causarum defatigationem vel in agrorum amoenitatem sese recepisse vel pila attente lusitasse. Animadvertebant enim 10 naturam ipsam vivendi magistram primariam diem noctemque fecisse, ut quantum ille operi ac labori mortales urgeret, tantum haec remissioni invitaret et quieti; nec ut laborem fugerent et inertiae sese dederent eos id factitasse constat, sed ut recentiores et ad novum laborem instauratores se redderent otiabantur. 15 Quorum cum te pro tua magnitudine animi aemulum et dictis factisque imitatorem strenuum videam, laudo tuum istud probum facinus, praesertim cum inter aucupia et ceteras ruris voluptates libros ipsos, sanctos sane comites et fidos consiliarios, optes et flagites, vel imitatione vel incitamento illustris et regii vere filii 20 Leonelli, cui tu non secus <adhaeres> et latere et passibus quam pio illi Aeneae « comes ibat Achates ».

Verg. Aen. VI  
158.

Utrique igitur, quantum pro virili parte licet et mihi absenti datur, in voluptatibus vestris et otio condimentum affero et currentes adiuvo. Leonello nanque Sertorium emendatum transmitto, 25 quo duce Hiberos perlustret et varia loca visat eumque in sole pugnantem otiosus in umbra spectet. Tibi quoque, generose Boiarde, varias Plutarchi comparatiunculas mitto, in quibus et rerum gestarum et virorum quam simillimas similitudines contemplatus admireris et historici non minus obstupescas ingenio. Quas ob res 30 tu quoque pro tua constantia fidem et promissa solves, non dico promissa illa perdicaria et volatilia, scio enim tua sponte solutum vel tacente me, sed litteraria dico, nam epistulae utriusque copiam posco, quam et mihi hospitem faciam et tuis verbis Stephanum nostrum participem reddam. Vale et miles strenue et 35 eques splendide meque carum facito et quidem humiliter illustri

681, 17 strenue *codd.* | 25 vel mitto emendatum *codd.* Nel cod. Saibante 428 era una lettera « eiusdem (Guarini) ad anonymum ». Gli mandava il « Sertorium Plutarchi a se latine factum » (*Arch. Ven. VII* 178). Sembra una lettera diversa dalla presente. | 36 me quoque *codd.*

Leonello, non meis quidem meritis sed divina eius humanitate.  
Vale iterum et incolumitati vestrae, in qua et mea est, servite.

Ferrariae XVII kal. sextiles <prima del 1441>.

## 682.

(Laur. Ashb. 272 f. 99v ; Ferrar. 110 NA 4 f. 95 ; Ambros. C 145 inf. f. 353v ; Vatic. 5167 f. 72 ; Padov. Semin. 692 f. 106 ; Novar. Capitol. CXXIV f. 160v ; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 206).

Guarinus Veronensis illustri d. Leonello Estensi sal. pl. d.

Haec ut me tibi incuset tuam ad amplitudinem venit epistula ; tua tamen tanta prudentia est simul et humanitas, ut cum rationem incusationis acceperis veniam datus sis et in amoris 5 partem omnia relaturus. Nuper cum plerosque redeentes abs te ex agro in urbem de te tuaeque vitae partibus interrogarem, mea enim in te singularis pietas tacitum me esse non sinit, varias rusticationis tuae amoenitates edidici, quibus rura peragrans una cum illustri genitore traducis hoc tempus, incolumitati pariter et 10 oblectamentis inserviens.

Alius tua refert aucupia, probata illa quidem, cum et ab tua proficiscantur industria et exercendo corpori incolumitatique conservandae pertineant. Sunt qui natationes tuas exponant, quae ut refrigerandis hoc solstitio membris ita et corporis agilitati com 15 parandae vehementer accommodatae sunt : cum virenti de ripa et herboso de caespite in liquidas aquas desiliens aut artus perluis aut in caput volveris aut supinus secundo flumine laberis aut alterna iactans brachia obliquum perrumpis annem. Hac qui vel arte vel usu polleat duplcem ita sese naturam induit, ut terrestria 20 cum terrestribus opera et aquatilia cum aquatilibus exercere posse videatur, unde plurima quae mortalibus impendent pericula evitari facile datum est.

39 XXII kal. sextil. *Ashb.*, *Arund.*, *Monacc.* 607. 768, XV kal. sext. *Vic.*

682, 13 nationes (*vel* venationes) *codd.* | 15 *rel* aut *codd.* | 15 *vel* desilis *codd.* | 18 *vel* prorumpis *codd.*

Liv. II 10.

Suet. Iul. 64.

Cur. III 5.

Non ab re et innumerabiles superioris et huius aetatis permultos principes natandi peritissimos aut vides aut legis. Tenes etenim memoria Horatium illum Coclitem, qui cum Porsennae 25 irruentis impetum in ponte sublicio sustinuissest, post effractum pontem « armatum sese in Tiberim deiciens incolumis ad suos enatavit ». Caesarem ut reliquarum laude dignarum artium non ignarum, sic et huius peritissimum fuisse constat, vel Pharitarum et Alexandrinorum testimonio, in quorum conspectu armatus una 30 tantum manu longe enatavit, altera libellum attollens « ne spolio potitus gloriaretur hostis ». Dicerem et Alexandrum Macedoniae regem, ni sinistrum de illo vererer omen, qui cum nimis Cydni aquis delectatus innatat in adversam et curatu difficilem incidit valitudinem. Orta tamen in hoc exemplorum genere Alexandri 35 mentio tibi potius documento esse debebit ut sic natationibus alliciaris, ut salutis non modo tuae verum etiam tuorum qui exte velut ex sole radii pendemus curam studium ac rationem habeas. Quid illustres viros et vere virtute dignitate ac gloria principes patrem et socerum dicam, qui ut praeclera omnia sic et 40 hanc ipsam natandi artem bene commode aptissimeque norunt?

Nonnullae et aliae tuae lusiones praedicantur ab sanitatis ratione et animi laxamento nequaquam alienae, in quibus et pila eminet, quae cum a priscis illis collaudetur nonnullos ea delectatos principes scimus, ex quibus Scaevola quidem ex nostris, ex 45 alienigenis autem Alexander Magnus optime pila lusitasse traditur. Inter haec libros abs te exclusos nullo pacto crediderim, quos saporem et principalem alimoniam habere ac venerari soles quibusque ut aquila inter aves emicas.

Cum haec atque alia tua cuncti laudent, neque enim quae 50 vos principes dicitis facitisve latere possunt, tuorum laborum, quibus pro subditorum negotiis proque statu regio involveris, lenimina et condimenta sunt, quibus per otium et animi tranquillitatem ad sustinenda regni munera robustior et acrior <fas>. Etiam atque etiam pergas, clarissimos homines Scipionem et Lae- 55 lium imitans, quos post intermissas rei publicae curas et onera

---

27 vel Tybrim *codd.* | 36 annatat - *Vatic.* | 40 vel ac socerum *codd.*  
| 50 vel nec *codd.* | 52 subditorum et amicorum *Vatic., Ferr.* | lenimen  
(lemonia) *codd.* | 54 Il periodo zoppica.

istο more rusticari solitos et « in Caietae litore conchulas umbi-<sup>Val. Max. VIII  
8, 1.</sup>  
licosque iactasse ferunt ». Quid Achillem Graecorum fortissimum ?  
num post martios sudores citharam tractasse cantuque animos  
60 laxasse ab Homero traditum est ? Sic se res habet : nisi quies  
ardua et assidua remittat opera, frangi aut succumbere necesse  
est. Naturam ipsam optimam bene vivendi ducem et magistram  
sequi oportet, quae diem quidem labori, noctem autem otio con-  
didit et per vigiliam fatigatis somnum adiecit.

65     « Quid igitur tua, Guarine », dices « incusatura venit epi-  
stula, si sapientum iudicio praeceptis et exercitatione laudata otia  
mihi vendico et urbem paululum intermittens naturales agri vo-  
luptates consector, ubi poetae tot deos deasque habitare canunt ? »  
Cum tua, Leonelle princeps, oblectamenta contemplor, non invi-  
70 dere non dolere non possum, quae me tuo suavissimo capite et  
optatissimo tuo me privant aspectu dulcesque sermones interci-  
piunt, quarum rerum copia et facultas ut deos nectar et ambrosia  
me alit tuetur oblectat. Ceterum ne omnino destitutus maneam,  
75 si tuus interim subtrahitur aspectus, colloquendi saltem dulcedo  
surrepta non erit : tantum poterit nostrum qualecunque scribendi  
munus et litterae benignae profecto nostrae mentis interpretes et  
legatae ; quae cum humili quodam gestu me tibi commendaverint,  
Guarinum tua in recordatione fixum teneant servent augeant, nisi  
has fortassis ut ineptas tuarum amoenitatum interpellatrices asper-  
80 neris. Eis itaque mandavi ut observato tempore cum tuam visent  
amplitudinem « iussae taceant iussaeque loquantur ».

<Ferrara luglio 1435 ?>.

### 683.

(Laur. Ashburnh. 272 f. 111 ; Ambros. C 145 inf. f. 355).

Leonellus Estensis suo Guarino sal. pl.

Hesterno die cum inter Caesaris nostri Commentaria nostro  
in cubiculo interdiu versarer, tum diurni evitandi somni gratia

---

64 *adiecit*: qui termina il Vatic. alla fine della pagina | 65 *vel* dices  
haec (hoc) *codd.* | 66 *vel* imitatione *codd.*

tum lectionis voluptate qua mirum in modum allactus sum, redditae mihi sunt litterae tuae et venustatis et amoris plenae, quibus pro singulari tua in me benivolentia fide et caritate nostra de valitudine et salute contendis. Nec ab re quidem; nam cum pro innata ipsa natura singulorum salus mortalium nobis expetenda sit, tum eorum permaxime quos nobis miro amore consuetudine gratia devinximus curanda fatiganda tutanda est; nec, ut ad illam 10 redeam, incusanda aut succensanda tua venit epistula, verum collenda observanda. Quis enim tam fracti aut intractabilis animi erit qui amici fidem exprobret, qui de sua salute contendentem nedum non diligit verum etiam non amet observet admiretur? quique hanc tuam de me sollicitudinem vere ex animo profici- 15 scentem non magni faciat atque laudibus celebret et in optimam amoris partem accipiat? Sed cum multa sint quae in hac re mentem tuam declarant, tum in primis animadverto quantum te vehementer amem. Illud absurdum et inhumanum est <ut> abste ipse redamari non debeam illudque documento erit, ut apud 20 satirum nostrum est, quod maioribus nostris collibusse memoratum est, « qui praeceptores sancti voluere parentis esse loco ». Itaque mihi Guarine tibi persuadeas velim tua mihi salutaria consilia gratissima et esse et fore, cum perspectum habeam ea ab optimo animo et a viro mei amantissimo proficisci. 25

Juvenal. VII  
209.

Ter. And. 11,  
34.

Sane ut natationis meae tibi rationem exponam cum meopte ingenio omnia mediocriter et « nequid nimis » accurate contendam, ante aliquid ad eam perdiscendam otii pro tempore et operae impertitus sum, oblectationis pariter et evitandorum periculorum gratia, ut scribis, si quando quid tale acciderit. Quare cum 30 iisdem de rebus tum ut genitori meo parereim, ut par est, aliquando natationi operam dedi, quanquam nondum dignus enatator evasi. Sed cum a natura huius natationis artem discere cuperem, aliquid, ut superius dixi, pro tempore otii impertiebar; nunc vero summorum virorum, qui ea arte pollebant, pellectus exemplo ut 35 tua epistula declarat, adhibita tamen natandi moderatione, magis magisque ad eam perdiscendam manibus pedibusque accingere me contendebam, ni longe ab Eridano profecti fuissemus. Sed hoc in aliud tempus differemus. Ceterum meae lusiones et studia tibi

---

683, 26 ut] ne codd. | tum codd. | 27 ante si quid codd.

40 nota sunt, quibus cum tempus suppetit ut tu ipse scis operam impendo; cum vero in agrum secedo, otii gratia aucupia insertor, interdum me ad libros revoco, porro cantui et fidibus laxandi animi gratia temporis quicquam concedo naturamque ipsam vivendi magistram consector, ut facile intelligas me magis et scientia 45 mea et bonorum iudiciis quam gloriae adumbratione oblectari.

Vale et te mihi carissimum esse persuade tuasque litteras, qualescunque sint aut interpellatrices aut admonitrices aut prae se aliarum rerum speciem ferentes, a me non aspernandas sed complectendas observandas colendas.

50 Porti VII kal. augusti <1435?> raptim.

Vale iterum, clarissime et doctissime vir Guarine, praceptor amantissime.

#### 684.

(Marc. lat. XIV 221 f. 93; Tioli XXII p. 118; XXXVI f. 34v; Parig. 11138 f. 124; Vindobon. 3330 f. 135; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 142; Olmütz bibliot. degli Studi 159 f. 69v; pubblicata dal Pez *Thesaurus VI*, III p. 158; cfr. Verani in *Giorn. de' letter.* XX p. 289; il suo codice di S. Maria del Popolo è tutt' uno col cod. Tioli XXXVI).

Guarinus Veronensis illustri principi Leonello Estensi sal.  
pl. d.

Nuper cum in agrum secederes Portuanum, improbare quidem non audebam secessum tuum, praesertim quia, natura ipsa 5 magistra, secundum labores adoptanda sit quies et post ingravescentes defatigatione animos, delinimentum aliquod accedere oporteat. Nam exploratum est post datum ad opera diem, somni et requietis parentem succedere noctis vicem. Achillem a sudoribus bellicis et hostibus ad Troiam caesis <reversum> cantus ac ci- 10 tharam attigisse legimus. Quid de Scipione dicam et Laelio? <sup>Hom. II. IX 186-189.</sup> quos ubi pulcherrimis rei publicae muneribus curisque senatoriis, sicut et tu ipse praecclare facis, invigilarant, colligendis et iac-

47 prae se aut cold.

684, 3 *Portuanum*: cioè a Porto. 683, 50.

Val. Max. VIII  
8, 1. tandis in littore conchulis quietis loco lusisse memoriae proditum est. Quis enim est qui, nisi otio et remissioni se paululum dedat, non debilitetur opere et actione frangatur? Verum enim invero sub- 15 verebar ne ista intermissione potius quam omissione musa nostra raucesceret, quoniam, ut musici solent, quo frequentiores cantus exercet et altiores clamores tollit, eo vox clarior et ut ita dicam recentior integriorque servatur. Hoc autem die, vir illustris, tua illa melle dulcior epistula omnem a me suspicionem ademit atque 20 metum, quae multis de causis digna est quae a tam magnifico mihi tabellario redderetur, Feltrino inquam Boiardo equite splendidissimo. Is cum omnibus aliis calcar ad virtutem, tum vero tibi hortator animator incensorque ad haec divina litterarum studia semper est; decuit profecto eum suarum in te adhortationum 25 fructus mercedemque baiulare et tam benivolis gestare manibus.

Haec igitur ipsa de qua loquor epistula mihi testimonio fuit te per hanc Portuanam rusticationem nullo modo musam dimisisse sed ulnis strictioribus amplexatum, ut quod aliis otium esse soleat, tibi negotium et quidem litterarium feceris. Qua in re tuo 30 ingenio virtutique gratulor, quod maiores nostros praeclaros homines imiteris, nam Catonem Caesarem Brutum Ciceronem Alexandrum compluresque alios tanto ardore doctrinam prosecutos scimus omnes, ut dum navigarent dum venarentur dum iter facerent et, quod mirabilius est, dum acies struerent, legerent discerent scriberent: hinc enses ac retia, hinc libros ac stilum cerneret, adeo sine litteris insipidam inertem ignominiosam, immo vitam nullam esse putabant. Et profecto genus patria opes imperia voluptates aut aliena ex laude aut forensi ex beneficio sunt et hae postremae cum brutis communes, sola disciplina est quae 40 virtutem quae gloriam quae nomen immortale comparet hominemque non solum belluis sed etiam ipsis praestare faciat hominibus; nam quid aliud hominem imperitum censeas, nisi aeream et lapideam inter viventes statuam?

De litteris vero tuis quid sentiam explicare non parva me 45 tenet dubitatio. Eas siquidem non probare non possum, quas vi-

---

17 quoniam] quae non *codd.* | 22 Alberto inquam a Sala *Vindob.*  
| 30 litterarum *codd.* | 39 forensi *Tioli XXXVI, om. rell.* | 41 virtutum *codd.*

deam verborum ornamento, sententiarum gravitate refertas et utrinque suavissimas insperso in salis modum tuarum virtutum sapore, humanitate, morum dulcedine, caritate, modestia, qua ius amoris offendisse pertimescis si diuturnius silentium egisses. Haec recte facta suis fraudare laudibus non decet, quae sicut ex sole radii, sic ex virtute funduntur et manant; virtutis etiam et bonarum artium alimentum est honos atque laudes; quocirca veterum institutis post adeptas victorias decantari solitos pugiles audimus nec minus post res bene gestas laudari pro concione milites et coronis donari duces; « laudata nanque virtus crescit et immensum gloria calcar habet ». At enim subinde vereor dignis te efferre praeconiis et in faciem ut dicitur commendare, ne quod testimonio virtutis dico assentari videar, cum nulla tamen assentandi causa mihi sit et ab ea ratione prorsus abhorream. Accedit ne, cum tua scripta comprobavero, non tam tua quam mea laudibus extulisse velle credar, qui tibi ad haec studia et pericundas artes pro mea tenuitatem vel comes vel adiutor vel hortator existo. Unum tamen mihi solatium est, quia me tacente res tuae se ipsas extollunt et pro sua claritate in tenebris iacere non possunt; quod etiam si desit, tuae inter litteras actae vitae conscientia et benefactorum recordatio tibi pericunda futura est. « Perge vero et qua te dicit via dirige gressum », praesertim cum hanc ipsam doctrinam sicut et reliquas ad exercitationem accommodari oporteat. Te precor atque obtestor ut vocanti et manum porrigenti immortalitati libens audias, quanquam id sponte tua facis et sic tecum animo cogitas faciendum, ne cum omnia tibi ab natura et ab fortuna donata et concessa sint, tu tibi deesse videaris. Sic cum inter homines princeps sis, inter principes princeps praeclarus evades, qua in re cum tibi tum vero mihi faveo: continget enim, sicut in divino illo Minervae clipeo Phidiam, sic et in tuo splendore apud posteros spectari legique Guarinum.

Ovid. *e. e. P. IV*  
2, 35.

Verg. *Aen. I*  
401.

Cic. *Tusc. I*  
34.

Ex Ferraria IIII kal. sextiles <1436?>.

80 Tuæ magnificentiae commendo Amicum De Turre. Nunc tempus datur et occasio, Mantuae.

47 utcunque? | 50 Haec] Nam *Marc.* | 64 quod *Marc.* | 80-81 Il poscritto *Tuae - Mantuae* è dato solo dal cod. Tioli XXXVI.

## 685.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 123; Padov. Seminar. 89 p. 21; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 143; Vindob. 3330 f. 136; Olmütz bibliot. degli Studi 159 f. 56; pubblicata dal Pez *Thes. VI*, III 159).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Nulla fere dies illucescit, qua non aliquod novum virtutis periculum ac testimonium ex te videam. Alio quidem tempore aliarum virtutum, hodierno die benignitatis et suavitatis documentum quasi sidus aliquod extulisti, qui cum inter eximios viros insignesque principes, princeps et ipse, versaris, ab negotiis per otium et varias delinitus amoenitates, ad mei tamen recordationem descendisti, quemadmodum dei relicto saepe caelo, ut poetae dicerent, terras et pastorias casas visere non fastidiunt. 10 Eius vero rei testis est pulcher ac praepinguis capreolus, quo me nuper donasti et in venationis tuae partem vocare instituisti, ut quoniam venandi iocunditatem praesens capere non possem, fructu tamen aliqua ex parte non carerem. Id cum per se optabile sit, ad honorificantiam quoque meam et posteritatis famam 15 comparandam pertinet, cum humilis ipse tibi excuso sane viro et tanto fastigio sublimi placuisse praedicabor et amplitudini tuae carus et acceptus extitisse. Nec enim latere possunt quae vos illustres viri in alta positi specula geritis, in quos omnium ora atque oculi coniecti sunt vel imitaturi vel iudicaturi. 20

*de venat. XII*  
1-3.

Legeram apud doctum et disertum in primis philosophum Xenophontem venationem ipsam quasi quoddam rei militaris praeludium esse et bellicae virtutis simulaecrum; et profecto nihil in venandi studio facile reperies, quod sit a militia et ab armorum peritia vel alienum vel disiunctum: prima luce surgere, sitim 25 famem aestus frigora labores et alia sexcenta incommoda tolerare. Quid dicam insidias simulationes dissimulationes, quid iaculae sagittandi artem, quotiens cum robustis et animosis con-

685, 4 periculum] *vel exemplum codd.* | 11 *vel capriolus codd.* | 13 *vel possum codd.* | 21 *disertum virum Veron.* | 28 *vel et sagittandi codd.*

currendum est feris et de victoria decertandum, quae singula ad  
 30 verum certamen via quaedam, ars et industria sunt. Tu autem  
 pro ingenito tibi virtutis amore non solum venationem corporis  
 quoque exercendi, sed etiam virtutis materiam et benignitatis  
 exercitium esse voluisti, qui ut te non tibi soli natum esse osten-  
 deres, eam ad liberalitatem munificentiamque convertisti. Ita fac  
 35 Leonelle vir magnanime, enitere ut eius generis voluptates am-  
 plectare, quibus cum neminem offendas, valeas prodesse quamplu-  
 rimis. Pro tuis autem in me meritis et divinae humanitatis testi-  
 monio quas dignas tibi grates referam nescio, « quae tibi quae tali  
 reddam pro munere dona ». Accipe me certe tuae magnitudini  
 40 deditissimum ac me pro tuo utere arbitratu. Et quoniam de libe-  
 ralitate tecum agi coeptum est, non verebor ne me ineptum im-  
 portunumque voces. Coram autem hoc dicere fortasse quidem  
 verecundarer ego, ceterum scribere nihil verecundabor; ut enim  
 inquit Tullius noster, « epistula non erubescit ». Sapientissimum  
 45 virum et equitem splendidum Amicum de Turre tuae humanitati  
 magis magisque commendo, suis ita rogatus litteris; quod eo  
 audacius facio, quod iustus tu ab iusto principe iusta impetrare  
 facile potes. Quod autem maius principis officium est, quam ut  
 bonis viris faveas eorumque dignitati et comodis consulas? hi  
 50 sunt a quorum benivolentia laude ac studio nominis perpetuita-  
 tem et boni principis appellationem et apud praesentes et apud  
 posteros consecuturus es. Quid praeterea gratius acceptiusque  
 deo illi principi et creatori rerum omnium confidere vales, quam  
 de honestis magnisque hominibus, idest virtute praecellentibus,  
 55 bene mereri? Feliciter vale.

<Ferrara agosto 1436?>.

---

34 eamque *Ver.* | magnificantiamque *Vind.* | 35 et eius *Vind.* |  
 39 offenderis *Vind.* | complurimis *Vind.* | 79 me tue magnitudini tue  
 certe deditis- *Vind.* | 40 arbitratu] famulo *Vind.* | 41 vel import - inep -  
*codd.* | 42 vel hec *codd.* | 45 vel spl - eq - *codd.* | Amicum de Ture *Ver.*,  
 amicum detutare (=amicum de la Ture?) *Vind.* | 53 perficere *Vind.* —  
 55 vale m-ei memor *Vind.*

## 686.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 133; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 147; Vin-  
dob. 3330 f. 139<sup>v</sup>; Marc. lat. XI 80 f. 161<sup>v</sup>; Padov. Semin. 89 p. 38;  
pubblicata dal Pez *Thes. VI*, III 163).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Cooperam tuae tam diuturnae a nobis absentiae taedium ca-  
pere, qui tua ex praesentia dulcissimoque conspectu mirificam  
laetitiam iocunditatemque capesso. Verebar nanque ne tua de me 5  
recordatio sopiretur aucupio et peregrinatione rustica: et ecce  
suavissimae litterae tuae geminis comitatae phasianis omnem  
mihi suspicionem ademerunt. Qua in re Leonelle princeps mira-  
bile profecto mihi contigit, nam qui mortem obiisse phasiani vi-  
debantur, tuam de me recordationem, qua nihil gratius aut anti- 10  
qui afferri potest, locuti sunt. Fortunam igitur benedico quae  
peragranti tibi silvestria et feras indaganti hos tam suaves hu-  
manitatis et munificentiae tuae legatos obtulit. Eos autem ut  
iubes, vir magnifice, honorifice sepeliam et quidem more maiorum;  
nam constituto rogo et larido per membra imposito, hymnis quo- 15  
que christiana traditione cantatis et amicis ad iusta invitatis,  
honorifice efferendos curabo. Inter celebrandas exequias tuum  
nomen benedicendo tollemus ad astra. Vale mi rex et illustri ge-  
nitori me humiliter commenda.

Ex Ferraria.

20

---

686, 6 *vel* ex peregr- *codd.* | 9 *vel* contingit *codd.* | *vel* obisse *codd.*  
| 18-19 mi rex - commenda *Marc.*, *om. rell.* | 20 Ferrariae *Marc.*

## 687.

(Padov. Semin. 89 p. 35; Ferrar. 110 NA 4 f. 105<sup>v</sup>; Marc. lat. XI 80 f. 160<sup>v</sup>; XII 151 f. 115<sup>v</sup>; Veron. Capitol. CCLXVI f. 131<sup>v</sup>; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 146; Vindob. 3330 f. 139; pubblicata dal Pez *Thes. VI*, III 162; cfr. Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 480).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Nunquam tanta possem tua de amplitudine explicare, quin omnem orationem meam tua superet humanitas. In praesentiarum 5 ut cetera oinittam quis tam pusillum homunculum Guarinum tua in recordatione lucere posse putet, qui in regni negotiis rebusque magnificis distentus vix magna spectare ac meminisse potes, cum interim me diligis me colis et omni ratione ornas? Qua in re solem ipsum, quem rerum genitorem appellavere philosophi, recte 10 imitaris. Vidi saepenumero, et tu ipse non ignoras, cum solis radii coenum aliquod campumque marcescentem percussere, varios flores et suavissimas ac speciosas herbas educere, ut locus quem prius abhorrebam inspicere, oculos intentiores alliciat. Ea propter cum ingentes magnificantiae tuae gratias debeam, ne mi- 15 nimas quidem referre valeo, cum tamen tibi plurimas habeam. An non omnia tuae magnitudini debeam, qui sole inustus sudoribusque stillans tuorum mihi laborum mercedem vis esse communem? quodque mirabilius est functae vita volucres tuam de me iocundissimam atque honorificam recordationem dicunt atque te- 20 stantur. Verum igitur illud virgilianum: « omnia vincit amor », nam quae natura ipsa fecit impossibilia, fieri posse vires amoris iubent. Perge itaque ut coepisti, benignissime princeps, et me amare minime dedigneris; non dubito fore ut qui te meque diligunt aliquando dicturi sint cum honore amborum: « Guarinus 25 Leonelli ». Vale.

Ecl. X 69.

Ferrariae idibus sextilis.

---

687, 3 vel possem tanta codd. | 4 vel superaret codd. | 7 vix magis sp - ac me mem - Marc. XII 151 (vix potes = hai appena tempo) | 14 vel grates codd. | 21 vel facit codd. | fieri posint Ver.. ipsa fieri posse Vind. | 24 vel sunt cod. | verborum codd., Pez | 26 Ferrarie id. sextil. Marc. XI 80, om. rell.

## 688.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 127; Marc. lat. XI 80 f. 160<sup>v</sup>; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 144<sup>v</sup>; Vindob. 3330 f. 137<sup>v</sup>; Olmütz bibl. degli Studi 159 f. 57; pubblicata dal Pez *Thes.* VI, III 161).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Verg. *Aen.* V 50. Hodierno die quem « semper honoratum habiturus sum » tuae mihi redditae sunt litterae, quibus non gratulari non possum cum istius ingenii tam suavis tam ornati tam denique prae- 5 stantis contempler imaginem vivam et expressam. Redolent enim tuam illam amabilem morum dulcedinem, munificentiam leporem et urbanitatem, quibus etiam qui te nunquam viderunt, amant colunt praedicant; adde sensus egregios, sermonem expolitum et rei, qua de agitur, mirifice congruentem. Non adulor, mi rex et 10 vere princeps Leonelle, cum tibi magis vera dicendo quam assentando placere posse intelligam et exploratum habeam. Quam honorificum et illud non modo apud praesentes verum etiam apud posteros futurum est, cum Guarinus tuis in scriptis et nominis tui commemoratione duraturus videatur non secus ac poma quae- 15 dam odorato in aromate condiri solent. « Principibus placuisse viris non infima laus est », praesertim iis quorum non tam fortunam comitem colimus ad tempus, quam ducem virtutem admiramus eligimus amplexamur.

Horat. *Epist.*

I 17, 35.

Coturnices vero quibus me donasti tuae de me recordationis 20 testes, victoriae monumentum et pignus amoris laetis accipio complexibus. Iuvat in primis quod tam accurate ac diligenter rerum gestarum ordinem explicas atque ante oculos ponis, ut pugnam ipsam non audire sed spectare et praesens interesse videar, quo in certamine tantum ingenio et imperatoris artibus valuisti, ut hostem 25 caelo volantem, immissis ante cursoribus, insectatus sis et per equitum alas captivis potitus. Quid aliud dicam, nisi tuo imperio succubuisse naturam? Unum me mordet atque sollicitat, quod

---

688, 8 nunquam] non quasi *Ver.*, non *Vind.* | 26 vero cello *Ver.*  
(an vel caelo?) | 27 potitus] introitus *Marc.* | 27-40 quid - patina *om. Marc.*

agminis ducem, quem ortygometram appellant, per tironis impe-  
 30 ritiam ab tuis sit elapsus unguibus; ad plenum nanque triumphum optarem ut et is captivus vectaretur: opima <enim> ea decernuntur spolia, quae « duci dux detraxerit ». Magnum hoc tibi documentum esto, ut unicuique tractando negotio peritos adhibeas ministros, quando tironis aucupis errore ac imprudentia tan-  
 35 tus e fauibus bolus eruptus est. Eius delictum ut lege castrensi more maiorum multetur, captivarum coturnicum pedes et rostra in coenam ei corrodenda <ut> apponenter iudicarem. Ceterum te ipsum consolare quoniam ad tuae laudem decusque militiae non minus fusus et profligatus imperator pertinet, licet minus im-  
 40 pleatur patina. Vale fortis praeliator et hoste domito vixor ovans revertere.

Liv. IV 20.

Ferrariae XVI kalendas octobris.

### 689.

(Mare. lat. XI 80 f. 162; XII 151 f. 106; efr. Mittarelli *Biblioth. S. Mich.* 480).

Guarinus illustri Leonello marchioni Estensi <sal. pl. d.>.

Hic Iohannes Sextulanus, qui hasce tuae magnificentiae reddit, strictissima mecum familiaritate et litteraria necessitudine coniunctus est; ei enim ad studia vel dux vel comes fui. Cum  
 5 igitur ad illustrissimum genitorem communemque dominum habere aditum cupiat, fungitur enim legatione suorum, quem potius invocet quam te nescit. Eum proinde tuae magnificentiae sic commendo, ut hac ex re facile intelligat quam carum acceptumque me habeas, qua re nihil honorificentius excogitare queam:  
 10 « principibus placuisse viris non infima laus est ».

Vale mi rex et illustrissimo genitor me commenda, nisi arrogantiae nimiae petitio videatur.

Ferrariae pridie idus sextiles.

---

29 ortigometram *codd.* (= ὁρτυγομέτρων) | 30 *vel a codd.* | 31-32 vexaretur optima ea decorantur *codd.* | 40 et ovans revertere. Vale iterum *Vind.* | 42 La data è nel solo Mare.

## 690.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 106<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis illustri d. Leonello sal. pl. d.

Humanitas Iohannis Papiensis egregia, pari fidei ac prudentiae coniuncta, facit ut eum amem carissimumque habeam et suis commodis honorique supra etiam vires inserviam, cui cum per me nequeam satisfacere, tuam imploro regiam benignitatem, quae 5 Iohanni meo auxilio sit et dignitati. Id autem <eo> facilius promptiusque facere debebis, quod tuis quoque rebus postulata mea profutura sunt. Nam cum Iacobus Pasius nuper a vita discesserit, qui fisci et aerarii exactor erat, quem idoneum magis et fide et diligentia praestantiores substituere possis quam Io- 10 hannem <nec scio> nec certe video. Quod cum ita sit, tuam magnificentiam oro ut Iohannem ita commendatum habeas in hac petitione, ut preces meas magnum habuisse pondus apud tuam magnificentiam facias, ut soles; nam cum persuasum habeat Io- hannes me omnia penes te posse pro tua comitate, si forte non 15 exorabit, omnem in me culpam reiciet aut non orasse aut frigide orasse. Proinde vir magnifice tuam istam in bonos caritatem exere et Iohannem ita exaudi, ut a conspectu tuo hilaris laetus- que discedat, quod maxime principis officium est. Vale decus meum et principum splendor.

20

Suet. Tit. 8. Ferrariae III kal. septembris &lt;1434?&gt;.

## 691.

(Berna 221 f. 140<sup>v</sup>; pubblicata in I. R. Sinner *Catalog. cod. ms. bi- blioth. Bern.* I, 1760, 361; cfr. Hagen *Catal. codd. Bern.* 1875, 273).

Guarinus Bernardo suo sal. d.

Beasti me tuis litteris quas ad me nuper de Luca dedisti; nam cum nuntio de te nullo iam dudum accepto anxius essem pro mea de te cura et cogitatione, reddidisti mihi animum, qui

5 tecum erat cum ubi essem ignorarem. Bene est cum tibi bene esse audio; nec vero animum demittas velim, quia demittendum fuit studium; etenim, ut in fabulis traditum est, Phoebus aliquando Admeti pavit armenta, ut liberior iret ad superos. Te etiam ta-  
 cente exploratum habebam meas tibi laetitiae fore res, quas deus  
 10 et hic Princeps illustris mihi benigne impertit; nam mea tibi quoque communia facit amicitiae nostrae ius, et ut pro commu-  
 nicatione bonorum te ipsum praeter spem locupletiorem esse in-  
 telligas, scito me liberorum decem numero coronari. Hieronymus  
 se tibi commendat, quem horum studiorum dulcedo nonnihil at-  
 15 tingit et pro aetate satis progreditur. Ut petis, nonnihil scripto-  
 rum meorum ad te mitto, ut in manus oblatum <est>; tu velut degustationes esse ducas; si non stomachaberis aut expues, ad reliqua facies me faciliorum.

Tu vale interim et si quid habes novi, in re dico libraria,  
 20 fac me participem; nullum aliud repetundarum crimen obiciatur tibi facito, nisi librorum aut prece aut pretio captorum. Habet me. Vale iterum.

<Ferrara 1435>.

## 692.

(Laurenz. Ashburnh. 272 f. 103; Ambros. C 145 inf. f. 343v).

Guarinus Veronensis cl. v. Madio iurisconsulto sal. pl. d.

Cum te magnis in causis et arduis occupationibus versari non ignorem, tuum enim ingenium novi dudum, timere coepi ne rerum gerendarum splendor pro mea obscuritate ita me obruat ut 5 tua ex memoria ulla me deleat oblivio. Quod si obvenerit, instar mortis acceperim; ego enim tandiu vivere me arbitror quandiu

---

691, 11 vis cod. | 12 tibi] et cod. | aut habes cod. | 22 Nel Sinner segue: Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae, sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus (Verg. *Aen.* X 467-9).

692, 1 Così l' Ash. che aggiunge in rosso: Guar. Ver. civi. v. Madio de Madiis viro iurise. s. Il cod. Ambr. è anepigrafo.

Mythogr. (Mai  
Class. auct. III  
43); Ovid. A. A.  
II 239.

per immortales virtutes tuas aliorumque amicorum illustrum recordatione viresco. Proinde saepe ac multum cogitavi si quis inventi posset incantus qui me absentem tibi praesentem et longinquum propinquum et tacentem loquentem facheret. Succurre- 10 runt duces duo, qui si id legationis munus suscipere dignarentur, tuam de me sopiri recordationem minime sinerent: adeo factinibus tumultuosi, bellorum fragoribus clamosi obstrepere non desinerent. Aggressus sum homines et consilio aperto preces adhibui et quidem frustra. Nam cum te togatum virum, iustitiae 15 consultum, morum suavitate tranquillum, in civitate pacata procul a praeliorum strepitu et armorum horrore degentem renuntiante me didicerunt, nequaquam supplicanti audiebant (quid enim pisces inter arentia saxa et intra fluctus apri?) nisi vim intulisset. Utrunque igitur derepente colligans ad te pertrahendum curavi, 20 consolatus eos vel ea ratione quod lites iurgia strepitusque si non castrenses, at forenses, te causam dicente ac disceptante, audire ac spectare si**<bi>** saepius licebit. Eos itaque suscipes vel meae in te recordationis testes.

Quinam sunt? inquieris. Sylla romanus et Lysander lacedae- 25 monius. Nec vero te absterreat quod graecus hic sit posterior; nam si non eloquenter, at plane latine verba faciet. Tu vale, perpetuo memor mei.

Ferrariae V kal. maias 1436.

### 693.

(Ambros. M 44 sup. f. 263; pubblicata da me in *Giorn. stor. d. letter. ital.* XLVI, 1905, 74).

Anthonius Astensis cl. v. Guarino Veronensi s. d. p.

Exiguum placido munus cape pectore, quo te  
Donarunt muse, clare Guarine, mee;  
Quanquam qui versus tibi mittam, et gramina campis  
Et videor limphas addere velle mari.

5      Hic omnis numeris memoratur fabula paucis,  
       Quam mutata canens corpora Naso refert.  
       Inventu facilis quevis hinc fabula fiet,  
       Ni fors iudicio fallor ab ipse meo.

<Pavia> 1436. \*

### 694.

(Ambros. E 115 sup. f. 98v ; F S V 18 f. 22 ; Class. 383 f. 32v ; 117 p. 374 ;  
   Volterra 6197 f. 249 ; Bergamo A II 32 f. 54v ; Harleian 3716 f. 141 ;  
   stampata in Poggii *Opera*, Argent. 1513, 134 ; Basil. 1538, 355 ; e dal  
   Tonelli in Poggii *Epist.* II 75).

Poggius Florentinus Guarino Veronensi s. p. d.

Franciscus noster ferrariensis vir doctus ac perhumanus red-  
   didit mihi tuas litteras indices ac testes tue pristine humanitatis.  
   Recognovi tandem Guarinum meum, hoc est eum Guarinum, qui  
 5 amore erga me et benivolentia equabat omnes ... Ego quoque is  
   sum qui semper fui, hoc est tui amantissimus ... Neque enim  
   disiunctio sententiarum debet amicos disiungere, cum liceat di-  
   versa sentire salvo iure amicitie ..... Franciscus Barbarus no-  
   ster cum esset nuper Florentie suspicari se ostendit ne essem  
 10 forsan a te paulum alienior. Dixi : nihil minus .... ; pollicitus  
   sum quoque me litteras ad te daturum ; quod ne tunc facerem  
   discessus pontificis impedivit, cum plurimis antea et post impli-  
   cationibus implicarer ...

Quod mihi de uxore gratularis, facis tu quidem amice .....

15      Catonis autem divertium missum faciamus : multa ferebat  
   temporum illorum conditio, que hodie improbantur ... Veruntamen  
   ut Cicero scribit, « sponsam cuique suam placere », sic tu tuam,  
   ego meam opinionem servabo, ita tamen ut idem sensus utriusque  
   futurus sit in amicitie fide.

20      Vale et me commenda domino meo d. Leonello omni virtute  
   prestantissimo.

Bononie XVIII mai <1436>.

---

693, \* Finit 1436 cod.

694, 12 vel occupationibus codd. | 22 kal. maiis Class.. Ambr. F. S.

(Vendôme 112 f. 165).

Guarinus Veronensis Bartholomaeo Guasco viro primario  
pl. sal. d.

Cum multis aliis in rebus tum vero in hac una tuam singularem prae te fers humanitatem: quotiens istinc ad me nostrates redeunt, crebro mihi salutem nuntias egregia quadam amoris significacione et ut frequentes ad te litteras dem avidissime mones, quod sane ingentis cuiusdam benivolentiae et caritatis testimonium est; nam idecirco meas tantopere expetis, quia nescio quae de me ductus opinione et admiraris et amas. Ego vero in dandis ad te litteris et rarer et cautior sum, inexhaustis <enim> et 10 ut ita dicam immortalibus demergor occupationibus, quibus vix minima « respirandi » praestatur facultas et nullum scribendi suppeditatur otium, ad eos potissimum, quibus minus ineptus esse videar; consulte etiam taceo et diuturn<i>us ago silentium, ad te praecepsim qui pro acuto ingenio et suavissimo gustu nil nisi 15 delicate conditum suaviterque sapidum dignaris ac libas, sicuti quos Terentiano more « quotidianarum taedet harum formarum » solempne ac eximium quippiam efflagitant. Raritate igitur non dispicebo, quoniam ipsa copia rancidulas fastidires escas; quod si non abhorrens ea scripta futurus es « quae in buccam venerint », 20 nonnunquam litteras expectare licebit et quidem breviusculas vereque laconicas. Accedit quod in negotiis magnificis et amplissimis belli pacisque rebus versatus et consuetus, reliqua vulgaria ducis omnia, ut qui vasis aureis regias capessere <solitus> daptes, famescere et longa ducere jejunia malit, quam lign<e>o 25 potare craterem. Et ne maioribus te intentum negotiis hisce nugis detineam, finis esto. Vale et me vel tacentem ama.

&lt;Ferrara 1436 ?&gt;

---

695, 11 vix] vel cod. | 13 ea cod. | 19 quoniam] quem cod. | 26  
nugis] magis cod. | 28 Die etc. cod.

## 696.

(Laurenz. Ashburnh. 278 f. 104).

Guarinus Hieronymo Guarino sal. pl. d.

Primum quidem nostros omnes bene valere scito : cum dico nostros, non solum domesticos sed etiam omnes ex Pendalia domo intelligo ; ita sunt nobis amore et beneficentia coniuncti, ut 5 nostri sint benefactores et adiutores. Gratulor deinde vos ambos filios meos, alterum adoptione alterum creatione, recte habere et incolumes esse ; itaque pergratum fecisti, Hieronyme carissime, qui vestrum iter ad unguem descriptsisti. Vidi omnia quae in sceda scripseras numeranda, sed in adventu litterarum Leoninus 10 noster iter ingressus erat ; verum de bononinis XVII et de reliquis non dubitandum est : eum Veronae inveniemus et coram cuncta exponemus. Gaudeo virum insignem Geminianum Co<n> stabilem tantam de me curam suscepisse, ut meum incuset iter, quod caritatis est signum, et laus est non parva talibus placere 15 viris et amari. Sed, sententia multorum, non tantum est malum quantum fama loquitur, quae, ut inquit Virgilius, « tam pravifictique tenax quam nuntia veri ». Seis hoc esse in populis, ut nullo auctore malorum quae finxere timeant ; tamen ne reliquis videar esse prudentior me paro ad iter. Navem conduco, quam 20 cum paravero te advenire faciam ut sis noster comes. Curabo et cum viro insigni Bar<tholomaeo> Pendalia ut possim Nicolaum meum ducere, ut videat et agrum nostrum et portum illum tutum nobiscum habeat. Oro moneo et iubeo ut sanitati vestrae consulatis, fructus arboreos fugiatis ut venenum et sudorem devitetis. 25 Libros omnes Nicolai retinebimus qui hic sunt. Valete ambo et gaudete.

Aen. IV 188.

Ex Ferraria III septembbris <1436>.

## 697.

(Ambros. C 145 inf. f. 338<sup>v</sup>; Laur. Ashburnh. 272 f. 18<sup>v</sup>; pubblicata da me in Geigers *Vierteljahrsschrift* I 112 e dall'Abel in Isotae Nogarolae *Opera* I 55).

Guarinus Veronensis cl. v. Iacobo Foscaro sal.

Dies hic mihi profecto festivus et solemnii memoria celebrandus illuxit, illustris Iacobus, quo tua mihi allata sunt munera, omni commendationis genere in caelum extollenda, seu donum ipsum seu donatorem contemplari. Nam ut a te prius incipiam,  
Verg. Ecl. 1 25. 5 quaenam abs te laudationis partes absunt? Vis patriam? ea est fortuna virtute dignitate, rerum gestarum gloria, maris terrarumque regina, « quae tantum alias inter caput extulit urbes, quantum lenta solent inter viburna cupressi », ut poeta pastor ait. Vis prosapiae auctores? hi amplissima in civitate magni et in ordine 10 patricio clarissimi semper habiti sunt. Vis patrem? is ea sapientia, magnitudine animi, maximarum rerum urbanarum atque externarum usu praeclarisque aliis virtutibus pollet, ut non modo sua in urbe principatum mereat et obtineat, verum etiam ubicunque terrarum fuisse, facile princeps maiorque futurus extiterit. Quid 15 de te ipso denique dicam? in quo quidem adulescente ea extat indoles, ea effigies et certe senilis, ut vel tacitus unumquenque tuam in caritatem et venerationem incendas et alicias. Verborum dulcedo, morum gravitas, consuetudinis lepos quem ad tui contemplationem non adducit? Has ad tantas vel animi vel ingenii 20 dotes adde litterarum amorem, bonarum artium studia insignemque disciplinam, quos in praesentia fructus paris, quos in posterum polliceris, ita ut praeclarum nescio quid ac singulare iam nunc incipias expectandum efferre. Videre videor ut patri laudi, civitati commodo, tibi gloriae operam navas, ita ut quantum te 25 filio genitor, tantum genitore filius glorieris; sic Thelamon et

---

697, 1 Il cod. Ambros. è anepigrafo; Guarinus Veronensis nobilis viro Iacobo Foscaro filio serenissimi ducis Venetiarum *Ash.* | cl.] civis *Ash.* | 4 omnis *codd.* | 8 extullit *Ash.*, extollit *Ambr.* | 14 optineat *codd.*

Ajax, sic Peleus et Achilles, sic Aeneas et Ascanius, sic Caesar et Octavianus inter se certamen de praestantia suscepere, quam ad rem id non mediocre nactus es adiumentum, quod de Scipionis Africani filio a Cicerone dictum est, « quod ad praestantissimam animi magnitudinem doctrina uberior accesserat ». Tali 30 igitur donatore parumne laetari mihi licet, cum tibi tantopere carum me, gratum acceptumque esse decantabitur, quantopere tua suavis et humanitate reserta testatur epistula? Hoc enim 35 iam celari non potest. Quid mihi magnificentius in vita contigisse poterit, praesertim cum vos magni et magnifici viri pro iudicii subtilitate et rerum excelsarum appetitione nil vile abiecum aut vulgare soleatis amplecti?

Quid de dono ipso praedicem? de quo cum plura dixero, 40 plura dicenda restabunt. Quid, cum scripta ipsa perlegas, aut apta verborum constructione concinnius aut ipsa puritate et luciditate elegantius aut sermonis proprietate consuetudineque latinius? Crebrae sententiae, rerum varietas, antiquitatis notitia et quod Horatius vehementer probat « pes semper et caput uni red- 45 dunt<ur> formae ». Quibus ex rebus id legendo conflatur quod de Nestore dixit Homerus et Tullius meminit: « cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio »; quodque praecipua admiratione prosequor, tanta est in utriusque dictione paritas, tanta stili similitudo, tanta scribendi germanitas et quidem utrobique magnifica, ut si Zinebrae nomen auferas et Isotae, non facile utri utram 50 anteponas indicare queas, adeo ut « qui utramvis norit, ambas noverit »: ita sunt non modo creatione et sanguinis nobilitate sorores, sed etiam stilo atque facundia.

O civitatis, immo et aetatis nostrae decus! O « rara avis in 55 terris nigroque simillima cygno! » Si superiora saecula hasce probandas creassent virginis, quantis versibus decantatae, quantas, modo non malignis scriptoribus, laudes assecutae immortalitati traditae fuissent. Penelopen quia optime texuit, Aragnen quia tenuissima fila deduxit, Camillam et Penthesileam quia bel- 60 latrices erant, poetarum carminibus consecratas cernimus; has tam pudicas, tam generosas, tam eruditas, tam eloquentes non

de sen. 25.

A. P. 8-9.

IL 1 249; de  
sen. 31.Ter. And. prol.  
10.Juvenal. VI  
165.

30 Africani *codd.* | 32 liceat *Ambr.* | 36 poterat *Ambr.* | 14 aperta *Ambr.* | dilucidate *codd.* | 51 ut *om. Ash.* | 59 Panthas - *codd.*

coherent, in astra laudibus non evherent, non ab oblivionis mortibus quavis ratione vendicarent et sempiterno donarent aevo? Solent nonnulli, docti sane homines, conterranei mei in collaudatione Veronensis agri conficiunda fruges optimas, poma saporis 65 egregii, eximios vini et olivi liquores, piscationes venationes aequitia, laeta pabula, colles aprieos ceteraque praedicare; quae tamen multis urbibus communia sunt; tam insignes adulescentulas, peculiare nostrae civitatis insigne. Hesp~~<er>~~idum malis etiam atque etiam pretiosius cur taceant ignoro. Quid facturi estis, nobiles 70 urbis nostrae iuvenes? otium bonum couteri ac tempus elabi socioria patiemini? animos vestros et vitam non harum saltem exemplo exornabitis? nam vulgare illud in vos convicium reformidabitis: « vos etenim iuvenes animum geritis muliebrem, illaque virgo viri? »

Cic. de off. I  
61.

75

Ovid Met. II  
29.

Plura me dicere vindemiae clamor obstrepentis haud sinit, « instat et autumnus calcatis sordidus avis ». Ad te igitur vale-dictura convertatur oratio, vir magnifice: tibi gratias quantas meus capere valet animus et ago et habeo pro eo munere, quod cum se ipso tum muneris auctore tam praeclarum tam acceptum 80 tam honorificum mihi factum est, pro cuius quidem meritis me tibi totum trado atque commendo: tu me pro tuo ntere arbitratu.

Ex Valle Pollicella nonis octobris 1436.

## 698.

(Laur. Ashburnh. 272 f. 102: Ambros. C 145 inf. f. 342v: pubblicata dal P' Abel in Isotae Nogarolae *Opera* I 61).

Guarinus Veronensis ill. principi d. Leonello Estensi sal. pl.

Superioribus diebus, princeps illustrissime, cum e Ferraria dulcissima mihi nutrice immo vero per adoptionem patria coactus abirem communique errore trahebar, magna me afficiebat aegritudo quia tot a familiaribus et amicis distrahi me summa cum 5

61 pudicas] preditas Ambr. | 62 evherent] mirarentur codd. | 83 nonas octobres 1438 cod.l. | Per Guarinum Veronensem etc. add. Ambr.

698, 4 terrore Ambr.

molestia cernebam. Accedebat ad sollicitudinis meae cumulum quod per morbi suspicionem tandiu tui mihi carendum erat, cuius aspectus atque praesentia omnis mihi laetitiae ac voluptatis loco est: tantum pollet tuae sermocinationis iocunditas, morum 10 elegantia, vitae integritas, prudentia equitas liberalitas ceteraeque virtutes regiae, quas qui non laudat et admiratur magis invidus aut malignus habendus est quam qui probat et praedicat assen-tator. Ceterum eam discedendi acerbitatem una consolatio lenie-bat, quod tua cum venia patriam me petere intelligebam, cuius 15 spectaculum omnem abstergeret animi molestiam. Longe vero secus ac putaram evenit, siquidem cum hic novae familiaritates ineunda sint, ad recentiores idest Ferrarienses animus flectitur; magna nanque consuetudinis vis est, ut nosti, vir magnifice. Ad te inprimis tota recordatione convertor, ad te respicio, de te co-20 gito, in te me ipsum oblecto, in te proinde ac iocundissimo di-versorio acquiesco; tu mihi pater tu patronus tu patria, quam ob rem ut quasi praesens tibi coniungar ad litterarum opem con-fugio, quarum officio cum absentem absens audies ac videbis, non longinquus omnino ab tua magnificentia videbor esse; et, 25 quod maximum est, si forte per tantum locorum tractum et hoc temporis intervallum me ab tua mente deletura esset oblivio, me tuo ex animo dilabi haec qualiscunque non sinat epistula.

Verum enimvero cum tuam ad praesentiam sola profici sci vereatur, aliquos agri nostri fructus quasi comites adiungere con-30 stituo: sic enim et deorum templa refertis solent adire manibus. Quinam igitur hi fructus erunt? num uvae, num fici, quas fruc-tuum reginas esse Graeciae proverbia decantant? num tubera, num eximii cuiusdam saporis poma? Minime sane, sunt nanque corruptioni prorsus obnoxia et soli palato iocunda; at alterius 35 generis, admiranda quidem et hac aetate perrara, quae aures pa-scant animosque delectent. Sunt nanque ingenii fructus et studio-rum, quos e duabus nostrae civitatis virginibus pullulantes col-legi, collectos ad tuam magnificentiam misi. Videbis germanas duas epistulas ab duabus generosa stirpe creatis sororibus editas, 40 in quibus de studiis et disciplina periculum feci: mirifice pro-

---

6 accedat codd. | 7 vel pro m - suspicione Ambr. | 27 sinit Ambr.  
| 40 fecere? Ma forse qui sono cadute alcune parole.

61. *Cic. de off. I.*

fecto intelligunt et varios auctores tenent, textus interpretantur: huius memoranda novitatis participem te ac non ignarum esse volui. Quid dicent quidve facient adulescentuli aetatis nostrae qui per socordiam tempus terunt nec ullam per industriam sua exornant ingenia? num merito illud audient: « vos etenim iuvenes 45 animum geritis muliebrem, illa virgo viri? »

Vale mi rex salutique tuae, quae et nostra est, consulas diligenter oro. Illustri genitori tuo et domino meo singulari me humiliter commenda.

Ex Valle Pollicella V idus octobris 1436.

### 699.

(Laur. Ashburnh. 272 f. 103; Ambros. C 145 inf. f. 344).

Leonellus Guarino s. p.

Etsi saepenumero, vir clarissime, proposueram meas ad te litteras dare quibus sane intelligeres quis status et quae vivendi norma te absente nobis fuerit, tamen innatus quidam, ut sic dicam, suburbanus erga te pudor manum, quae iam ad calatum 5 advolarat, ab incepto deterruit. Verebar nanque ne per longa studiorum intervalla in aliquas difficultates inciderem, quibus magis magisque ineptias meas declararem. Huc accedebat quod post nostrum e Ferraria discessum variis incertisque sedibus agitati immortalibusque occupationibus et curis conflictati, vix unius 10 diei domicilium certum tenuimus. Sed cum gerendum tibi morem censerem idque mei officii esse intelligerem, statui cum primum certum idoneumque locum nactus essem, omni rejecto pudore litteris meis qualescumque essent te praevenire. Sed secus ac putaram evenit: ecce me litteris tuis praevenisti, quae pridie nonas 15 novembris mihi redditae sunt, tardiuscule quidem a die quo abs te datae sunt; quod ut reor aut nuntii ignavia aut assidua locorum mutatione contigit. Enimvero hae adeo gratae adeo iocundae

---

41-42 textus huius interpretantem *Ambr.* | 50 idibus *codd.*

699, 5 *suburbanus*: voleva dire *subrusticus*.

mihi fuere, adeo in earum aspectu oblectatus sum, ut in his lec-  
 20 titandis illud deorum nectar desumpsisse videar; tanta est ver-  
 borum elegantia, stili gravitas, dicendi suavitas et copia. Qtibus  
 ex rebus te non solum in hac temporali vita, quae nulla est,  
 inter felices numerandum esse arbitror, verum etiam post de-  
 functum corpus cum ad reddendam villificationis nostrae rationem  
 25 ad tremendum iudicium accesserimus, si iuste operatus eris al-  
 tiorem sublimioremque locum tibi vendicaturum quis ibit infitias?  
 Plura hoc loco mihi dicenda essent, quae lubens praetermitto ne  
 qui existiment me, qui tui mirum in modum affectus sum, ma-  
 gis quadam amoris exuberantia quam animi sententia haec de-  
 30 te proferre.

Sed ad suavissimam epistulam tuam redeamus. Video te,  
 vir praestantissime, non mediocri affici aegritudine cum a tot  
 talibusque familiaribus et amicis propter morbi suspicionem di-  
 distractus sis; et recte sane. Quid enim gravius aut molestius ho-  
 35 mini accidere potest, quam illis carere quibuscum diu amice ob-  
 versatus sit quorumque fidem benivolentiam caritatem perspectam  
 habet? Sed cum permultae hac in re incumbant iacturae, tum  
 illud maxime evenire solet quod amicitiae, quarum antea iacta  
 sunt fundamenta, propter diutinam amicorum distractionem ad  
 40 nihilum rediguntur et rubigine quadam ut ita dicam teruntur.  
 Qua ex re si forte contingat ut ab amicis urgente necessitate  
 seiungamur, summa cura studio diligentia enitendum est ut  
 mutuis litteris absentes tanquam praesentes loquamur, quibus  
 <amicitia> conservatur tenetur augetur. Tuam igitur, suavissime  
 45 praeceptor, ut in ceteris soles, diligentiam non probare non pos-  
 sum; tum quia amicorum officio, ut par est, tum vero desiderio  
 meo, quod sane litterarum tuarum maximam capit voluptatem,  
 probe satisfecisti. De his satis.

Nam quid de fructibus abs te perceptis dicam? Non po-  
 50 tuisses, vir insignis, hac tempestate me cumulationi munere et  
 eximii saporis fructibus donare; mirum sane nescio quem redol-  
 ent saporem adeo ut in eorum degustatione summam voluptatem  
 pariter et suavitatem ceperim. Nam cum ceteri fructus malos in-  
 generent humores et soli gulae delinimento inserviant nec ad

---

28 *tai*: voleva dire *tibi*.

durabilitatem, hi quibus nuper me donasti hominem reddunt sa- 55  
 luberrimum, animos depascunt et ad perpetuitatem sunt non  
 solum nobis sed posteris profuturi. Hos igitur ingenii et studio-  
 rum fructus quos e duabus tuae civitatis virginibus collegisti col-  
 lectosque ad me misisti non admirari non possum et summis  
 prosequi laudibus eoque magis quod abs te, qui huiusce rei non 60  
 negligendus testis es, mirum in modum probantur extollunturque.  
 Mea quidem inbecilli sententia suopte ingenio magnum quen-  
 que effingere videntur oratorem. Quid porro de ornatu dicam? 65  
 Tacebo gravissimas sententias et exemplorum copiam, quorum  
 adeo refertae sunt ut quam plures, hui quid dixi? immo <om-  
 nes> auctores familiares habere videantur. Illud equidem non  
 parvi facio quod id mulierum genus etsi antea perrarum fuit,  
 hoc tamen tempore perrarissimum esse consuevit.

Reliquum est ut de fructibus abs te acceptis gratias tibi a-  
 gam habeamque et quidem ingentes. Nam te etiam atque etiam 70  
 rogo obsecroque ut operam des similibus me persaepe fructibus  
 donare et si non aliunde habes, ex tuis saltem, quibus nihil  
 mihi antiquius esse potest, me abundantem reddas velim. Multas  
 profecto ineptias et verborum inconcinnitatem in hac mea offendes 75  
 epistula, pro quibus nullam aliam tibi excusationem addu-  
 cam nisi quod in sollemnibus vesperis sancti Martini et inter  
 ipsa bacchanalia perfectam esse constat. Vale et me ut soles ama.

Ex agro Coparii III non. novembris 1436.

## 700.

(Laur. Ashburnh. 272 f. 105; Ambros. C 145 inf. f. 345<sup>v</sup>; Ferrar. 107  
 NA 4 f. 3<sup>v</sup> impudentemente interpolato).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
 sal. pl. <d.>.

Quam inter bacchanalia perfectam, ioco fortasse, dicis epi-  
 stulam, vir illustris, tanta iocunditate ac laetitia festivus accepi ut,  
 te etiam tacente, e bacchanalibus ortam liceat augurari; non ea 5

---

78 *non.*: voleva dire *idus*, perchè S. Martino cade il giorno 11 di novembre. Su S. Martino vedi 551. 24.

dixerim ratione qua indoctum vulgus existimat, cui ingurgitando  
 mero cura et « animus iam dudum est in patinis », unde furor <sup>Ter. Eun. IV</sup>  
<sup>7, 16.</sup> exoritur caedesque saevissimae, quam ob causam cum cornibus  
 Bacchum pingebat antiquitas ; verum enimvero e bacchanalibus  
 10 oriundam interpretor epistulam ipsam, quia Liberum patrem se-  
 curitatis iocorumque parentem coluere maiores vel teste Virgilio :  
 « adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno ». Hesiodus quoque  
 poeta vetustissimus « multum laetifici vocitavit munera Bacchi »;  
 adde quod praeclari quoque vates in operibus incohantibus Bacchi  
 15 numen invocare solent, quoniam abundantiae deum praefecerunt,  
 ut faciliores ac feliciores versus et scribendi copiam suppeditaret.  
 Quas ob res cum et laetitiam lepidissimam secum attulerit epi-  
 stula copiamque, concinne dictum abs te probo litteras tuas e  
 bacchanalibus natas adventasse. Quid enim copiosius aut hilarius  
 20 dici potest cum et fructu redundant et floribus, gravitatem pree-  
 se ferant atque facetias, ornatu vero tanto resplendeant ut non  
 minus verbis sententiae quam sententiis verba respondeant ? Quid  
 ordinem ipsum collaudem formosamque locorum dispositionem,  
 quae sic lectores omnes allectat, pluribus enim tua pro gloria  
 25 illas ostendi, ut quantum reliquus ornatus tantum et colloca-  
 ipsa partium speciosa delectet. Quod in praeclaris et artificiosis  
 contingit aedificiis ; iuvat enim congruentes spectare fornices,  
 positas in quincuncem uno quasi filo columnas, directo<s> vel  
 in longum vel in sublime parietes, ridentia subinde cubicula,  
 30 quae, non minus quam marmoris candor auri fulgor colorum va-  
 rietas, contemplantis oblectant. Nec vereor tuis de scriptis has  
 proferre laudes, cum amoris testes tum veritatis iudices uno om-  
 nium ore decantatas. Quod vero te conantem litteris me pree-  
 nire, vir illustris, ipse preeverierim, aequo patiaris animo quaeso,  
 35 ut cum tantis tamque magnificis naturae virtutis dotibus  
 me superes, ego te hac in parte exigua sane superem : preeser-  
 tim cum tua facta et quidem ingentia praedicentur, mea vero  
 verba parva profecto vix humo sese tollant mihi plus quam  
 velim otii suppetat, te autem sexcenta negotia distrahant, eibi  
 40 somnique tempus suffurantia. Illud, vir magnanime, nullo patiare  
 pacto hortor et suadeo, quod tamen facis vel spouste tua, te cuius-  
 quam amore vinci, cum nihil facilius esse intelligas « quam eos  
 redamare a quibus ad amandum provoceris ».

Cic. ad Br. VI  
 (1) 1.

A. 1731.

62. 611.

Quod vero mea qualiacunque scripta tibi grata et iocunda  
 Verg. Aen. IV 100. fuere, « habeo tota quod mente petebam ». Gaudeo siquid tibi feci 45  
 Ter. And. I 1, aut facio quod placeat et « id gratum fuisse aduersum te habeo  
 85. gratiam »; hoc ipsum dies noctesque cogito, hoc somno ac vi-  
 giliis meditor, hoc loquens hoc tacitus tecum verso, ut tibi mo-  
 rem geram tuoque isti generoso sim complacitus animo: adeo de  
 me optime meritus es, laudi meae honori commodis semper in- 50  
 serviens. Nec quisquam expectet ut mea, quae tibi tantopere  
 placuisse dicis, improbem et rustica vel inulta esse contendam,  
 ne simul et amoris causam ipse diminuam et tuo subtili dero-  
 gasse iudicio videar. Ceterum quando meas ita nugas appetis,  
 scribere pergam teque quoad silentium imperabis litteris obtun- 55  
 dam eoque id libentius faciam quo maior scribendi merces et  
 praestantiora constituta sunt praemia. Nam ut vere ac sapienter  
 a litterarum officio amicitia servatur tenetur augetur; quae spes  
 atque fiducia facit ut longinquus tibi propinquus sim et prospec-  
 tui longe summotus cordi tamen iugiter affixus fiam. Qui cum sit 60  
 fructus amplissimus, omni pretiosior auro divitiis atque opibus,  
 quis litteras non amet colat veneretur admiretur et super astra  
 laudibus <tollat>?

Subinde cum agelli nostri fructus avere te pro tuo in studia  
 bonarum artium et eruditionis amore videam, quando nullos ex 65  
 meis mittere liceat, sum enim zonae torrentis harena sterilior,  
 ex alienis mutuabor hortulis quod eleganti sapore degustandum  
 accipias; nec dubito quod prioribus haec inferiora minime iudi-  
 cabis, quae ex eadem officina deprompta conspicies, bonam in  
 eis pro tuo iure partem possidens. Reliquum est, princeps illu- 70  
 strissime, ut de civitatis statu me certiorem reddas declaresque  
 quod ad tempus redeundum esse censeas. Id enim certissimum,  
 ut Apollinis oraculum, putabo quod ex te cognoro; pendeo nan-  
 que ut qui in portu commorantes primo secundi flatus exortu-  
 datis velis enavigent; sum velut inquilinus in hospitio, in pa- 75  
 triam, cum iusseris, remeaturus ut tuo sub patrocinio laetos et  
 felices ducam annos. Vale mi rex amantissime et illustri genitori  
 me commenda.

Ex Verona III non. decembris 1436.

## 701.

(Ambros. C 145 inf. f. 347<sup>v</sup>; Laur. Ashburnh. 272 f. 106<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Bartholomaeo Placen<tino sal. pl. d.>.

Non mediocrem mihi dubitationem iniecisti, Bar<tholomaeo>  
carissime, pro eo codice quo me hoc natalicio die donasti, tibine  
gratias dicam an potius sileam. Nam pro dono tam liberali tam  
5 egregio tam denique sancto verbis gratias persolvere velle cum  
iniquum est tum insipiens, quando res ipsae verbis plurimum  
praestent, contraque iubemur in reddendis officiis « agros imitari  
fertiles qui multo plus reddunt quam acceperunt ». Subinde in-  
grati hominis visum est, cum pro re tanta magna tibi debeat  
10 praemia, non verbis saltem grates dicere et vel gratae mentis  
significationem edere. Evandrum mirifice gloriatum cantat anti-  
quitas quod Aeneam parvulo quodam tempore hospitem suum  
viderit, cuius praesentia cum alias molestias tum Pallantis filii  
Evandro importavit interitum. Ego qua gloria efferar qui non  
15 inferiores Aenea viros Paulum, Malchum, Hilarionem et cum eis  
Hieronymum non solum hospites sed etiam convivas, perpetuos  
comites ac praeceptrores tua opera liberalitate beneficio iuri meo  
vendicavi, quorum praesentia cum immensam cum honore laeti-  
tiam, tum vero immortalitatem certamque bene beateque vivendi  
20 normam ac rationem pariat. Quid ipsius venerandae vetustatis  
speciem dicam? cuius vel sola contemplatio pietatem observan-  
tiam ingenerat et admirationem; et quasi sanctas conspicatus re-  
liquias pronus in ora devolvor et eorum exosculans « vestigia  
laetus adoro ». Hisce pro meritis cum dignas persolvere gratias et  
25 praemia reddere debita nequeam, tantas tamen habeo quantas  
capere magnus possit animus; ob quarum arrabonem me ac meis  
pro tuo utitor arbitratu. Vale.

Verg. Aen. VIII  
463.

Hieronym. O.  
(Pär. 1706, IV, li  
68-96).

Stat. Theb. XII  
817.

Ex Verona XXV decembris 1436.

---

701, 9 visumm *codd.* | 15 hilariorem (illariorem) *codd.* | 19 ac beate  
*Ambros.* | 20 venerandam *Ambros.* | 28 XX dec. *Ambros.*, die vigesimo  
septimo mensis decembris *Ashb.*

(Balliol 135 f. 130).

Guarinus Veronensis domino Scipioni Mainenti dignissimo episcopo Mutinensi s.

*ad fam. II 7, 1.* « Sera gratulatio, ut inquit Cicero, reprehendi non solet », praesertim si nulla negligentia praetermissa sit. Cum me diutius rei domesticae cura et necessitas ruri continuerit, factum est ut 5 perraros de amicis nuntios acciperem, itaque tuis de rebus nihil sentiscerem. Proxime autem in urbem remeanti felix et faustus oblatus est de te nuntius adeo ut interclusam multorum dierum laetitiam hora una suppleverit. Audio nanque constante fama Mutinensem episcopatum beatissimi pontificis gratia et iudicio tibi 10 multis competitoribus posthabitum delatum esse. Hoc tam eximium tamque illustre tibi facinus contigit, ut Scipioni te Nasicae preferri oportere contendam, qui ad suscipiendam nescio quam deorum matrem vir ceterorum optimus iudicatus est. Ille mali daemonis hospes factus est, tu dei veri, ille ab ignaris et idolorum 15 cultoribus delectus, tu ab Iesu Christi vicario, ille ad animarum perniciem, tu ad corporis animaeque salutem tutor creatus es. Qua in re cum magnum tibi decus adiungatur, non minus in ipsum sane pontificem redundare ausim dicere. Quid enim evidenter sua de sanctitate documentum edere possimus, quam quod 20 bonis doctisque viris honores et ecclesiae dignitates conferat ? qui quantum laudis in suscipiendis accipient praevalutibus, tantum in gerendis restituant et honestati invicem honestent.

Eece ne longe abieris quid tibi deest quod in optimo esse debeat episcopo ? Volumus vitam ? tanta in te bene beateque vivendi laus annis abusque teneris enituit, ut per omnes vitae partes exemplar extiteris et honestatis norma spectantibus : sobrius castus modestus continens, munditiarum parens, ita ut ornatus habitu, spectatus incessu, victu nitidus, cultu hilaris, sermone po-

---

702, 7 Non tanto sarà da pensare al *sentiscere* di Lucrezio (III 393; IV 584), quanto al *persentiscere* di Terenzio (*Heaut.* IV 5, 21; V 1, 43) | 12 preferre *cod.* | 13 qui] *qua cod.*

30 litus et esses et videreris ; non minus in ioco gravis quam in  
 gravitate iocosus noscereris. Quid de liberalitate dicam ? qui  
 longe magis amicorum et honestorum hominum quam tui ipsius  
 gratia divitias habuisse cognitus es, divitemque te non multa  
 possessio sed tuarum rerum distributio fecit. Quae morum dexte-  
 ritas ? qua probos doctos ingenio conspicuos vel pares vel infe-  
 riores ut maiores et aetate antecellentes colebas diligebas vere-  
 baris, colis diligis et vereris. Haec ipsa me non audisse sed vi-  
 disse, non plerunque sed quottidie pro nostra consuetudine ac  
 familiaritate dico, quibus de virtutibus per omnia Italiae gym-  
 40 nasia quae discendo peragrasti laudabile fecisti periculum. De  
 vita quidem haec aliaque complura, quae ad alios quam ad te in  
 faciem libentior dixerim. Quid de doctrina et bonarum artium  
 studiis, iure pontificio et civili, sacrarum litterarum cognitione,  
 antiquitatis veneratione et caritate ? quae id in te effecit ut alio  
 45 quasi natus saeculo nostram in aetatem resurrexisse videare. Eum  
 studiorum tuorum fructum semper agnovi, ut quod in claris viris  
 legendo probares, imitareris, quod improbares, abominareris, ut  
 cum doctus, *< tum >* bonus in primis esses. Quibus ex rebus cui  
 dubium esse potest, quin re ipsa dudum esses episcopus, cuius  
 50 nunc denique nomen assecutus es ? Felicem itaque gregem tam  
 bono tam perito tam eximio pastori commendatum ; cui tuo ductu  
 et auspicio aetas illucescit aurea. Ei pro mea in populum Muti-  
 nensem caritate atque cognatione gratulor ; ut enim te latere ar-  
 bitror, maiores mei et sanguinis auctores ea ex civitate originem  
 55 duxera. Tibi quoque pro mea in te fide pietate amicitia gaudeo,  
 quonia[m] campum tibi paratum video, ubi ingenium virtus sa-  
 pientia tua decurrat iustitiaeque ac religionis coronam gloriamque  
 reportans dignum te maioribus tuis et clarissimo viro parente  
 tuo demonstres, ut acceptam ab illis lucem in splendorem con-  
 60 versam longe lateque dissemine *< s. >*

*< Ferrara gennaio 1437 >.*

---

52 ei] et cod. | 53 cognitione cod.

## 703.

(Pubblicata dall' Abel in Isotae Nogarolae *Opera* I 65; ai codici ivi segnati aggiungi: Arundel 138 f. 119<sup>v</sup>; Novar. Capitol. 122 f. 180<sup>v</sup>; Vatic. 373 f. 148 fino alle parole « extollit antiquitas quales fuerunt »; 5127 f. 1; Palat. 1592 f. 89<sup>v</sup> ).

Isota Nogarola doctissimo viro Guarino Veronensi s. p. d.

Verebar antea, Guarine, vir insignis, ad te scribere, quoniam non par arbitrabar me tironem litterarum ad te oratorum principem litteras dare. Nunc orta est occasio ut tui plus apud me valeat auctoritas quam pudor, quando tua laudatione permota, 5 quam virtutis meae praemium, si qua est, esse duco, non potui non ingentes tibi agere gratias, quanquam quascunque ego tibi rettulero, pro tuis in me meritis parum cumulate egisse videbor. Tantis me laudibus dignam censuisti et singulari tua humanitate tot ornamenti me cumulasti, ut ignorem que tibi que digna tui 10 pro laudibus istis premia posse rear solvi..... Admonet me quoque res ut hoc in loco absentiam tui deplorem.... Quis deus o cives, que vos dementia adegit, ut hunc virum tanquam divinum munus ex alto domicilio ad nos demissum cum quadam veneratione non retineatis ac eum ut equum est summo honore 15 non colatis? Legimus enim, ut te auctore utar, non paucos mortales tam longis terrarum marisque tractibus pascendorum oculorum auriumque et animorum gratia ad Olympia venisse, omnis voluptatis oblitos Platonem adiisse, Platonem intueri, in Platone perinde ac in amenissimo diversorio conquievisse.... 20

Patere, Guarine vir clarissime, in tuas laudes me longius evehi.....

Ego autem tuo testimonio vel litterarum tuarum iam immortalitatem adepta sum videoque videre me iam debere omnium iudicium ac de me existimationem minime curare.... 25

Quanti enim estimandus es! Nonne Italia laudibus quasi tue discipline alumna floret? non tu dicendi artem, non litteras grecas ad nostrates adduxisti?.....

Omnes enim Ferrariam felicissimam appellant eamque merito suo laudibus in celum extollunt, quam Guarinum Veronensem 30

gremio excepisse non piguit. Nonne si Ferrariam contemplari volumus, eam tanquam Platonis Achademiam esse dicemus? Omnes te carum habent, omnes te venerantur, in te unum omnium oculi fixi sunt. Quid moror? tu unus es in cuius virtute nitatur Italia 35 victorque viros doctos superemines omnes, nec Italia ullo se tantum eloquentie iactabit alumno . . . . .

Me autem amplissime tue dignitati sapientie auctoritatique tue trado atque condono tantumque iam tibi reverentie, pater, adhibui ut te loco parentis existimem teque, venerande pater, 40 iam pectore toto accipio et quodcunque mihi honoris laudisque est ex te manasse profitebor. Vale.

<Verona primi giorni del 1437>.

#### 704.

(Pubblicata dall' Abel in Isotae Nogarolae *Opera* I 79; ai codici ivi segnati aggiungi: Vatic. 5127 f. 5; Novar. Capitol. 122 f. 177<sup>v</sup>).

Isola Nogarola doctissimo viro Guarino Veronensi s. p. d.

Sepissime mihi cogitanti mulieres quanti sint, venit in mentem queri fortunam meam, quoniam femina nata sum, que a viris re atque verbis derise sunt. Hanc enim coniectoram domi de me 5 facio, ne queram foris, qui me sic ludibrio habueris. Nam tanta erumna afficiar ut nihil supra, cum cogito te mihi equum inscribendo non prebusse. Profecto mihi presagiebat animus me frustra ad te scribere cum scribebam; verum tua humanitas ad id me pellexit, quoniam mihi veniebat in mentem dictum illud 10 Ciceronis, qui monet ut quanto nos superiores sumus, tanto nos geramus submissius. Verum edepol video tunum ingenium immutatum esse teque ab dicto illo dissentire. Gaudebam cum hanc ad te dedi; arbitrabar equidem id valde ad laudem meam pertinere, quoniam testimonio sententie tue nihil erat quod me as- 15 secutam esse non putarem. « Nunc pol merores antevortunt gaudiis », cum aliter evenire intelligam. « Usa sum te nequiore meque magis haud respectus es quam si nunquam gnata essem.

Plaut. *Capt.*  
§10; *Aul.* 231-34.

Per urbem enim irrideor, meus me ordo deridet, neutrubi habeo  
 stabile stabulum, asini me mordicus scindunt, boves me incurvant  
 cornibus ». Nam si ego hac contumelia digna eram maxime, tu 20  
 tamen indignus qui faceres. Quodnam ob factum ita abs te con-  
 temnor, Guarine pater? Heu me miseram! ut animus in spe  
 atque in timore usque antehac attentus fuit, ita postquam adempta  
 spes est lassus, cura confectus, stupet. Quod cum ita sit, te per  
 deum obsecro, si me tuis beneficiis dignam iudicas, ut huic mee 25  
 sollicitudini atque, ut verius dicam, huic meae laudi subvenias  
 neve in animum inducas tuum te haud decorum facinus tuis  
 factis facere, mihi litterarum inopi auxiliarier, quando mihi ma-  
 gnum decus addideris atque istas scelestas linguas comprimes,  
 que me « audacie columen » vocant meque in ultimas terras au- 30  
 dacie gratia asportandam. Neque quam causam eis afferam scio,  
 sed fateor peccasse et culpam commeritam esse. Id ad te oratum  
 advenio, ut facias quod meum sollicitat animum et, quod te oro,  
 efficias atque impetratum abs te auferam. Vale.

&lt;Verona primi giorni d' aprile 1437&gt;.

35

## 705.

(Pubblicata dall' Abel in Isotae Nogarolae *Opera* I 83; ai codici ivi no-  
 tati aggiungi: Novar. Capitol. 122 f. 178; Vatic. 5127 f. 6).

Guarinus Veronensis Isotae Nogarolae sal. pl. d.

Hoc vesperi tuas accepi litteras querimoniae plenas et accu-  
 sationis, quibus incertum me reddidisti tibine magis condoleam  
 an mihi ipsi gratuler. Nam cum tuum istud perspexisse viderer  
 ingenium adjunctis doctrinae ornamenti insigne, te adeo virili 5  
 animo et opinari et praedicare solebam, ut nihil accidere posset  
 quod non forti et invicto ferres pectore. Nunc autem sic demis-  
 sam abiectam et vere mulierem tete ostentas, ut nihil magnifico  
 de te sensui meo respondere te cernam: quae quia nata sis femina  
 quereris et proinde infortunatam te sentis et pae te fers, cum 10  
 contra ita te gerere debuisses, ut sexum quidem naturae, excel-  
 sum autem animum virtuti ascriberes, cuius professionem studia

ista pollicentur vel clarissimarum imitatione personarum, quas ut  
fertilissimus ager « vitae magistra » tibi germinat historia.

Cic. de or. II  
36.

15 Quid fiet si et ceteri sic tuo fecerint exemplo, ut miles ru-  
stici sortem, rusticus negotiatoris, negotiator et sutor iudicis re-  
liquique deinceps optarint, quotiens quipiam suo minime sedens  
animo continget offerri? Quod si quid a me ortum est iniuriae,  
tene plangere an me miserari aequius erat? Ipsa te conscientia  
20 et recte factorum recordatio laetam hilarem residentem magnani-  
mam constantem et in muliere virum faciat opus est, quicquid  
obveniat quo irridearis, ut dicis, et tuus te cavilletur ordo et  
asini mordicus, boves cornibus insultent. Cum enim intelligeres  
tuum in me pro litteraria inter nos necessitudine officium fecisse  
25 scriptis ad me tam suavibus tam ornatis tam laudatissimis litte-  
ris (nam sicut ex studiis arrogans esse non debes, ita bonorum  
tuorum aestimatrix non ingrata fias oportet) quid tibi obiectari  
potuit quod matronalem constantiam labefactaret? Irrisoribus illud  
Diogenis dicere potuisses: « irridetin? at ego non irrideor ».

Plut. de coh. ira  
12.

30 Quod si irrigoribus tuis omissis, Isota carissima, iniuriarum  
me postulas et ad amoris tribunal diem idecirco mihi dicis, quod  
pares non reddam in amore ac benvolentia vices, falleris. Cur  
si me amas et veneraris, ut inquis, meam apud animum tuum  
causam non recipis? Cur generosae indignationis tuae patrona  
35 pro me defensionem non suscips? et accusante ira cur pro Guar-  
rino causam, Isota, non dicis et vel silentium meliorem in partem  
non acceptas? « Guarinus, dices, domesticis extraneis, suis alienis,  
familiaribus litterariis negotiis immortalibus irretitus aut nullum  
aut perrarum scribendi tempus nactus est, cum interim docens  
40 legens audiens, tantam familiam tot liberos regat alat educet eru-  
diat; parvum quieti, minus sonno, minimum cibo tempus imper-  
tiat; quae cum sponte tum invitus facit atque fert, quia non ad  
otium sed ad negotium sese natum educatum auctum esse intel-  
ligit ». Ea si benivole, non indignanter cogitasses, me potius  
45 apud te ac irrigores tuos excusatum reddidisses, facta pro me  
adversus scyllaeos latratus apologia, cum inter tam varias quae  
vexant animum curas non carmini non scribendi rationi locus  
praestetur aut venia. Eia igitur, Isota virago constantissima, te  
ipsam revoca et iam nunc « cane receptui » mecumque adversus  
50 insultantes ultro acies inferre para et me vel duce vel commili-

Caes. B. G. VII  
47.

tone deinceps utere. Cumque te quia femina nata es verecundia tenet, Didonem feminam sane castissimam, Corneliam Gracchorum matrem, quid plura? musas denique ipsas feminas fuisse recordare, quae viros magnos divinosque poetas instruunt docent illustrant. Haud sane puduit Maronem invocantem illarum opem 55  
Aen. I 8; VII 641.  
feminarum ita cecinisse: « Musa mihi causas memora » et « Pandite nunc Helicona deae cantusque movete ». Quid illustres sanctasque feminas dicam, quas cum christiana religio puritate integritate reliquisque virtutibus colat ac celebret, earum nomini atque collegio annumerari dolebis et non ipsa gloriabere? 60

Subinde cum tuis e querelis tantam scriptorum meorum cupiditatem quasi quidam litterarum helluo detegas, non possum non magna iocunditate duci. Quis enim aut praesentium aut posterorum non eximiae mihi laudi famae decori tribuet, quod Isota, verustissima progenie ac maiorum titulis clara, pudicitia et morum probitate venerabilis, scripturarum intelligentia memorabilis, Guarini litteras tanto studio flagitet, eas ut filiolas amplectatur; earum aspectu delectetur, iis animum pascat? At enim vereor, Isota dilectissima, ne tua te fallat aviditas, quae cum ambrosiam expectes, polentam fortasse reperias tibique quod et multis eveniat, qui Romae visendae cupiditate flagrantes, sic enim urbis uenat. VII 40. « fama succenduntur », e remotissimis regionibus viarum longinquitate fatigati nil demum nisi murorum ac parietum cadavera spectant et disiectorum ruinas aedificiorum, truncas imagines conspicantur. Scio quanta sit expectationis vis; cum magna expectanti magna <non> offerantur, magna iactura opinionis impendet. « Sciebam, inquies, nil novum video; idcirco, ut a scribendo deterrear facis ». Eapropter tecum pacisci constitui. Si facunda et ornata scripta poscis, tuam alio cogitationem verte; vel Ciceronem vel Lactantium vel Maronem inquire. Si ex medio caritatis 80 sinu cupis epistulas, pietatis ac benivolentiae testes, contra stare audebo, tuis votis non modo respondere, sed etiam ea superare non timebo. Haec cum tecum perlegeris, irrigorias lacesse linguas et harum quicquid sint testimonio comprime confuta insectare, profliga et de superatis siste trophya spoliumque reporta <utque 85 prae invidia illis rumpantur ilia> te mihi et silenti et scribenti caram dilectam cultam esse convince contendere vociferare, quod  
Verg. Ecl. VII 26.

tua virtus, mores pudici, litterarum amor studiorumque communitas facit animorumque similitudo.

- 90 Vale et insignem sororem virginemque generosam Zinebram salvere a me iube. Equiti splendido d. Antonio fratri me commendamatrique feminae primariae tantundem.

Ex Ferraria III idus apriles <1437>.

## 706.

(Est. 158 f. 1).

Guarini Veronensis ad ill.<sup>um</sup> principem d. Leonellum Estensem in vitam Pelopidae et Marcelli prohemium incipit.

<Guarinus Veronensis ill.<sup>mo</sup> principi d. Leonello Estensi sal. pl. d.>.

- 5 Cogitanti mihi, Leonelle princeps, et priora illa et recentiora haec tuae in me magnificentiae merita, quibus ut quasi tuae caritatis et benvolentiae cumulum adiungeres una cum magnificen-  
tissimo genitore amplis me aedibus et civitate donasti, tot sane  
ac tanta videri solent, ut quibus invicem officiis tibi respondeam  
10 prorsus ignorem. Quae res cum mihi molesta sit, est enim grave,  
homini verecundo praesertim, gratiam referre non posse, una in  
re meam consolari molestiam poteris, si gratae mentis et memoris  
animi tibi sane deditissimi signa quaedam ac testimonia cernere  
non dedignaberis. Ea vero eius generis sunt ut et tibi placitura  
15 et hominibus nostris iocunda fore confidam, cum clarorum homi-  
num et illustrum certe principum vitas veluti specula coram pro-  
posita<s> licebit intueri, quos e Plutarcho in latinam elucu-  
bratos linguam tuoque dicatos nomini quasi munusculum emisi.  
Sic enim et splendoris plus illis continget assequi, quo tu ingenio,  
20 disciplina, bonis artibus, gloria illustrior eos nobilitaveris; tua  
siquidem industria, virtutis ardore, animi magnitudine effecisti ut  
litterae, quae intra privatorum domos quasi proscriptae per ima  
serpebant, tuo ductu atque auspicio in aulas et regum limina  
conscendant. Ceterum una duos suscipes viros insignes, Marcel-  
25 lum et Pelopidam, alterum in Romana, alterum in Thebana re

publica principes, imperatores ardentissimos et sic in eorum patris animatos, ut pro civitatum dignitate mortem oppetere non dubitarint.

Quantus autem historiarum et eorum hominum, quos prisci nobis annales signant, fructus legitur, ignotum esse debet nemini. 30 Principio quid magis ad immortalitatem et ad res ex oblivionis morsibus vendicandas valet polletque quam rerum gestarum series scriptis ad posteritatem prodita? Cuius ope hominum populorum nationum regum mores instituta consilia eventus in utramque partem proponuntur, unde virtus imitatione comparetur, cautius 35 turpitudo fugiatur. Praeterea qui privati sunt vel ipsa antiquitatis peritia, quae non parva prudentiae pars est, ad magistratus et imperia digniores evadunt. Ad haec quotiens de rebus domesticis publicisve consultandum est, quis non iuveni senioris sententiam anteponat? cuius quidem rei causa aetatis magnitudo est, qua 40 plura audire cernere intelligere contigit. Historia vero non unius solum gnara saeculi, sed plures uno aspectu referens aetates, quanto gravius quanto sapientius quanto, ut ita dicam, divinus non omni tantum iuvene verum etiam cunctis senibus consilium praestat? Quo fit ut mortales natu quidem iuvenes, prudentia et 45 rerum innumerabilium scientia longaevos efficiat; senibus autem peritiam cognitione inque magis magisque auget et amplificat, ut alio quasi nati saeculo videantur. Quod si nos amoenitatis studium tenet, quot fontes lacus fluvios maria campos colles hortos portus regias templa, historia duce, spectare datur! Postremo si 50 gloriae ut sic dicam instrumenta conferre libet, annales quamlibet imaginem statuainque praecellunt; hae siquidem corpora duntaxat, illi vero animos etiam effingunt et mores; hae mutae, illi voce sua terras implent et maria; hae paucis item in locis figi possunt, illi per universum terrarum orbem facile pervagantur dissemina- 55 rique valent.

Quae cum ita sint, ingentes historiarum scriptoribus habenda sunt gratiae, quod eorum labore tantas communi mortalium vitae utilitates pepererunt, et eo maiores quo ceterorum vivendi magistrorum scriptis *<hominum>* dicta, horum autem facta laudantur, ut vir clarissimus et philosophus optimus Manuel Chry-

soloras dictitare solitus est, cui te nepotem litteraria necessitudo coniunxit. Verum ne te Pelopidam et Marcellum alloquendi fortasse cupidum detineam, longior a me in praesentiarum nequam 65 quam sumetur oratio, si modo tuam humanitatem exoravero ut me tuo singulari ames amore.

<Ferrara aprile 1437>.

## 707.

(Vatic. 2926 f. 45<sup>v</sup>; Marc. lat. XIV 256 f. 25; Brusselle 14608-11 f. 31; Harleian 3716; Torino Lat. B 262, H III 8, f. 40<sup>v</sup>; trascrivo i pochi passi da me pubblicati in *Giorn. stor. d. letter. ital.* XVIII, 1891, 237).

Georgii Trapezuntii ad Guarini Veronensis in se invectivam responsio et Rheticorum suorum defensio.

Gum multorum sermonibus.....

Occulte ac timide sub Agasonis nomine invectus es.....

5 At cum in doctum Poggium scriberes..... Nam cum in peritissimum huius etatis et doctum hominem Poggium scriberes.....

Proinde irride tu quidem et detorque os ac labra comprime ut soles lipposque oculos tuos, antequam tenacissimis e dentibus 10 syllaba elabatur, huc atque illuc quasi rabie concitus centiens circumferas ac in singulis pronuntiandis verbis non parva temporum spatia interpone...

Biennium iam est quo pestem hinc fugiens non magis litteris quam moribus bonis preditus auditor noster Lucensis Doctorius Ferrariam venit et quoniam ita iussimus libros nostros tibi ostendit, quos quatuor tu fere mensibus tenuisti, et tamen tanta es impudentia ut, cum huius rei peritus et probus vir Odoardus Astensis gravis esse testis possit, audeas negare et ignarum te harum rerum omnium appellare.....

20 Preceptorem te meum fingis, cum ego greca a meis, latina a Victorino Feltrensi acceperim.... A quo (Victorino) cuncta que ad latinitatem pertinent hausimus..... Apud quem (Franciscum Barbarum) te monstrante, cum vix figuris latinarum lit-

terarum pernoscerem, prima didici rudimenta..... Illico cum venissem, interrogatus ab eo (Barbaro), te presente, si vellem 25 grecos codices transcribere, latinis me dare operam litteris velle dixi; cui actutum ille: et ego tibi ut discas optimam commoditatem prestabo.....

Ad hec extrusisse me fratrem arguit... Is clericorum spe illectus e Creta abiit invito patre, ut Romam iret. Venit ad me 30 priusquam Romamisset... Nonnullos codices grecos dedi ut venderet... Ferraria iter faciens venit ad Guarinum, qui minimo pretio adolescenti libros eripuit... Eodem ipso anno diem suum obiit.....

Vix duorum mensium illa tua fuit doctrina, in transcribendo 35 non in discendo me penitus occupato; si tamen doctrina sit appellanda primorum elementorum confusa cognitio. Postquam inde ad cl. physici Nicolai de Leonardis domum profectus sum, duce illo (Barbaro)..., ut domum ita doctorem mutavi; quo quidem tempore memini tibi Pindarum legenti ac a me petenti quidnam 40 aut de illo poeta aut de metris suis sentirem, biduo me de metrorum omnium genere disseruisse... Si quid latine lingue in me est, te doctore (o Victorine) post deum est.....

E Vincentia esplosum exibilatumque dicis: tua opera, qui me vicinum nolebas. Multa mihi fuerunt argumenta, que non 45 scribo vel ut brevior sim vel quoniam ad hanc urbem venire cūpienti minus acerba. Hic rursus mihi molestiam afferre per tuos non cessabas; sed unum dicam e multis. Clericinus vincentinus domum meam venit apportans secum in Theodoram, ut opinor, nescio quas laudes. Perfecta oratio est, qua nescio si quid aridius 50 atque squalidius unquam scripseris. Summis eam Clericinus efferebat laudibus...; adiecit se, si toti posset imperare Italie, iussurum nequis preter Guarinum in ea rhetorica doceret. Hec non tam me quam meos qui aderant perculerunt... Exarsi fa-  
teor.....

55

<Venezia aprile-maggio 1437>.

## 708.

(Ambros. E 115 sup. f. 134<sup>v</sup>; pubblicata in Poggii *De variet. fort.*, Paris. 1723, 278 e dal Tonelli in Poggii *Epist.* II p. 117).

Poggius p. s. d. Guarino suo viro clarissimo.

Heri cum revertissem ex Florentia vir doctissimus Aurispa noster reddidit mihi tuas litteras quas legi summa cum voluptate... Placet admodum meam intercessionem apud te tantum 5 valere, ut quos tibi commendo omni benvolentia atque officio complectaris. Oratiunculam nostram a te et Mecenate nostro probari summe letor... Mecenas noster magna me de spe quam de eo conceperam deiecit..... Qui enim aliter fieri potuit ut monstrum informe horrendum omnibus notum, cuius flagitia in vicis 10 etiam decantantur, adeo extulerit adeo in sinum ut ita dicam receperit, ut etiam optimo ac innocentissimo viro plura minime tribuissest? Doleo propter Mecenatis famam que admodum leditur apud doctos, quibus summa levitas videtur adeo prolapsum esse 15 ut que dignitas summis et egregiis viris in testimonium honoris tradatur, eam hic levissimo ac impurissimo histrioni in signum turpitudinis in notam ac maculam equestris ordinis concesserit. Atqui errat Mecenas si laudes plebecule hac ratione aucupatur... Dii boni! adeo se oblitus est homo noster ut etiam ingentia dona, 20 annua premia, uti ille gloriatur litteris, largiatur? Tuum est Guarine monere illum ut se retrahat...

Bononie die V iulii <1437>.

## 709.

(Class. 117 p. 376; Ambros. E 115 sup. f. 125<sup>v</sup>; E 124 sup. f. 58; pubblicata in Poggii *De varietate fortunae*, Paris. 1723, 274 e dal Tonelli in Poggii *Epist.* II p. 114).

Poggius p. s. d. Guarino Veronensi v. cl.

Laurentius de Prato, prestantissimus atque humanissimus inter medicos nostre civitatis, est coniunctus mihi summa beni-

volentia ut inter nos maior esse non posset. Is habet filium, optimum adolescentem, Sassarum, admodum nostris studiis deditum, in quibus evasit doctissimus; est singularis ingenii et vite continentissime, ita ut mores superent vim etatis. Cum latinis litteris sit plurimum eruditus, cupit adicere ad doctrinam suam etiam cognitionem grecarum litterarum, quibus etiam paulum operam dedit; in hoc suo tam honesto desiderio non solum co- 10 hortandus est, sed etiam adiuvandus. Itaque cum ad te profici- scatur discendi causa, suscipe eum ora tua solita humanitate et veluti filium erudias...

Scripsi nuper... post obitum Nicolai nostri epistolam quan- dam ad Karolum Aretinum, qua dolui de morte sua. Postmo- 15 dum... ei prestiti munus quod solum defunctis concedi potest: edidi oratiunculam funebrem.... Epistolam ergo et oratiunculam tradidi Augustino de Villa tibi deferendas....

Bononie die VI augusti <1437>.

## 710.

(Veron. Capitol. CCLXVI f. 125; Marc. lat. XI 80 f. 161; Padov. Semin 89 p. 25; Padov. Universit. 1261 f. 25<sup>v</sup>; Monac. Universit 2.<sup>o</sup> 607 f. 144; Vindob. 3330 f. 136<sup>v</sup>; Berlino lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 16<sup>v</sup>; pubblicata dal Pez *Thes.* VI, III 160; cfr. Rosmini *Guar.* I 108 da un cod. Ambros.).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi  
sal. pl. d.

Cic. *de or.* II 290.

Contemplanti mihi, vir illustris, mores tuos vere regios et in ista iuvenili aetate senilem adeo gravitatem non parva quaedam oritur molestia, cum nostram consuetudinem interruptam aliquan- 5 tulum esse video. In tua nanque praesentia « sicut in amoenissimo diversorio magis ac magis acquiesco » cum pro tua humanitate non aliter te ipsum et habeam et sentiam quam poetae veteres insulas illas beatorum, in quibus campos Elysios per earum suavitu-

---

710, 9 *vel* illarum (illam) *codd.*

10 dinem et quietem fuisse canunt. Itaque sicut tua tempestiva qui-  
dem aucupia probo quae laboris condimento sumuntur et corporis  
exercitio, sic illis invideo, per quae longinquus abes. Verum  
enimvero hanc ipsam absentiam una quaedam consolari poterit  
epistula, quae nos si non corpore at sermone faciet esse pae-  
15 sentes.

Dum igitur quid ad tuam magnificentiam potissimum scri-  
berem mecum cogito, deus ipse laetam et exoptatam attulit ma-  
teriam, quam ut primum accipies, scio pae gaudio exiles et ad  
equitem splendidissimum Feltrinum Boiardum tuarum voluptatum  
20 participem festinabundus advolabis. Scis, Leonelle vir clarissime,  
Philopoemenem et T. Flaminium imperatores fortissimos et ho-  
mines insignes, quorum ductu et auspicio virorum illustrium vitas  
et studia cognoscere coepisti, dudum amissos latuisse et dudum  
investigatos nusquam interim comparuisse. Hi ambo sese mihi  
25 obviam hodierno die attulere et meos in amplexus laeta fronte,  
oculis et omni denique hilaritatis gestu procurrerunt. Cum inter-  
rogo causas absentiae et « quibus ab oris expectati veniant »,  
comperio ab Gallo quodam transalpino furto subductos esse. Gra-  
tulatus sum fateor nostris Italos, qui huic furto et perfidiae affi-  
30 nes non fuere; praestat enim Gallum ipsum levem et bonarum  
artium inimicum tantum scelus in amplissimos viros ausum esse,  
qui cum illorum lumen ferre non posset, obscuris tabernis et gu-  
lae delinimentis ac lautis Peucestae conviviis assuetus, Philopoe-  
menem et Flaminium oppignoravit. Noluit enervatus et muliebris  
35 homo Italos et Graecos principes tanquam supervacaneas sarcinas  
ad Gallicanam secum deferre lauticiam. Deo gratias ago qui tan-  
tam homini stoliditatem iniecit, qui vere inventa iaspide gallus  
ait: « nullum mihi fructum habes, pinguem mallem turdum et  
unctam repperisse patellam ». Felicem itaque ac vere laureatum  
40 hunc beati Laurentii diem nobis illuxisse laetor, quo dudum la-

Verg. Aen. II  
282.

Plut. Eum. 13.  
3.

Aesop-Romul.  
I.

---

12 habeas corr. in habes Ver. | 16 vel esse om. codd. | 16 vel po-  
tissimum benivolentiam codd. | vel scribam codd. | 19 vel Albertum a  
Sala (Sale) codd. | 23 vel alterum dudum om. codd. | 24 vel ii codd. | vel  
se mihi hodierno die obviam codd. | 26 vel et oculis codd. | vel dum codd.  
| 30 vel non affines codd. | 37 vel homini tantam codd. | gallus: gioco  
di parola tra *Gallus* e il *gallus* della favola esopiana | 40 Laurentii:  
10 agosto.

tentes rediere duces idque non minori sane cum gaudio quam  
 Plut. Sert. 11, amissa illa quandoque Sertoriana cerva et eo magis quod illa  
 ad involvendos fraude barbarorum animos quaerebatur, hi ad de-  
 ponendam ex animis barbariem duces et commilitones expetuntur. 45  
 Hoc Leonelle magnifice sic bono accipies omne, ut contra im-  
 proborum insidias deus ipse vere pius vereque misericors tuae  
 virtuti faveat et voluntatem honestissimam adiuvet. « Perge modo  
 Verg. Aen. I et qua te dicit via dirige gressum ». Vale feliciter singularis  
 401. domine.

Ferrariae X augusti 1437.

50

## 711.

(Ambros. O 159 sup. f. 37; pubblicata in parte da me *Storia e critica  
 di testi latini* 342).

Guarinus Veronensis Guiniforto B&lt;arzizio s.&gt;.

Credo vir insignis te mihi carum esse vel ea ratione, quod  
 cum paternorum bonorum sis heres et successor, ego autem patris  
 intimus amicus et multis illi devinctus officiis fuerim, paternae  
 familiaritates non minus ad te quam fortunae certa fide transmitti 5  
 debent. Nam ut me aliquando legente annis ab usque teneris di-  
 dicisti et auctore Isocrate servare in vita debes : πρέπει τοὺς παιδας  
 ὥσπερ τῆς οὐσίας οὗτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς οὐληρονομεῖν.  
 ad Dem. 2. Verg. Aen. IV Itaque si Guarinum tuum memoria tenes, « habeo tota quod mente  
 100. petivi ». Sin elābi a te fortasse coepi, haec vicaria nunc venit epi-  
 stula quae cum tuam de me refricet recordationem, nulla me  
 sinat obduci et aboleri rubigine. Hoc primum. Alterum est quod  
 abs te impetraturus advenio, ut mihi apud serenissimum regem  
 sis advocatus. Causam prius accipies, cui non dubito pro rei in-  
 dignatione- vel tua sponte patrocinium praestaturum. 15

Erat superiori tempore in urbe Papiae quidam nobilis vir  
 Antonius Panormita, quem tibi vel familiarem vel cognitum fuisse  
 non arbitror, qui virorum dumtaxat fidelium et proborum consue-

44 expetuntur et expetantur (expectantur) *codd.* | 45 vel hec *codd.* |  
 48 vel sing - d - om. *codd.* | 50 L' anno è del solo cod. Berl.

tudinem parare soles. Is igitur a me per litteras petiti accommo-  
 20 dandum sibi Plauti volumen in quo erant comoediae omnes nuper  
 in lucem revocatae. Eas ut fingebat transcribi cupiebat. Libera-  
 liter igitur misso ad eum volumine, quod et triennio tenuit, po-  
 stremo cum librum cum singulari quadam gratiarum actione mihi  
 referendum expectarem, is vel fugiens vel fugatus meum secum,  
 25 me invito et reclamante, Plautum interceptum asportavit. Haec  
 nisi fallor furti diffinitio est. Cum ipsa iactura doleam, certe  
 magis magisque doleo quod studiosis adolescentibus communicare  
 codicem novum non possum. Iam intelligere te puto quid ex te  
 cupio: ut librum recuperare tua opera valeam. Quod tibi facile  
 30 fuerit apud virum inclitum, cuius non solum regiae plurimae vir-  
 tutes apud nos praedicantur, sed etiam musarum cultor et bona-  
 rum artium bucinatur. Hac in re declareret opus est bonos inte-  
 grosque sibi homines placere et improbis et expilatoribus sese  
 minime ministris delectari. Quod si tua intercessione et regis in-  
 35 eliti edicto Plautus noster e servitute pyrratica et postliminio  
 pristinas sedes herilesque lares repetierit, videbis regium nomen  
 nostrorum iuvenum cantibus in caelum extolli. Sin alioquin eve-  
 nerit, vereor ne in regiam maiestatem tragicum obiectetur illud:  
 « qui non vetat peccare cum possit, iubet ». Proinde ut non mi-  
 40 nus regiae laudi quam precibus meis faveas, hoc abs te susci-  
 piatur acrius patrocinium oro et obtistor per meam in te spem,  
 per studiorum decus, per Gasparini patris nomen ut numen sin-  
 gulare, pro ingenii, pro doctrinae, pro virtutis suae splendore,  
 quibus vivit et saecula omnia vivendo vincet. Vale vir eximie et  
 45 me ut facere consuesti plurimum ama.

Sen. Troad. 291.

Ex Ferraria VII kalendas octobris <1437>.

## 712.

(Ambros. O 159 f. 37<sup>v</sup> e 33; pubblicata in parte da me *Storia e critica  
di testi latini* 342).

Guinifortus Barzizius Guarino Veronensi rhetori prestantis-  
simo s.

Non iniuria visus es de mea in te observantia dubitare, vir  
clarissime, qui cum nullas adhuc litteras eiusce rei testes a me

acceperis, tua epistola modestissime vel ad officium me revocare 5  
 vel in eo retinere studes. Verum illud existimes velim non ea  
 ratione tam diu me tacuisse quod immemor tui factus essem,  
 quem pro tua dignitate proque mea in te gratitudine ut paren-  
 tem veneror, sed quod intelligebam apud te virum gravem cui  
 magna debeo, blandis atque inanibus verbis, quamvis ex animo 10  
 gratissimo profluentibus, uti non oportere. Magnas vero tibi gratias  
 habeo qui, ut patrem decet, fructum vel fortune vel industrie vel  
 quod magis sentio divini munera a filio exigis. Operam enim  
 meam apud serenissimum regem Aragonum desideras, cui me pro  
 sua clementia carum esse ut suspicor audisti. Ego autem quan- 15  
 quam non plus apud eum gratia valeam quam tu auctoritate, qui  
 tum multorum sermone tum mea olim crebra de tuis laudibus  
 verissima predicatione illi et notus et acceptissimus es, hoc ta-  
 men revocandi ad nos Plauti munus quod mihi imponis adoriar,  
 ut neque moram in me esse, cum de tuis commodis tractatur, 20  
 et improba facta mihi non placere intelligas. Sed te imitabor, diu  
 enim patientissime hanc iniuriam tulisti variosque pro immutanda  
 Antonii voluntate modos temptasti, priusquam in periculum bo-  
 nam, que de illo habebatur, existimationem adduxeris. Idem mihi  
 censeo faciendum neque tibi ut opinor id erit molestum. Nihil ad 25  
 maiestatem regiam in presentia scribam, quoniam id sine alterius  
 dispendio ac dedecore non fieret. Agam autem litteris apud cla-  
 rissimum utriusque iuris consultum Iacobum Peregri regium se-  
 natorem ac vicecancellarium, cui cum ego senatorii collegii socie-  
 tate intimaque familiaritate coniunctus fui, tum Antonius multis 30  
 ab illo in se collatis beneficiis et devinctus est et plurimum de-  
 fert. Spectatissimo huic senatori de hac re memoriam refricabo,  
 de qua si recte memini sermonem aliquando habuimus dum sepe  
 in hac urbe mecum pernoctaret. Quantum inevitabilis ignominie  
 clienti eius impendeat predicam; quid gravitatem quid equitatem 35  
 quid mihi perspectam vel consuetudinem vel naturam eius deceat  
 commemorabo. Spero curabit ut tuus tibi liber restituatur. Quod  
 si parum hac ratione profecero, nihil pretermittam quod ad no-  
 strum intentum conducere videatur.

Candidus Viglevius gravis et ornatissimus vir litteras abs te 40  
 sive incuria tabellarii sive casu adeo corrosas et tritas accepit,  
 ut nullam eis sententiam extricare integrum valeat. Inviolatas

maxime cupit alias sibi reddi quas pro singulari tue in se benivolentie pignore habiturum se profitetur. Occupatus non scribit ;  
45 te vero plurima salute impartit tibique una mecum se obtempera<n>tissimum prebet. Vale.

Ex Mediolano nonis octobris MCCCCXXXVII.

### 713.

(Ambros. O 159 sup. f. 33v ; pubblicata in parte da me *Storia e critica di testi latini* 343).

Guarinus Veronensis Guiniforto Barzizio s.

Tuam nuper ad me delatam non secus ac filiolam sum complexus epistulam et quasi habitum in delicis filium « longo post tempore visum » exoscular eoque libentius et μελισσόνως loquenter audio et « narrantis ab ore pendeo », quo magnificae indolitiae testis advenit, quam olim in virum praeclarum evasuram iudicabam atque adeo vaticinabar. Quo fit ut inter legendum, dum tua interlucet gravitas modestia paternaque suavitas, et virtutitiae ac laudi gratuler, cui faveo mirum quandam in modum, et 10 meo item de te iudicio, quod tua in claritate probbo. Accedit quasi divinus opinionis assertor rex ipse cum dignitate magnus tum ingenio maior et virtute maximus, ut huius aetatis decus et splendor divinitus missus aut ex prisca illis renatus censeatur. Qui cum te tuique similes amet complectatur ac fruatur, non 15 nisi admirandus princeps et sit et habeatur. Nam ut est apud tragicum, σορὸι κοίρανοι τῶν σοφῶν συνεστάξαντες : ut quantum ornamenti decoris et gloriae suis talibus rex ipse praestet, tantum et recipiat. Ne autem nimis laudandi cupiditate abducar, ad interceptum mihi Plautum venio, quanquam magis eum ad me venire 20 decuit. Tot per annos eum ab iniquo possessore per meas per amicorum litteras repetere non destiti ; nec defuere nuntii coram postulantes cum posteriori tempore Florentiam ab serenissimo rege missus est, quo tempore et librum referre potuit. nisi suum potius

Gell. XIII 19,  
1-2 ecc.

---

713, 17 suis : an sociis ?

quam nostrum et dici et esse maluisset. Quod si res amicorum 25  
 communes esse dicat καὶ γὰρ τὸ τῶν φίλων κοινά, esto: supra  
 quinquennium codicem usurpavit bonus iste vir: et mihi quin-  
 quennium in re communi comodet; quo lapsus si suos in unguis  
Ter. Heau. III  
1, 19.  
 allabetur, « pistrino me dignum » deputet. Cum autem omnes  
 spei viae destitissent, una reliqua offerebatur, ut ad regem ipsum 30  
 inclitum scriberem; quod ut facerem tardius causa fuit, quia  
 cursus meis ad eius maiestatem litteris non apparebat, simul  
 quia primos ad eum aditus ab onere potius quam ab iocunditate  
 auspicari subverebar. Nunc cum tua mihi alluceat intercessio,  
 rem meam tuis in manibus pono et mutus quoad tui eventum 35  
 consilii cernam perstabo. Quod si hac de re eandem in senten-  
 tiā litteras fortassis accipies, ne ulli tribuas morositati et impor-  
 tunae flagitationi. Nam cum audissem quendam mearum ad vos  
 fasciculum aut periisse aut occaecatis prorsus characteribus ad-  
 volasse vel verius annatasse, deesse Plauto meo nolui. Pro quo 40  
 iam nunc tibi obnoxius et ad omnia tibi devinctus esse non re-  
 cuso sed tuus « καὶ κτήσει καὶ χρήσει » et esse et fore velim.

Cic. ad fam. VII  
29, 1.  
 Meas ad insignem virum Candidum venisse tam inutiles,  
 dolens factus sum, ut qui suam benivolentiam comparare vel con-  
 firmare cuperem: ei me totum trade. Te non in filiorum numero 45  
 ut scribis, sed inter honorificos amicos habeo. Vale.

Ex Ferraria V kalendas novembris <1437>.

## 714.

(Riccardiano 827 f. 14v).

P. Candidus Guarino Veronensi oratori s.

Inexhaustum mihi risum excitarunt epistole tue: ita facetiis  
 partim fortuitis referte, partim a te lepide conscriptis ad me de-  
 late sunt... (cita in greco il passo di Platone sul riso *Polit.* III  
 p. 388 E). Et erat profecto res apud intelligentem risu dignissi- 5  
 ma. Quam vellem te litteras tuas aspexisse: risisses profecto.  
 Erant enim non solum inscriptione ipsa dissimiles a nostris, sed  
 ornatu quoque pergrece, dicam proprius perbarbare. Ex his por-

tiunculam legi tamen et, quod sudore obrutum dignosci haud po-  
 10 terat, residui lectione divinabam; sola illesa perstitit cedula cor-  
 rectionum *iarum*.... Sed non minus iocunde extiterunt que tuis  
 referte salibus integre ad nos delate sunt..... Que vero rectius  
 scribenda putabas, fateor a me minus accurate perscripta, non  
 quod ea imperfecte scribi ignorarem, sed ut te aliqua ex parte  
 15 certum facerem me litteras grecas intelligere, non tamen adhuc  
 curam prestitisse earum scriptio... *Ασημος* errore vetustissimi  
 codicis me fefellit dum vocabula sigillatim carperem « erum-  
 nabil labore », ut Apuleius olim Madaurensis. Nunc indesinenti  
 legendi studio adeo familiaris illis effectus sum, ut plerunque  
 20 non grecas sed latinas litteras me putem legere et, quod mira-  
 beris, vel loquenti vel scribenti vocabula et sententie uberrime  
 suppetant, correctio vero et ordo litterarum non facile sequantur;  
 quod tamen continuis lucubrationibus assecuturum me esse con-  
 fido. Vale amice dilectissime et si quid a me tibi gratum fieri  
 25 posse existimas impera.

Met 11.

&lt;Milano ottobre 1437&gt;.

## 715.

(Iagell. 42 f. 40).

&lt;Guarinus Veronensis d. Nicolao sal. pl. d.&gt;.

Thomas Vincentinus egregia prudentia ac humanitate vir et  
 musarum amicus in primis mihi verbis tuis renuntiavit cupere te  
 ut nobilium adulescentulorum nepotum tuorum curam suscep-  
 5 sem, quos in hisce humanitatis studiis informari vis. Ea res tan-  
 tae mihi laudi famaeque futura visa est, ut inter ea quae mihi  
 praeclara in vita contigerunt non immerito numeraverim. Quid  
 enim maius aut praeclarus dixerim humanis in rebus esse quam  
 mores et scientias, ad quas tuis nepotibus instillandas idoneum  
 10 me fore existimes? ex illis non solum homines brutis praestant,  
 sed etiam quandam immortalitatem consecuntur. Addo quod cum

715, 8 duxerim? | 9 scientiam cod. | 11 conferunt consecuntur cod.

de me tantum feceris iudicium, tu qui nobilitate sapientia scientia  
ac dignitate praecellis, ut ex tot praestantissimis Italiae viris ad  
tam illustre me deligas officium, gloriam mihi non mediocrem  
adiungis. Non parum extitit ex tam numeroso procerum grege 15  
<sup>Hom. II. X 242.</sup>  
<sup>47.</sup> Ulixem ab Diomede socium eligi. Quae cum ita sint, ita velim  
me devinctum habeas, ut iam nunc statuere de me pro tuae vo-  
luntatis arbitrio <possis>: iube, ipse libens et promptus ob-  
temperabo.

Vale vir inclite et me ama, qui te colo ac veneror. 20

<Ferrara 1437>.

## 716.

(Iagell. 42 f. 40v ).

<Nicolaus cl. v. Guarino Veronensi s. p. d.>.

Cum preclara ac pene divina de tuo prestanti ingenio sin-  
gularique doctrina ex multorum sermonibus percepissem, ob am-  
plitudinem maximam admirabilium virtutum vite et moris et  
studii, sum incensus moxque <animum> ad colendum et obser- 5  
vandum nomen tuum suscepi. Verum cum in contrahenda ami-  
citia sive notitia necesse sit alterius officium precedere, vellem  
is essem a quo primo prodiret initium; nunc autem cum hee-  
tue partes sint, tecum omnia audebo. Mittam igitur meos adole-  
scentes ad te virorum omnium nostri temporis, omnium confes- 10  
sione, doctissimum, addo optimum, ut tua summi viri preceptione  
eruditi atque expoliti evadant. Tu igitur, humanitate salva, ho-  
minis non ingrati tibi deditissimi causam amice suscipias, quod  
te tua sponte facturum esse confido. Quod autem dicis tibi decus  
et gloriam augere hanc meam tui delectionem quam feci, id, 15  
pace dixerim tua, magnopere ab tua sententia arbitror alienum;

---

14 diligas cod. | 15 parvum? | 16 elegi | Quare cum ita sunt cod.  
| 20 Il cod. aggiunge: Scio quia (leggi qua) sis veritate et omni laudis  
genere.

716, 5 studio cod. | 10 offensione cod. | 15 tibi delectationem cod.

nam et summam tantam gloriam ex virtutibus tuis consecutus es,  
ut te omnis etatis nostre decus audeat appellare et affirmare.  
Vale et me ama, cum id mutuum fiat.

20      <1437>.

717.

(Iagell. 42 f. 30).

Guarinus cl. viro d. N<icolao>. sal. pl. d.

Singulare habeo gaudium cum tuo ex iudicio tanti me fieri  
sentio, quanti tua gravis et erudita testis advenit epistula, ut  
beatum me ipsum censem talium virorum familiaritate, quoniam  
5 in alios quidem virtus, in me autem tua insignis apparuit huma-  
nitas. Tu modo me quem amare coepisti diligere perge, ego vero  
te colere et venerari non desinam; quas ad res tui carissimi ne-  
potes perpetuum inter nos fient vinculum, quos cum in fidem  
meam recipiam, non deteriores reddere cura studioque contem-  
10 dam. Sed quo agor, vir prudentissime? informandi enim cupiditas  
et ardor quidam me paene fecit temerarium et immemorem. Nunc  
enim denique verso mecum quam difficillimum sit et laboriosum  
adulescentes eos in curam et educationem recipere, qui ample in  
statu in opibus inter delicias enutriti non tam parere quam im-  
15 perare didicerunt Porro apud me fabulas et inco<n>ditas fabas  
et olera semicocta degustaturi sunt et ab alto deliciarum culmine  
in quo nati educatique sunt ad mediocrem victum scholasticamque  
consuetudinem summa <vi> deducendi vel potius detrahendi  
sunt: « usque adeo in teneris assuescere multum esse » Maro  
20 noster testatus est. Quod si ciborum asperitatem victusque so-  
brietatem gaudia risus, domesticorum suavitas lenire potest, ne  
reformides tuos ad me nepotes paterno excipiendo gremio de-  
mandare; quarum rerum virum insignem atque doctissimum Au-

*Geo. II 272.*

18 *omnis*: nominativo.

717, 8 fiunt *cod.* | 10 quoque ago *cod.* | enim] *tibi cod.* | 12 diffi-  
cillime *cod.* | 15 fabas] famas *cod.*

rispam simul et gravissimum hominem A<ndream> Pallatum  
tibi consiliarios adhibeo. Tu vale et me ama.

25

<Ferrara 1437>.

## 718.

(Iagell. 173 p. 482).

<Guarinus Veronensis cl. v. d. Nicolao sal. pl. d.>.

Ingentes habeo meis pro viribus gratias primo, quisquis fuit,  
litterarum inventori, cuius industria et beneficio factum est ut  
« absentes praesentes fiant » et qui sese cernere non possunt,  
sese tamen alloquantur ; quod tibi mihique usu venit, qui licet 5  
tanto disiuncti locorum intervallo, mutuos inter nos sermones se-  
rimus, qui eo videntur dulciores utriusque futuri, quo rarius illis  
uti datur. Tuas itaque litteras cum de manu Michaelis accepi,  
quasi tu mihi oblatus essem, in amplexus earum irrui. Accusas  
autem quod meas ad te non dederim. Ea certe mihi dulcis accu- 10  
satio visa est, quoniam meas amare videris ; quas <si> idcirco  
cupis quia amoris ornatum p[re]se ferunt, nil verebor meas  
qualescunque ad te mittere ; sin ornamenta facundiae quaeritas,  
aliunde te mendicare iubeo ; ego enim « quicquid in buccam  
venit » calamo mando, ea spe fretus ut mea omnia ex amoris 15  
ore fluentia tibi suavia tibi iocunda tibi accepta futura <sint>.

Quod si nihil aliud scribendum occurret, non deerit vel de  
pace, quae nullibi est, vel de bello, quod fervet ubique, materia.  
Patriarcha Ecclesiae pugil aliquot ductu suo victoriolas peperisse  
dicitur contra illos Apuliae principes ; Comes Franciscus Luccam 20  
stringit, aliquot de castellis ademptis ; exercitus seren<issimae>  
dominationis Venetiarum, numerosus sane, somno sese otioque  
oblectat, nondum hostilem ingressus agrum ; Ducis quoque exer-  
citus nihil aliud agere videtur, quam quod adversarios terret et  
ne longius sese efferant obstaculo est. Itaque bene dici posse vi- 25

---

718, 1 Ad eundem cod. | 6 distincti cod. | cedimus cod. | 19 Pa-  
trirarca ecclesie ecclesie cod. | 21 victorialis cod. | 22 somno] sano cod.  
| 25 ita quod cod.

detur: « O nostri fundi calamitas » et « O frugis consumere  
 nati ». Curia Bononiae ferias agere videtur, adeo paucis negotiis  
 implicatur, ut parum ab dormiendo videatur abesse. De multis  
 30 éorum dici licet: spes est vos esse surrecturos stratis. Legati  
 complures Graeciām petierunt, trieres parantur que Constantinopo-  
 litanum Caesarem angustum, hui! <augustum> volui dicere ad  
 concilium pervehant. Ubi tamen concilii locus institutus sit, nec-  
 dum affirmari audio: Florentiam alii, Bononiam alii, Forum Iulii  
 alii, Avignonem quidam aiunt, nemo certum, omnes ore diverso.  
 35 « Haec quid ad nos? » nihil ferme, nisi ut grandior veniat  
 ad te epistula. Nunc nostra agamus. Filii nostri, Iohannes uter-  
 que, recte valent; minor hilaris vultu, serenus, familiaris cunctis;  
 maior vero severa facie, sermonē rarus, ridet interdum; uterque  
 40 legit studetque, maior epistulis dat operam eisque delectatur e-  
 gregie; itaque scribit facunde, scribit formosam litterarum faciem.  
 Eis nihil deesse sino: vestes, libros, curantur ut mei. Aedes emi  
 qua's inhabito: et grandi proinde contracto debito, ne fugere opus  
 habeam, pecunias ab amicis mutuo capio; itaque solvam tum mea  
 45 tum aliena pecunia. Vale vir insignis.

45 <Ferrara 1437>.

## 719.

(Iagell. 173 p. 483).

<Guarinus Veronensis cl. v. d. Nicolao sal. pl. d.>.

Accusandus apud te fortassis essem, quod tam diuturnum  
 tecum ducam silentium, nisi temporis et locorum incommoditas  
 excusaret. Nam cum tot nives imbræ ac frigora iter intercluse-  
 5 rent, quo pacto ad vos iretur non spectabam. Huc accedebat quod  
 multos iam menses nihil abs te ad nos litterarum allatum est,  
 quod hiemis magnitudinem arguebat; quae res mihi permolesta

27 Curia binana ferras cod. | 28 obdormiendo videtur cod. | 29 vos  
 esurecturos satis cod. | 31 cesarem augustum huc volunt dicere cod. |  
 34 ammonem quidem diunt cod. | 41 sine cod. | 41 emi] enim cod.

719, 1 Ad eundem cod. | 7 yems cod.

erat, cum dulce illud commercium, quo iunguntur absentes, nobis interceptum viderem. Quid autem suavius afferri mihi potest, quam vel praesentem sermone vel absentem per epistulas tecum tempus totum consumere, vel verius expendere, qui humanitate modestia urbanitate universum Polonorum genus ornas atque illustras et apud Italos florere ornari colique facis? Nunc vero cum caeli clementia euntibus laxet itinera solvatque difficultates, iterum scribo et, ut dici solet, glaciem frango. Tuum erit, vir clarissime, subsequi et tuas ad nos vel invitatum vel sponte dare; eas ut legere dabitur diem festum agitabimus, te in illis vel in te illas amplexabimur: tantum potest nostra in te benivolentia singularisque pietas.

Quoniam vero de nobis sentire cupis, nos recte valere scito; nepotes studiis incumbunt, minor italicam linguam balbutit et exprimit, cuncta ferme intelligit et cum uterque diligatur <ab> omnibus, minor gratus carus acceptus est universis. Proxime physicus egregius et humanitate praecipua praeditus magister Tadeus venit in hanc urbem, curiam subsecutus. Is filios nostros visit, amat, ubique promptus inservit; ei vere multa debent pro ipsius liberalitate et prompta in omnibus opera.

Tua eximia in omnes munificentia facit, vir generose, ut ad te confugiam, cum res domestica urgeat. Emi aedes, quas incolo, quas mihi antea conducebam; ad earum pretium persolvendum amicorum opem invoco tuamque in primis; oro autem ut ducatos centum tua ex liberalitate mittere non graveris, ut cum tuam per virtutem tui iuris factus sim, hoc ipso merito tibi perpetuo devinctus sim. Qua in re ut apud te pro me sis advocatus oro causque meam ipse suscipias; quanquam pluribus verbis tecum agere non statu<i></i>, ne mea potius oratione quam tua liberalitate videar impetrasse.

Italiae status ad pacem oculos intendit; hic sunt Veneti, Florentini, Mediolanenses legati. De pace agitur; bellum tamen non timetur, cum pax speratur. Vale, vir amplissime.

<Ferrara primavera del 1438>.

---

15 itinerum cod. | 17 dabatur cod. | 17-18 te in illas cod. | 20 quam (quantum?) cod. | 29 emi] enim cod. | 30 mihi antea] mannea cod.

## 720.

(Lagell. 173 p. 482).

Guarinus cl. v. d. Nicolao <sal. pl. d.>

Longa inter vos nosque distantia et rara nuntiorum facultas nos obmutescentes reddit; quo fit ut magna laetitia privemur, tu mearum ego tuarum videlicet litterarum. Non dicam quod multi 5 pro inertiae excusatione allegare solent, materiam scribendi nobis deesse; nam ut pro me loquar infelix Italiae status et intestina bella unicuique vel arido ingenio dicendi copiam pararet. Quid de curiae Romanae negotiis, ex quibus grandia conficerentur volumina? Sed cum vir modestissimus dominus Io<hannes> tuus 10 adveniat, is longos utraque de re sermones explicare poterit.

Uterque Iohannes magis scribendi praebeat argumentum. Maior recte valet, audit, legit studetque et bona me spe implet, modo mollior suaviorque fiat; nam frons severa mosque duriusculus. Minor bene in omnibus habebat, nisi ventris fluxus iam 15 quatriduo illum vexasset, a quo iam melius habet, cibum bene retinet, vires robustae. Eius curae adest vir insignis et medicus praestans magister Tadeus, qui fide benivolentia humanitate peritiae mirum in modum excellit, nihil omittit diligentiae ut sanetur; de me tacebo, qui non minus quam filium carum habeo: 20 sic sui mores et naturae suavitas postulant; studet, proficit.

Haec ad te brevioribus; siquid enim defuerit, ipse d. Io<hannes> coram te amplius explicabit. Spes mihi fuerat adiecta ut te viserem et praesentia intuerer ora; ceterum corrupti huius aetatis mores me spe mea spoliaverunt; agamus litteris ut vel 25 sic colloquamur, quando simul esse non licet. Vale et me commendatum habe.

<Ferrara primavera del 1438>.

720, 1 Ad d. Nicolaum. Guarinus cod. | 5 per inertem excusacionem cod. | 13 diransculus cod. | 20 naure cod. | 22 faciat cod.

## 721.

(Monac. lat. 504 f. 179; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 182; 4.<sup>o</sup> 768 f. 181;  
Vindobon. 3330 f. 172; Arundel 70 f. 115<sup>v</sup>; pubblicata in parte da  
me *Guarino Veronese e gli archetipi di Celso e Plauto* 52).

Guarinus Veronensis suo iocundissimo Galasio Avogario sal.  
pl. d.

Cum semper te studiosum et avidum litterarum arbitratus  
fuerim, hodierno die te musarum helluonem oculis cerno, quod et  
probo et admiror et ut pergas exhortor; earum nanque dulcedi- 5  
nem fructumque ita degustas, ut aliis potius praedicare quam ab  
alio audire debeas. Quas ad res si quid obscuritatis impedit,  
commendo ut lucem inquiras, ad quam tibi praestandam si tibi  
censebor idoneus, curam operamque meam tibi libens impartiam,  
an recte et pro desiderio tuo tu ipse iudicabis, modo ne sim 10  
Amph. 341. Plautinus ille Sosias, qui obscuram tibi lucem suppeditem « dum  
Vulcanum in cornu conclusum geram ». Accipe igitur quaesiti  
controversiam et ut tibi respondeam intellige, immo ut tu tibi  
respondeas faxo. Si quis tibi sermonem faciens dixerit hunc in  
modum: « Guarinus et Galasius disceptant », constructionemne 15  
miraberis an reprehendes an excusabis? Excusabo, inquies, cum  
figurata sit locutio; est enim syl'epsis. Quid si dixero: « Gu-  
arinus cum Galasio disceptant? » Haerebis scio, sed eadem utro-  
bique ratio est; nihil enim interesse arbitror <utrum> dixeris:  
« divellimur inde Iphitus et Pelias mecum », an « Iphitus et Pelias 20  
et ego » nisi quod prima directa, secunda indirecta syllepsis est. Ha-  
bes ut arbitror quid tibi respondeas et dictis assentiaris; utinam tam  
tibi assentiri queam, qui tantopere me eloquentem fateris, ut al-  
terum, si tibi credam, Ciceronem me esse crediderim, qui cicer  
magis quam Ciceronem redoleo et recte cum loquor coaxare mihi 25  
videor. Gaudeo tamen te eo de me errore teneri, ut vel sic magis  
me diligas, qui cum probitatis et integritatis nomen cum re geras,  
laudem mihi comparas qui me delectari diceris.

Verg. Aen. II  
134.

721, 7 aliis Vindob. | 9 vel impertiam codd. | 13 causam codd. |  
21 indirecta; Alexander nel *Doctrinale* 1103 Reich. la chiama *conceptio*.

Vale et hanc epistulam qualiscunque sit cum acceperis, ab  
 30 aere alieno quod tecum pro duabus contraxeram me absolvito.  
 Salvos esse iubeto concordiae et fraternitatis auctores et « par  
 nobile » Thomam Fanensem et Zenonem Othobellum et Asinum  
 nostrum, qui nil praeter nomen sapit asininum et utinam reliqui  
 asini tales fiant asini. Bartholomaeum Matreiani sincerum et op-  
 35 timum amicum meum salvere opto.

Horat. Sat. II.  
3, 243

Ferrariae nonis decembbris <1437>.

## 722.

(Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 198<sup>v</sup>; 4.<sup>o</sup> 768 f. 186; Monac. lat. 504 f. 185;  
 Treveri 1879 f. 55<sup>v</sup>; Vindobon. 3330 f. 187<sup>v</sup>; Arundel 70 f. 123<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis suo Othobello de Othobellis sal. pl. d.

Hui! tam citus tam promptus et festinus factus es, ut uno,  
 ut aiunt, spiritu litteras a me tibi rescribi iubeas et efflagites,  
 cum interim, si deo placet, multos menses mearum responsionem  
 5 expectans inani spe et expectatione captus sum. Iniqui hominis  
 est id a me desiderare quod ipse non praestes, quemadmodum  
 si quis ad opus excitet agricolas, cum interim a pulvino genam  
 non auroveat et dicat: « eicienda est haec mollices », cum ipse  
 somno marcescat, omnem lentitudine cocleam vincat et testudi-  
 10 nem. Cuius quidem rei testem vel arbitrum appello Galasium,  
 quo monitore quid in epistulis ad amicos facias perdisces. Nec  
 adhuc unam hanc sperare licebat abs te, nisi vel rudentis Asini,  
 minime sane bruti sed periti, vox instrepens te lentiores exci-  
 tasset vel pluviarum vis et abundantia argumentum tibi scribendi  
 15 copiamque suppeditasset, adiuncta etiam mearum litterarum ope,  
 quas ad viros optimos et doctos Baptistarum, Martinum et Galasium  
 datas tibi stimulo esse fateris. Tua vero negotia et immortalia  
 quaedam laborandi genera te, ut ais, interrumpunt, ut tuas frustra

---

33 et ut codd. | 34 Bartho.n Matecyani Monac. 768, Batrch. matreyani Monac. 607. Bacch. matecyani Vindob.

722, 2 rel factus om. codd. | 5 sim? | 11 rel perdiscas codd. | 14 pluviciarii (pluvicium) rus codd.

desiderem. Ego rerum ignarus istarum mirabar et tibi condolebam, quod tam macilentus evasisti, ut quidam quadragesimae legatus appareas; parce tibi, parce labori quietique consule, Othobelle, ne pellis fias et ossa prae misera macritudine. Cui verba, cui fucos obtendis? Quod sicubi tibi saltandum est et inter puerorum grege<sup>m</sup> ducenda chorea sit et a prima luce usque in vesperam sudandum, satis superque spatii nactus eris et vacuitatis ab negotiis. Revoca iam te, Othobelle, et cum dies et menses et annos irredituros memineris, solis litteris et virtuti te dedica totum: reliqua omnia fluxa et paenitentiae plena.

Oratorem habeo, sed hoc tempore occupatus tibi morem gerere non potest; aut expecta aut aliunde inquire. Salvus sit Thomas Fanensis cum parente optimo <et> Minellus Donatus Montorii vicarius, cui et villicum meum diligenter commendo.

Ex Ferraria XIII kal. apriles <1438>.

### 723.

(Archivio di Stato di Modena, Registro di mandati 1436-38 f. 201<sup>v</sup>).

<Illustrissime domine Leonelle>.

Illustrissimae dominationi vestrae humiliter exponit servitor vester et civis civitatis vestrae Ferrariae Guarinus Veronensis, quod cum adiumento et liberalitate dominationis vestrae emerit domum quondam nobilium de Boiardis, pro cuius quidem emptoris gabelia satisfactum est auxiliante munificentia vestra: cum autem evenerit propter novum adventum curiae datia seu vectigalia vendita fuisse ante tempus solitum et ante anni novi principium, factum est ut novi gabellarum conductores gabellam gabellae flagitent ab dicto Guarino, cum instrumenta non esse stipulata dicant ante gabellarum conductionem. Id autem non ipsius Guarini aut culpa aut negligentia factum est, sed maturius et ante terminum locatorum vectigalium. Idem itaque Guarinus

---

23 si ei ubi (si cuibi) <sup>et</sup> l. | 24 usque ad in *Trev.* | 31 vel Montorum (*vel om.*) *codd.* | 33 *rei* aprilis *codd.*

supplicat praefatae dominationi vestrae, quando ipsum maioris  
 15 vastis onere, levare dignemini et minore: mandare dignemini ut  
 ipsa gabella gabellae cassetur, quae est libras circiter 34 soldos  
 16. Recordemini vero, princeps, « non oportere quemquam a ser-  
 mone principis tristem discedere ».

Suet. Tit. 8.

&lt;Ferrara aprile 1438&gt;.

20

&lt;Servitor vester Guarinus&gt;.

## 724.

(Parig. 8580 f. 20v ; Lucerna M. 2.º 320 f. 8 ; Palat. 1592 f. 42v ; Basilea  
 F. VIII 18 f. 13v ; Bergam. A II 32 f. 30).

Guarinus Veronensis d. Catoni Sacco sal. pl. d.

Ecce solita tibi mitto munera, virum scilicet egregium, do-  
 minum Tobiam Veronensem, mihi intimum, non modo discipula-  
 tus iure, verum etiam benivolentia caritate devinctum ;  
 5 est enim amabilis in primis morum suavitate, ingenio, doctrina.  
 Quid expectas ut eum tibi commendem ? ego vero id superfluum  
 censui, expertus qua fide humanitate liberalitate meos tractare  
 soleas. Itaque iam nunc cogito quibus verbis tibi pro eius  
 meritis gratias agam, quae verba si eius paria meritis non fuerint,  
 10 totum me tibi tradam ; sin id parum quoque videbitur, organum  
 tibi conferam undecim compactum fistulis, de quo ipse d. Tobias  
 planius explicabit, quem tuae comiendo et trado fidei. Vale, vir  
 ingens nomine sed re ipsa ingentior.

Ferrariae XIIIII maii &lt;1438&gt;.

---

724, 1 vel Saccio (Sactio) codd. | 3 mihique Ber. | 6 rel tibi eum  
 codd. | 9 meritis defuerint Luc., Bas., Ber. | 10 reddam Par. | 14 143  
 (sic) Luc., Bas., om. rell.

## 725.

(Marc. lat. XIII 71 p. 137; XIII 72 f. 47<sup>v</sup>; Vatic. 3440 f. 37; Bologn. Univers. 1490 p. 137; pubblicata dal Querini in Franc. Barb. *Epist.* p. 65 e dal Pez *Thes.* VI. III 186).

Franciscus Barbarus eloquentissimo Guarino Veronensi sal. d.

Quia sicut nosti iam, ridem serenissimo regi Constantinopolitano vehementer afficiar et ad officium meum pertineret, nisi cura provincie et huius belli Gallici sollicitudo me retineret, ut vel visende maiestatis sue causa Ferrariam accederem, erit 5 humanitatis tue, cum salutandi gratia celsitudinem suam convenies, me diligentissime commendare serenitati sue et meo secum nomine congratulari quia magna cum gloria in Italiā venit ad dandam pacem ecclesie. Unde pro hoc tanto et tam communi bono non solum Grecos et Latinos, sed nos quoque Barbaros in 10 perpetuum devinxit sibi. Deum autem immortalem, cuius res agitur, rogo et oro ut hic adventus maiestatis sue et pacem et concordiam afferat ecclesie et imperium illud Costantinopolitanum, quod iam diu, heu nimis diu, ab hostibus nominis christiani direptum ac vexatum est, restituat in suam dignitatem. 15 Vale. Illustri Leonello Estensi me commenda et Zachariam filium tibi.

Brixiae pridie nonas martias 1438.

## 726.

(Marc. lat. XIII 71 p. 171, che ha la miglior lezione di tutti; XIII 72 f. 60; Bologn. Univers. 1490 p. 168; Vatic. 5911 f. 72<sup>v</sup>; pubblicata dal Querini in Fr. Barb. *Epist.* p. 89).

Guarinus Veronensis Francisco Barbaro illustri equiti sal. d.

Haec ad te subverecunda venit epistula, sui cum sit conscientia peccati et longioris in respondendo tarditatis. At enim sibi

---

725, 2 imperatori *Vatic.* | 5 vel sue maiestatis *codd.* | 8 vel venit in I - *codd.* | 14 nimium *Vatic.* | 16-17 Illustri - tibi om. *Marc. XIII* 72, *Bonon.*

solatio est quod errasse confessa minorem abs te mulctam refor-  
 5 midat, potissimum cum sis ea praeditus humanitate, ut misereri  
 potius quam punire soleas. Nec vero ratione tarditas ipsa caret;  
 nam ad domestica negotia, quibus destineri sum solitus, et aliae  
 per Graecorum adventum occupationes accrevere, ut nunc hue  
 nunc illuc cursitandum sit. Accedit et aetatis ingravescentis con-  
 10 ditio, qua labores praesertim scribendi reformidem et calatum  
 non secus ac anguem plerunque refugiam. Adde quod sancta  
 haec σύνοδος vitae speculum praestat et exemplar, in qua otia  
 quaeruntur, quies amatur, ἀπονία passim colitur nec ullae su-  
 scipiuntur curae, nisi ut curae nullae suboriantur aut aliquod vo-  
 15 luptatis genus excogitetur. Quo fit ut cum alia rem publicam  
 spectantia, tum vero Graecorum factum fere negligatur, quo nul-  
 lum magnificentius, utilius, gloriosius et nomini christiano salu-  
 tarius dici potest. Hoc igitur quasi morbo et contagione per ho-  
 rum virorum consuetudinem infectus torpere didici et cum natura  
 20 tum usu tardior fio. Aequiore autem id animo fero quoniam in  
 scribendo frigidus, nihilo minus in amando ardeo, te potissimum,  
 quem ut divinum hominem diligo veneror observo. Non fui tamen  
 serus aut ἀμελητός in re nostri Barbri protonotarii, ubi tuis vel  
 25 nostris potius commendare carumve facere opus fuit: quod cum  
 sponte mea, quoniam ita debeo, tum invitatu tuo faciendum erat.  
 Has interim habe meae in te observantiae testes, quas ita sup-  
 primes, ne dixisse me pigeat, « cum veritas odium pariat ». Hic  
 sunt docti plurimi Graeci et litteratissimi viri; multi Latini fieri  
 student non modo \*\*\*\*\*; verum praeter tres aut quat-  
 30 tuor \*\*\*\*\*. Vale vir inclite.

Ter And. I 1,  
41.

Ferrariae XIII kalendas iunias 1438.

---

726, 7 distineri? | 12 *vel* synodus (*vel om.*) *codd.*, *Quer.* | 13 *vel* ἀπ-  
*om.* *codd.*, *Quer.* | 15 *vel* in rem *codd.* | 21 rescribendo *Vatic.* | 23 ἀμ-]  
*vel* negligens (*vel om.*) *codd.*, *Quer.* | 31 1439 *codd.*

## 727.

(Laur. 89 sup. 16 f. 178; Guarner. 69 f. 178; 82 f. 135; Vatic. 3707).

Cl. viri Guarini Veronensis ad B.<sup>mum</sup> papam Eugenium quartum prohemium in duas magni Basiliī homelias latine conversas ex graeco.

<Guarinus Veronensis B.<sup>mo</sup> Eugenio quarto pontifici maximō sal. pl. d.>.

5

E Rhodo nuper ad me sacrarum scripturarum liber allatus, sanctissime pater, mirum in modum et oculos ad legendum et mentem ad perdiscendum incitavit: adeo vetusta quidem litterarum facies venerationem, praceptiones vero vitae christianaee sanctitatem prae se ferunt. Tulit autem fortuna vel deus potius 10 omnipotens, sine cuius nutu ne minimum quidem foliorum cadit ad terram, ut legenti primus de ieunio tractatus offerretur, in quo percurrente tanta tamque fructuosa demulsit animum oblectatio, ut omnino cibi factus immemor solo inter legendum ieunio saturarer. Id cum per se pro corporis animaeque fructu magis 15 atque magis alliceret, non minus allexit auctoris dignitas et gloria, cuius doctrina sanctimonia religio et singularis per omnes vitae partes integritas hominem inter beatorum ordinem collocavit in caelis et posteritati nomen eius immortale commendavit: Basiliū inquam Caesariae Cappadociae archiepiscopum, in toto ter- 20 rarum orbe venerabilem ac celebrandum, quippe cum tot monumenta et litteraria suae liberalitatis legata quasi benignus pater familias transmiserit ad posteros.

Ceterum veteris illius et divini admonitus instituti, quo nostris de proventibus deo primitias excerptere ac reddere iubemur, 25 quoniam eas in signum universalis dominii Dominus noster sibi reddi praecepit, suas esse decimas et primitias asseverans, geminas tuae sanctitati nomine decimārū homelias e graeco in latinum sermonem convertere aggressus sum. Quae quidem immortali deo debitae, tuae idcirco maiestati iustius offeruntur et sol- 30

---

727, 20 vel Cesaree codd. | 22 vel litteralia codd. | 30 vel iccirco codd.

vuntur, quia illius vices geris, qui penes te ita christiani nominis regimen esse voluit, ut quicquid liges aut solvas super terram, ligatum atque solutum sit in caelis. Quod cum tibi iure tribuatur, quia Christi vicarius es Petri successore, tum merito tuo de-  
 35 beri censendum est, a quo ingenia virtutes eruditio[n]es excitantur foventur exornantur. Sanctam dei extollis ac sustentas ecclesiam, eius infideles et perfidos insectaris hostes utque devium et errantem Domini gregem unicum sub pastorem et unicum sub ovile revoces omni cogitatione consilio labore opera[re]que contendis et  
 40 proinde nulli curae nullis incommodis nulli parcis impensae.

Haec autem quia locum alium, aliud dicendi genus et latior rem scribendi campum expostulant, in praesentiarum omittantur. At enim in hoc suscipiendo munusculo, nisi tua dedignetur maiestas et aspernetur, non tam rei parvitatem quam pietatis meae  
 45 ac devotionis magnitudinem pro tuae beatitudinis humanitate perpendes, illud Domini nostri factum de evangelio imitans, qui piae quidem viduae sed pauperis « duo minuta aera in gazophylacium mittentis » animum non minus quam oblatum a divitibus « aurata fronte iuvencum « gratum et acceptum habuit. Quod vero  
 50 a me de rei parvitate dictum est, non homiliarum sensum documenta et institutiones, quae amplissimae legendo cognoscentur, sed operam meam et interpretandi laborem et volumen ipsum corpusque velim intelligi; in quo si quid tuae sanctitati iocundum extiterit, non modo sumpto pro labore mercedem videbor accep-  
 55 pisse, verum etiam ad convertenda quandoque reliqua studium excitaverit tua beatitudo, cui me humillime adorans procidensque commendo.

<Ferrara 1438>.

*Beati Basili Caesareae Cappadociae archiepiscopi homilia pri-  
 60 ma de ieunio incipit.* In hac mensis novitate et insigni ac festo nobis die.

*Eiusdem homilia secunda de ieunio sequitur.* Exhortemini inquit sacerdotes et invitate populum.

Luc. 21, 2.

Verg. Aen. IX  
627.

---

50 vel homel - codd.

## 728.

(Iagell. 42 f. 31).

Guarinus carissimo Pallatio sal.

Omni ex parte tua in me effluit et sese <effundit> benivolentia, quam vel proximis litteris ad me aperuisti et ante oculos posuisti, qui non modo curare verum etiam instare urgere obtestari voluisti, ut meam in tuto ponam salutem, in qua et 5 multorum repositam incolumitatem dicas et ipse credere velim, quo tibi habeam fidem, ut homini prudenti, et diligentior sim ad multorum incolumitatem in me, ut scribis, conservandam. E<r>go « Argi oculis », non quidem dormitantis, vigilabo, ut occurram si quid usus erit; cum interim et aliorum et G<uilielmi> Capelli 10 relatu nil triste sentiam esse.

Hieronym. E-  
pist. LIV 9.

Iohannem domini Nicolai nepotem accepi in fidem atque cu-ram meam; ei necessaria suppedito, capsam emi bononiensibus XLVI. Vale.

&lt;Ferrara 1438&gt;.

15

## 729.

(Iagell. 42 f. 30v ).

Guarinus Veronensis suo Andreae Pallatio sal.

Constitui crebras ad te litteras dare ut vel hac parte anxius de nobis esse desinas, si qua de loci morbo tibi foret innata suspicio. Valemus igitur omnes, valet et civitas. Nos litteris insudamus, tu te litibus maceras; num audisti tritum illud sermone 5 proverbiū: litis et aeris alieni comitem semper esse miseriam? Solve igitur vel potius ab littore funem ruimpe.

---

728, 2 effloret cod. | 3 apparuisti cod. | 7 ut] et cod. | 9 oculos cod. | 10 esus cod. | 13 ej] G. cod. | soldi bolognini.

729, 4 valeat cod.

Feci multa Iohanni vestro Polow, quae illi necessaria corporis saluti et munditiae putavi, sine cuius ministerio et commo-  
10 dis animo serviri non potest, ut iumento afflito et lasso vectari reda nequit. Capsam emi, diploidem confeci, caligas camisias comparavi; studium quod ad discendum invitet conficitur; isque diligens obtemperans docilis est. Salustum gustare feci.

Quanquam quid tibi, qui caput litibus habes implicitum? tu  
15 tuis, nos nostris uteatur moribus, nisi forte, propositum tuum iam grave pertaesus et inutile, nostrum probas, tuum improbas. Ad nos igitur vola, ut tuas istas animi molestias et angores nostris iocis salibusque condias. Vale et me ama dulcissime Pallati.

<Ferrara 1438>.

### 730.

(Iagell. 42 f. 30v).

Guarinus cl. viro domino N<icola> sal.

Quam tu mihi manum barbaram et mihi molestam esse pertimescis, utinam vero tam barbari ceteri sint barbari! tu morum suavitate tu dicendi lepore tu consuetudinis affabilitate benignus 5 amabilis iocundus omnem prorsus barbariem exuisti vel potius repulisti. Quocirca ne hanc silentio causam praetexas oro ac ne bona, tibi vel ingenio vel doctrina vel virtute innata comparata confirmata, parvifacias obsecro, ne minus idoneus bonorum aestimator esse videar <is> et me tuarum dulcedine litterarum 10 prives.

Ad meum Iohannem redeo. Ego profecto ubi adulescentis ipsius docilitatem, facilitatem, omnium mandatorum obsequentiam animadverti et experiendo cognovi, ita illius curam adoptavi, ut nihil <quod> ad corporis commoda et necessitatem, tum vero 15 animi ornamentum pertineat, omittam. Quod cum sponte mea fa-

8 Polow: sarà un cognome? | 12 imitetur cod. | is quoque cod. | 14 quod cod. | 16 nostris cod. | 18 palaci cod.

730, 12 omnium] aurium cod.

ciam, tum vero tua de me cogit opinio, quam ne tallam omni studio vigilantia contentione conabor. Et ne plura verbis quam re confidere velle videar, cum opere vincenda sint verba, finem faciam scribendi. Vale vir generose ; valemus et nos, valet et civitas.

<Ferrara 1438>.

20

### 731.

(Iagell. 42 f. 30<sup>v</sup> ).

Guarinus c. v. do<mino> N<icolao> sal.

Subitus Pauli discessus, viri certe diligentissimi, fecit ut et sine meis ad sapientiam tuam litteris rediret, nam nec ipsius iter tardare volui nec ea hora scribendi praestabatur occasio. Filium vestrum medio in pectore collocavi et filiorum numerum auxisse 5 suo videor adventu ; de meo in eum animo plura non dicam, cum res ipsa non tam verbis quam opere videatur indigere. Unum mihi necessarium video, ut saepius meis litteris certior nostra de salute fias, quo tranquillore vivas animo. Hic ex ore Principis nostri et eius cui salutis et morbi cura demandata est exploratum 10 habeo incolumem esse civitatem nec iustae <suspicionis> quicquam adesse. Quod si perget et civitatis erit sospitas, bene quidem ; sin quippiam, quod nolit deus, adversi ingruet, mox « ad caeli melioris auram » cunctis cum meis volabo hinc. Ut dico sic habeto : operam do ut necessaria cuncta suppeditentur adulescen- 15 tulo vestro, ut a Paulo commonefactus sum. Vale vir insignis et me ama.

Ex rure nostro <press Ferrara 1438>.

---

19 valeat cod.

731, 2 subditus cod. | et] is? | 11 nec iste quemquam cod. | 14  
valebo hic cod.

## 732.

(Iagell. 42 f. 31).

Guarinus suo Pallatio sal.

Litteras ab insigni domino Nicolao manu tua scriptas accepi,  
 quibus te *<in>* Nicolao vel Nicolaum in te vel ambos in am-  
 bobus legi audivi et amplexatus sum. Accepi acceptumque ser-  
 5 vabo Iohannem ipsius nepotem, quo nil suavius et ad bonos mo-  
 res aptius vidi. Sed cum illum revocare statuit, ad vos redit. Ut  
 vides, consilium domini Nicolai ut prudentis et honeste suspecti  
 laudo ; nam hisce in rebus praestat nimis esse suspectum quam  
 parum diligentem. Eum igitur ut probo et admiror, ita malignum  
 10 auctorem improbo qui hauc excitavit malitiosam suspicionem ;  
 quid facit avaritia ! Inter veniendum, cum in cimba simul essent  
 omnes, quidam civis bononiensis cum causam adventus persen-  
 sisset, reprehendere consilium coepit et civitatem hanc inde carpere,  
 mox sese suscepturum adulescentem domi et educaturum pro  
 15 eius nobilitate pollicitus est. Is ergo, ut hic fuerunt, dissuasit, ut  
 cooperat, et perisse quosdam morbo criminatus est, quod falsum  
 est. Nam G*<uilielmus>* Capellus, cuius officium est res huius-  
 modi indagare, ad unguem rimatus est negotium et comperit  
 quendam pauperis fortunae virum frigore captum caput intumuisse  
 20 atque guttur et dies XV aegrotasse. Quid plura ? Principes no-  
 stri harum timidi rerum, tamen hic securi manent ; illustris Leo-  
 nelli uxor Mantua est nuper accersita, quod factum non esset si  
 quid timendum obtigisset. Laudo tamen consilium et adulescen-  
 tem ad tempus remitto, ea lege ut mihi quam primum revocabo  
 25 restituat*<ur>* ; statui enim de domino Nicolao omni cura et di-  
 ligentia bene merere et puerum *<morem>* ad Italum ab incuna-  
 bulis formare. Vale dulcissime et d. Nicolao me commenda.

*<Ferrara 1438>*.

---

732, 6 ut] et cod. | 11 interveniendo cod. | 15 furut (?) cod. | 19  
 intimuisse cod. | 21 invidi cod. | Leonellus cod. | 24 revocato cod. |  
 25 omnem cod. | 26 merere et virum ad Italum cod.

## 733.

(Riccard. 924 f. 200; Novar. Capitol. 122 f. 171<sup>v</sup>; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 104 che non ho veduto).

Guarinus ill.<sup>mo</sup> principi d. Leonello Estensi sal.

Si vales et ipse valeo.

Quantae sint consuetudinis vires, Leonelle princeps, cum alia plurima tum vero ipse mihi documento sum; qui cum in dies te visendo et intima tecum familiaritate ratiocinando suavis- 5 simum vitae tempus agere soleam, nunc quia id meo more non licet et tua te mihi intercepit absentia, iniocunde vivere et solus videar, siquidem convivendi tempore non tam fortunam tuam statumque magnificum ipse contemplari consuetus sum, quam mo- res ornatissimos Nestoremque gravitatem senilemque prudentiam, 10 quibus effecisti ut iocundus beatusque convictus tuus existat et quovis amplissimo gradu dignus iudiceris.

Quid igitur agam? patiarne hoc ipsum disiunctionis iners et tacitum abire tempus, potissimum cum ea in re mihi ipse mederi valeam, ut si non simul esse, at simul loqui licitum sit, cum 15 praesertim litteris quasi quodam perpetuitatis condimento tuam de me recordationem servare ac tueri possim? Quid autem hoc potius tempore scribam, quam virtuti tuae gratuler? in quo ab illustri parente iussus et legatus avita castella, non infimam agri partem, vestro reddis imperio et membra corpori dudum abscissa 20 reconcilias. Videre video non solum incolas ac populos et nymphas fluviatiles, sed etiam campos arva neinusque tuum ad adventum gestientes, cum te serae quidem libertatis donatorem seu reparatorem post annum XLV quasi divinitus missum aspicerent. Quot die festos, quot resonantes undique cantus atque choreas, 25 quam crebras per compita fistulas, quam frequentes per concilia coronas fuisse vaticinor cum passim quasi natales quisque dies et honore praecipuo celebrandos agerent. Nam pro innata Estensi sanguini liberalitate clementia mansuetudine regni vestri iugum

---

733, 6 meo] modo *codd.* | 9 consecutus (consequutus) *codd.* | 14 mihi soli *Nov.* | ipsi *codd.* | 22 ad] ac *Nov.*, *om. Ricc.* | 25 quam se resonantes *Nov.* (= quamve?) | 26-27 continua coronatas *codd.* | 29 libertate *codd.*

30 quoddam licentiae ac libertatis genus arbitrantur et praedican  
vobisque servire malunt quam sub alieno iugo dominari. Ubi Titi  
Flaminii Romani imperatoris factum venit in mentem, qui Olympi  
orum celebritate cum plerisque Graeciae populis libertatem et  
suis vivendi legibus licentiam restitueret, tanta est oborta laetitia  
35 et adeo ingens sublatus est clamor, « ut volantes desuper aves ex  
vocum magnitudine et crebritate percussas et attonitas decidisse  
constet ». Hoc est veri principis officium, otia subditis, tranquillitatem  
tutelam salutem comparare, ut cum illi quidem quiescant.  
tu labores, illi vacuo, tu autem sollicito sis animo et, uti dicitur.  
40 subditi tuis dormiant oculis utque brevi praecidam « non tibi soli  
sed amicis et patriae te natum esse intelligas ».

Ceterum cum ad lares patrios re bene gesta remeare continget, patrum plebisque consensu musae ipsae triumphum decernent. Id autem honoris genus eo tibi iustius decernitur quam  
45 priscis illis ducibus et imperatoribus, quo ab ingenti mortalium strage et urbium ruina idest ab crudelitate et inclemencia illis triumphnare concessum est, tibi vero pro aucto conservatore regno hoc ipsum decus reddetur. Quod si tua pro modestia renues, saltem pro tua in deum pietate ad agendas pro acceptis  
50 beneficiis gratias aliquot dierum supplicationes indicentur; quae quidem beneficia et cetera dei munera ut perpetuo felicia fausta que serventur opto atque oro.

Ut adiecto salis condimento, id enim est quo res in nostrum usum sapidores sinceroresque gustantur atque perdurant, dicturus eram vale, cum tui monumentum et pignus amoris coturnices allatae sunt; quas quia frigere animadverti, iter enim nocturnum frigidiusculum esse coepit, illico veste deposita prunis obversari iussi; ubi vero satis concaluisse visae sunt, mecum in superiore mensae parte discubere preecepi honoris causa: sic enim ad me  
60 tuis nuntiis facere convenit siveque ius cogit hospitii. Vale, mi Leonelle, et illustrissimo genitori et domino meo benignissimo me humiliiter etiam atque etiam commenda.

Ex Ferraria <settembre 1438>.

---

32 imp -Rom. - Nov. | 35 subactus *codd.* | 39 et] ut *Nor.* | 40 preadem *Nor.*, preadem *Ricc.* | 53 ut] et *Ricc.* | sale *codd.* | 55 vale enim vale tui *codd.* | 56 inter *codd.* | 57 prius observari *codd.* | 59 parte mense *Ricc.*

(Ferrar. 107 NA 4 f. 4).

Leonellus Guarino p<sup>r</sup>aceptor<sup>i</sup> suo p. s. d.

Tuam in omni re diligentiam caritatemque semper novi, Guarine amantissime, quae non minorem tibi famam omnium iudicio quam ipsa scientia tua singularis allatura sit; caritas enim alias omnes virtutes, ut a sacris doctoribus habemus, antecellit. Haec 5 cum tibi peculiaris sit, abs te negligenda non est cumque munus hoc ab immortali deo tibi tributum sit, ipsi soli gratias agas, etsi non dignas at tamen pro virium tuarum imbecillitate, ne tam accepti beneficii immemor videaris. Quae enim res est quae magis abhorrens alienaque a deo sit quam ingratitudo et propter 10 quam deus ipse contra nos magis irascatur? quis ignorat quam graviter quamque acerbe ob ingratitudinem Hebraeos deus ipse affecerit et quam perasperrime in huiusc generis homines animadverterit? Multa memorare possem quae scribendi labore omittam: sic enim tardus effectus sum, ut cum calatum ad scriben- 15 dum accipio, trabem et quidem ponderosam sumere videar. Nam necesse erat quod litterae tuae me somnulentum et inertem expegeferent tum ut solitam meam linguae rubiginem abstergerem, tum etiam ut aliquid oblectamenti hoc potissimum tempore mihi praestares, in quo veluti iocundissimo in diversorio quam 20 lubens quiesco et ita quiesco ut nullum alium penitus codicem desiderem, cum litterae tuae in manibus mihi sunt: tanta est in eis dicendi vis et sententiarum gravitas et copia. Nec velim putas me solum « in ea esse haeresi », verum et Ludovicum Casellam et Ugutionem Abbatensem, delicias nostras, qui gravius et magis 25 medullitus quam ego tyrunculus sentiunt degustantque. Quid dicam de illa mira inventione ac prope divina, qua omnis indubie non huiusc aetatis solum oratores, verum etiam priscos illos si non exuperas, saltem aequas? nonne eam et admirari et laudibus prosequi debemus? Plura dicturus eram, sed de te silere satius 30 esse duxi, ne incomptum meum dicendi genus dignitati tuae potius derogaret; resonantissimam nanque tubam « semper honos nomenque tuum ac laudes merentur ».

Quod vero mecum congratularis de Policini liberatione et de  
 35 triumpho quem mihi, ut aīs, musae decernunt, facis amice; qua  
 in re et tibi et musis gratias habeo agoque; sed mediusfidiū  
 longe maiorem laetitiam excepisse te arbitror quam litterae tuae  
 declararint. Scribis praeterea quam humaniter quamque benigne  
 nuntios meos exceperis, qui nisi a te calefacti fuissent pro iure  
 40 hospitii, ingens quoddam periculum incurrisse. Verum ut abs  
 te accumulatius et aequius se esse acceptos gloriari possent, tua-  
 rum partium erat depositas vestes suas ipsis restituere, perinde  
 ac sibi summa cum iniuria detractas. Illud etiam laudabile magis  
 erat, ut honor mittentis servaretur, si ornatores in mensa discu-  
 45 buissent cum suis vestibus aureis et diversicoloribus. Ex priori-  
 bus litteris tuis satis superque satis (*sic*) gratitudinem tuam no-  
 veram; sed cum secundae mihi allatae sunt, eam in te esse uberi-  
 us et fusius intellexi et ita intellexi ut sine controversia atque  
 iure optimo dici possit, quod in ea cunctos mortales facile exu-  
 50 peras. Cras Ludovicus istic erit una tecum; ab eo mandatum et  
 cetera id generis pro tua in Lendenariam vel Rodigium introduc-  
 tione accipies. Valitudinem tuam, p̄aeceptor egregie, cura di-  
 ligenter.

Coparii VI kal. octobres <1438>.

### 735.

(Marc. it. X 349 autogr. di A. Zeno, X 101 f. 246<sup>v</sup> e Marc. lat. XIV 221  
 f. 36<sup>v</sup>: dal cod. Sambonifacio; cfr. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX,  
 1910, 82).

Guarinus Veronensis cl. v. Ludovico c<omiti> S. Bon<i-  
 facii> sal.

Optavi iam diu aliquot furari occupationibus meis dies, qui-  
 bus tecum esse tecumque vivere possem. Quod hactenus non po-  
 5 tui, fortuna <ef>fecit; nam cum suspicio mali magis quam  
 malum praesens multos cogat sua de salute providere, ne solus

sapere velle reprehendar, statui me ad te, idest Lendenariam, cum familia transferre. Itaque mitto qui domum mihi conducat, quam ad rem tuum invoco consilium atque auxilium; tu cum sis natus ad liberalitatem et ad hominibus bene faciendum, immo et 10 tuum cognomen id profiteatur, me non repudiabis scio, quem protua benignitate diurno complectaris amore. Ad tuos igitur fac me volare complexus duodecim cum filiis, quos tibi servitores recognoscas. Vale vir magnifice.

Ferrariae 26 septembris 1438.

15

### 736.

(Riccard. 1239 f. 198<sup>v</sup>).

<Contrarius Guarino Veronensi s. p. d.>.

Vehementer doleo, mi Guarine, ut paucis respondeam litteris tuis, quod de edibus nostris Lendenarie rem tibi gratam facere nequeo. Nam, te inscio, genitori meo verba feci, cui non visum, et bono quidem respectu, ut ipse ait, morem tibi gerere. Causam 5 ignoro. Ego vero voluisse pro commodo et salute familie tue, que fluctibus agitatur, me ipsum facere domicilium: tanta est mea in te caritas et benivolentia. Dices forsitan, quo pacto verba fecerim te inscio. Videram enim litteras quas Ludovico Caselle scripseras pro domicilio Hugutionis habendo. Idecirco amici causa, 10 idest tui, experiri volui fortunam.

<Ferrara fine di sett. 1438>.

### 737.

(Wolfenbüttel Aug. 2.<sup>o</sup> 83, 25 f. 92 = G; Monac. lat. 5639 f. 39 = M; Kremsmünster 10 f. 270<sup>v</sup> = K).

<\*\*\*> Guarino Veronensi apud comitem Ludovicum de Sancto Bonifacio s. p. d.

Superi et dii boni faveant tibi, decus et honor patrie ac re-

735, 11 *cognomen*: cioè Boni-faci.

737, 1 Guarinus Veronensis ad comitem Ludovicum de S. Bonifacio s. p. d. G, Epist. Guarini ad comit. Ludovicum de S. Bonifatio MK.

focillatio amicorum. Tu enim vitam ministras, tu vivificas, tu de-  
 5 nique spiritum sufflas in corpora egra et muta et sine voce ra-  
 dicitus mirabiliter loqui facis. O splendidissimum dei lumen o-  
 munus perpetuum! Unde nam, unde nam hec conspiratio est,  
 quod solum ager Lendinarius te detinet, unde agrestes illi scurre-  
 tam grande donum vendicare ausi sint? scilicet ut eo omnes ve-  
 10 hementissime accurrant? Si fas igitur est, te transferas ad eos  
 dixerim, qui te iam dudum in studiis liberalibus avidissime ex-  
 petiverunt. Alias de duobus alterum: aut desperatos amicos facies  
 aut indubie studia hinc ad Lendinarium oppidum transducentur  
 ea sola opinione ut tecum intendentem communicent, fruantur  
 15 voce et presentia tua, a qua nullus recessit quin doctior et ami-  
 cabilior fuerit. Illud ignorare te nolim, quod ille tuus vitalis spi-  
 ritus Gaspar ita me sua ingasperatione afflixit, quod vix tibi  
 scribere valeo. Verum enimvero ita estu avidius tentus sum, quod  
 effigie sua emens non sim. Unde hoc processit tu ipse tecum  
 20 considera, cui et idem contigisse credo: Non quidem humanitas  
 hoc sibi traditur, sed miseratione quadam divina pre ceteris spe-  
 cialiter vendicavit. Unde ab eo convictus sum nec quiescere pos-  
 sum, nisi semel dietim in conspectu habeam. Sed hoc satis. Mo-  
 leustum est quod se non exhibet; qua de re exhortare eum lit-  
 25 teris tuis velis et moneas et imperes, qui solus, ut ait, imperare  
 potes: unde tua sit hec gloria. Vale salus et spes mea.

<Ferrara primi di ottobre 1438>.

---

7 unde nos (*vel vos*) unde nam *codd.* | 8 lendenarius *K* | 11 sunt *K*  
 | scilicet et omnes *G*, scilicet omnes et *MK* | 11 te qui *K* | expecta-  
 runt *GM* | 13 transducerentur *G*, - retur *M* | 16 fuerit] fiat *M* | nolui  
*codd.* | 17 Guaspar *MK*, Caspar *G* | inspiratione *G* | 18 ita extum tam  
 ardius *G*, ita extrinsecus aut ardius *MK* | 18-19 quod effigie - sim.  
 Corrotto; il senso pare: che quando lo vedo non sono pazzo | 23 con-  
 ceptu *MG* | 24 exhortaris *K*.

## 738.

(Marc. it. X 349, autogr. di A. Zeno, dal cod. Sambonifacio; efr. A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 82).

<Guarinus Veronensis Ludovico comiti S. Bonifacii sal.  
pl. d.>.

Tuarum litterarum humanitate. « Li chiede legna ed altro  
pel bisogno di sua famiglia numerosa ».

Ex Rodigo VI oct. 1438.

5

## 739.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 102).

Guarinus Veronensis d. Iacobo R.<sup>mo</sup> in Christo <patri>  
sal. <pl.> d.

Quaedam amoris signa ab iis tradi video qui de amicitia  
praecepta nobis reliquerunt, ex quibus illa vel praecipua sunt,  
ut amicorum bonis laetemur, adversis doleamus: id quod in amo- 5  
ris in te mei documentum mihi nuper obvenit. Nam ut episcopum  
te Reginum designatum esse nuntiatum est, tanta me statim lae-  
titia invasit, ut vix apud me essem; quod profecto non fuisset,  
nisi amicitiae id vis efficeret, quae res amicorum iubet esse com-  
munes. Campum tibi iam praestari video, ubi tuae quibus splen- 10  
des artes excurrant certent coronenturque. Accessit quidem di-  
gnitas honorque et episcopalnis, ut sic dicam, habitus. At vero  
virtutes ipsae ac doctrina, quibus illa priusquam assequereris me-  
ruisti, duduim antea notae fuerunt et celebratae, de quibus saepe-  
numero periculum cum laude feceras. Nobrietas continentia huma- 15  
nitas integritas liberalitas sic in te vigent, ut bonorum iudicio  
quovis gradu <dignus> et credereris et dicereris; divina adeo  
studia colis, ut quod legendo probas improbasve, vita ipsa imi-

teris vel abhorreas. Haec atque alia religiosi hominis signa et  
 20 argumenta cum in te velut in speculo express*<i>us* elucent,  
 quis dubitabit episcopum te bonum et sentire et appellare? modo  
 episcopalem dignitatem vita moribus officio magis quam ancilla-  
 rum ac ministrorum numero, et gravitate magis quam purpa-  
 censere velimus.

25 Quae cum ita sint, tibi pro mea in te pietate ac observantia  
 gratulor, praesertim cum virtuti atque artibus bonis istam colla-  
 tam esse dignitatem intelligam; quibus, quasi auspiciis prosperis,  
 doctis ac probis innata spes est hominibus eminere atque adeo  
 emergere posse, cum mali ac inerudit*i* quandoque illis insultare  
 30 audeant et insurgentes iactare: « Aurea sunt vere nunc saecula,  
 plurimus auro venit honos, auro conciliatur amor ». Quos te ipso  
 proinde *<gravissimo>* ac verissimo teste confutare iam licebit  
 et tuo ex facto elingues mutosque reddere. Vale iam pater op-  
 time et illustribus dominis nostris genitori ac nato me intime  
 35 commenda.

Ovid. A. A II  
 277.

Ex Rodigio XXIIII ianuarii <1439>.

## 740.

(Balliol 135 f. 127).

Guarinus Veronensis illustri principi domino Leonello Estensi  
 sal. pl. d.

Tua in me caritas et benvolentia, cuius sexcenta edidisti  
 testimonia, me invitat ethortatur ut aliquid ad tuam scribam  
 5 magnificientiam cum meas hilari fronte et laeta mente accepturus  
 sis litteras, quibus absens praesens fore videor. Nos itaque scito  
 vir humanissime hunc in locum tuo ductu et auspicio laetos et  
 incolumes adventasse, ubi ab oppidanis sumus hospitaliter ex-  
 excepti; nam cum et fama et litteris intelligent quam tuae huma-  
 10 nitati gratus acceptusque sim, ultro se suaque offerunt, « adven-

---

22 ancillarum] nullarum cod. | 29 in inerudit*i* cod. | 36 XXIIII  
 kal. cod.

Ter. Eun. II tum gratulantur » et nostra gratis introferri advehique permittunt.  
2, 28. Quae cum de tuae liberalitatis fonte manent, ingentes et immortales tuae magnificentiae deberi gratias et sentio et profiteor. Ceterum quibus verbis aut quibus rebus dignas tibi grates aut dicam aut referam prorsus ignoro. Quod non tam ob ingenii ru-  
ditatem inopiamve proficiscitur, quam ob tuorum immortalium me-  
ritorum magnitudinem ac multitudinem, quibus effectum est ut  
ad referendas gratias vel saltem significandas nulla facultas  
<praestetur>, nulla satis sit oratio. Verum me ipsum ita con-  
solor quod satis tuae magnificentiae ipse videtur animus quem 20  
tibi dedidi tribui dicavi, ut cum tuus « et usu et possessione  
sit », meus esse desinat. Me igitur ut rem tuam augere servare  
ornare perge et ita perge ut tam apud posteros quam etiam  
praesentes Guarinus Leonelli dicatur.

Et quoniam gratissimum tibi esse sum multotiens expertus 25  
quom ad liberalitatis actiones invitaris, non desinam meorum tibi  
commendationem porrigere. Filium Manuelem ut nosti clericatu  
dicavi, ut ecclesiae ope virum praestantem ecclesiae alam et  
educem. Itaque si qua hoc tempore praestetur occasio, qua filii  
commodis consulere valeas, eum ipsum ut in memoria teneas oro 30  
atque obsecro. Ei siquidem cum tua humanitate consultum suc-  
cursumque fuerit, magna in educatione tot liberorum sollicitudinis  
pars erit adempta. De his hactenus.

Res huius loci quietae tranquillaeque sunt, licet suspicio  
nonnullos teneat. Quis enim securus animo esse queat, cum tan- 35  
tum et terribile bellum prope intonet? sicuti cum proximum ar-  
deat aedificium, vicinos non pavere et aquaria vasa in promptu  
parata non tenere stulti aut somniculosi prorsus est. Accedit ad  
formidinem finitimorum fuga hunc in locum. Videre licet in dies  
et in horas armenta gregesque et pavidas longo ordine matres 40  
puellos aut collo baiulantes aut sudore ac pulvere oppletos per  
viam trahentes: hinc eiulatus hinc lacrimas hinc belli execratio-  
nes et detestationes in malorum auctores sentire; et quod misera-  
bilius est, non hostem sed defensores fugitant. Quid rapinas

---

740, 11 advehique] ad hoc hique cod. | 12 manant cod. | 18 facul-  
tas] faEta (sic) cod. | 35-36 cum tum exterribile bellum cod. | 42 exer-  
citaciones cod.

45 caedes adulteria raptus virginum et quidem immatur< r >imarum dicam? Saxeus est qui ad tales nuntios siccis est oculis; horum exempla nisi videntes moveant, imprudentia est. Una tamen consolatio lenit indigenas vestrosque subiectos: vestra scilicet sapientia, sub cuius umbra conquiescunt; nec si timendum est, a 50 vobis neglectum iri putant. Vale vir illustris.

E Rodigio VII kalendas maii <1439>.

### 741.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 62<sup>v</sup>; Bergam. A II 32 f. 118<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis illustri principi d. Leonello Estensi sal.  
pl. d.

Cum tua in me caritas omnibus cognita et perspecta sit,  
facere non possum quin potentibus litteras ad tuam maiestatem  
5 commendaticias dem, ne aut superbus videar si denegem aut hu-  
manitati tuae parum fidens; id autem eo in praesentiarum liben-  
tius facio, quo amantibus uxores suas magis magisque faveo. Ecce  
hic qui has tibi reddet tuam imploratus opem venit, ut revocare  
posset eius uxorem, quae si sua vocari debet, cum altero eo in-  
10 vito manere non debet. Ioanni igitur Pegullato veneto, sic enim  
appellatur, verbis multa <promittes licet> inanibus demumque  
spem bonam ingenerabis, ut etsi uxorem non recuperabit, tamen  
recuperandi spe cariturus non videatur. Spes enim est quae pa-  
scit amantem, qui persaepe vel risu « vel laeto saturatur ocello ».  
15 Sic et hilaris a tuo conspectu discedet, quod maxime principis of-  
ficium est; et sic rediens amplissimis verbis mihi gratias dicet.  
Vale princeps optime.

Suet. Tit. 8, 3.

Rodigii nonis iunii <1439>. Vale.

48 *vestra] vestras cod.*

741, 3 cum Ber., qui corr. in quo Fer. | 9 possit Ber. | 10 Pegul-  
loto Ber. | 11 denique Ber. | 12 etiam si Ber. | 13 recuperandi om.  
Fer. | 15 sic igitur Ber. | 16 sic} is Ber.

## 742.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 63; Bergamo Δ II 32 f. 119; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 209).

Guarinus Veronensis ill. principi d. Leonello Estensi sal. pl. d.

Solitas accepi litteras tuae magnificentiae et quae de tuae liberalitatis officina exisse apparent. Nam cum semper compluribus placere ac prodesse studeas profitearisque, in concedenda nostris conterraneis licentia domus conducendae a te ipso non discessisti; quiique in tuis etiam rebus donandis promptissimus es, in hac ipsa re non liberalis esse non potuisti. Deum autem immortalem supplex oro, qui labores hominum videt, ut sic illis remeare proprios ad lares liceat et quidem brevi, ut hanc ipsam conducere domum necesse non sit; idque non procul fore vatici-

Verg. Aen. 1 nor « ni frustra augurium vani docnere parentes ». De his satis.  
392.

Quoniam vero abs te tam cito discedere molestum est, qui serendis tecum sermonibus mirifica delectatione teneor, faciamus aliud collocutionis initium. Soleo in scribendis ad te litteris prisco de more et ab huius aetatis hominibus doctis probato sic incohare: « Guarinus Veronensis d. Leonello sal. pl. d. ». Tu autem in rescribendis post omnem scriptorum seriem et in ima paginae margine tuum subseribis nomen. Quod si meum humile sane nomen praeferri improbas, quia tu antecedere, ego subsequi debeam, facile respondebo, non ideo subditum principi anteponi, quia in oratione verbum verbo praeponatur, nec minorem supra maiorem ponit, quoniam casui casus anteponatur; ut cum dicatur: « miserere mei deus », non deo me praefero, quia generandi causa casum vocandi praecessit. Adde quod hic scribendi tenor et ordo adeo tenaciter servatus est, ut minores magistratus et inferioris gradus mortales ad senatum romanum scribentes sese preferre non dubitarint. Quod si idem scribendi qui et sedendi locus et dignitas retinenda est, pro decore locutum me non ibis inficias. Medius

---

742, 4 quamplurimis Ber. | 10 remeandi codd. | 13 vero] non corr.  
in mihi Ber. | 17 veronensis om. Ber. | 18 ima] una codd.

- 30 nanque semper habitus est apud maiores et sedendi et scribendi  
 locus dignior, Salustio teste ac Virgilio, apud quem discumbens  
 Dido « aulaeis iam se regina superbis aurea composuit sponda  
 mediamque locavit ». Hiempsal quoque medium inter se ac Iu-  
 gurtam fratri locum sedendi destinat. Quae cum ita sint, ne  
 35 meum scribendi morem tum ratione tum exemplo laudatum impro-  
 bes oro. Quod si priorem locum et digniorem appellas solisque  
 convenire principibus affirmas, tuum, cum rescribis, nomen in  
 epistularum fronte praepone, meum ea a sede in litterarum calce  
 residere vel iube vel patiaris.
- 40 Haec ad tuam humanitatem ioco dixerim, dum scribendi et  
 quasi colloquendi materiam mendico. Nam dum externae nostros  
 inundant agros aquae et instantem perturbant messem, quod va-  
 stitatem desolationemve minatur, ni siccitatem Mars superinducat,  
 sic animo crucior ingeniumque confunditur, ut vix nulla suppetat,  
 45 nisi quam exteriora <praebent>, materia. Illum autem Graeculi  
 serinonem imperitum quidem et barbarum et quovis opilione di-  
 gnum in latinum converti conversumque transmitto. Vale, mi  
 princeps, et me intime commendatum assidue tene.

Ex Rodigio VI id. iunias <1439>. Vale.

### 743.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 461 f. 4<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis claro viro Feltrino Boiardo sal. pl. d.

Vereor, eques insignis, ne diurno silentio mutescam vel  
 saltem loqui dediscam, praesertim cum haec ipsa res sicuti exer-  
 cendo crescit ita per desuetudinem diminuatur et sensim pereat.  
 5 Aspicimus ut vomeres ipsi, qui per usum attriti splendescunt,  
 quiete sordescant et per glaebas lentescant. Ne a te discesseris,

---

28-30 qui et sedendi — scribendi *om.* *Fer.* | 33 locavit. hinc Salustius  
 quoque medium intense *Fer.* | 37 asseribis *Ber.* | 38 ea] ut *codd.* | 43  
 ni siccitatem] necessitatem *Ber.*, che resta qui in tronco | 44 ut vis nulla  
 suppetat nisi quod exteriora materiam *cod.*

743, 4 sensus *cod.*

*Aen.* I 697.

*Sall. Iug.* 11, 3.

quam levia sunt arma militi, si cursando pugnando certando frequenter exerceas! quod si usum diutius remiseris, et tua gravior lorica videtur, gladius lentius testudine crispatur, vigilare interdum, equitare, pabulari mors quaedam videtur, adeo ut cum 10 dextras conserendi tempus et necessitas cogit, veteranum facile tironi cedere videas. In hunc igitur digitorum soporem et linguae rubiginem ne incidam consilium est, cum hoc morbi genus crebris scribendi vicibus aut evitari aut abstergi possit. Ceterum ad incohandum senior sum non tam culpa mea quam causa tua, qui 15 ut genere sapientia dignitate excellis, ita et sermonis initium prior introducere debueras; haud enim deceret gregarium militem imperatore praesente contionem in corona et frequenti quidem habere, ut si Thersites coram Agamennone orationem ordiatur, rideatur exhibetur explodatur. Praeterea cum soleam iocundos 20 facetos, iocis refertos pacique familiares tecum serere sermones, tanti bellorum strepitus, armorum voces, tormentorum fragores ob aures animosque quaqua versum crepitant, ut somnus vigilia sermocinatio inter arma consumatur: patriam adeo diripi, viris insignibus orbari, civium mortibus desolari, custodibus non minus 25 quam hosti praedam iacere. Quocirca qui tibi voluptati esse stilus debebat, maerori fuisse, si tibi scribere ausus essem, cum nil nisi triste ac miserum et huic aptum tempestati excogitare possit ingenium. Tuum erit, eques splendidissime, si quid pacis usibus togaeque conveniens habes, qui procul ab hisce belli miseriis 30 abes, aures tuis amoenis scriptis demulcere, ut cum voluptate a maerore desuescam, in priscas confabulationes nostras redeamus, sales repetamus in cachinnosque solvamus, quibus cenas condire et breviores noctes facere solebamus. De his hactenus.

Istic esse audio equitem insignem Iacobum Lava<gnolam> 35

Ovid. Met. IV 479. conterraneum meum « qui sese tulit ad caeli melioris auras ». Is est patriae decus alterum; eum magnificentiae tuae etiam atque etiam commendo. Guilelum Capellum salvum esse cupio, qui nunc sponte sua nunc litteris invitatus ad me scribit aut rescribit.

---

7 curansdo cod. | 12 saporem cod. | 14 absergi cod. | 17 decere Guegurium cod. | 18 praesentis cod. | 20 factos cod. | 22 tronitorum cod. | 23 sonus cod. | 24 diripi cod. | 26 praeda cod. | 29 paci visibus co-geque cod. | 39 non sponte sua non cod.

40 Istum tamen Pizzicollum ad indagandum vetustatis aliquid instigari cupio vel in bibliothecis vel in marinoribus. Vale equestris splendor ordinis.

Ex Rodigio III kalendas iulias <1439>.

### 743 A.

(Bergam. A II 32 f. 106v).

Guarinus illustriss. d. Leonello sal. pl. d.

Vereor interdum, princeps amplissime, ne tibi in scribendo ineptus aut sim aut videar, qui, magnis cum sis occupatus negotiis, meis tamen te scriptis detineam et obtundam. Quod ita esse 5 vel hinc facere coniecturam licet; nam cum aliquot tuam ad magnificentiam scripserim epistulas, quibus responsum nullum adieceris, occupationibus te destineri vaticinor. Solebas nanque protua benignitate ad singula mea scripta rescribere: nunc autem qui scribendi tempus non habes, nec legendi quidem otium fortasse nactus es. Quid igitur faciam? tacebo? parum erga tuam amplitudinem venerationis habere videbor, quem pro tuis immortibus beneficiis ut deum in terris colere et observare debeo: idque pro meo officio facio. Scribam? at inepte facere dicar, qui tuarum rationem occupationum nequaquam habere videar. Sicut 15 ergo cum occupatos visimus et salutamus, breviore sermone contenti discedimus, sic brevi ad te veniens epistula, cum venerabundus salvere te iussero, valere te feliciter dicam, nisi, ut prolixiore te oratione fortassis oblectem, socium tibi mensae sodalemque detinueris. Quod abs te exorare cupio illud in primis est, 20 ut Guarinum tuum sic memoriae fixum firmumque teneas, ut nullum temporis intervallum, nulla locorum distantia ab ista tua me recordatione per oblivionem aboleat amesque eo pacto, ut vehementis caritas me tibi quovis in loco faciat esse praesentem. Vale princeps humanissime.

25 Ex Rodigio pridie nonas iulias <1439>.

40 pichigolum cod.

743 A, 15 occupatus cod.

744.

(Marc. lat. XII 149 f. 2; Padov. Auton. XXIII 645; cod. del conte Hans Wilczek di Vienna f. 6, cart. del sec. XV. I codici contengono la *Polydoreis* del Baratella, accompagnata dalla dedica a Guarino e dalla risposta di questo; più da lettere di altri al Baratella).

Polidoreis Anthonii Baratelle Laurei Patavi ad Guarinum  
Veronensem oratorem et poetam singularem.

Celsior in cancro ferventes Phebus agebat  
Quadrupedes, orizonta rotans : tunc mente quietus  
Tempe per ad fagos umbrosas forte sedebam.  
Alterne Aonides hilaris complexus amenas,  
Gustabam sua labra labris ; sua pectora casto  
Pene exerta sinu strinxi furibundus, ut olim  
(Dicere nec pigeat) precordia prorsus ephebe  
Nostra oculis arsere procis. Quis pulcer et audax  
Si sapit Aonie neget hec incendia gentis ?  
Unanimes sequimur modulis Anthenora clarum,  
Euganeos quo marte domet, quo numine condat  
Magnam urbem, Patavis extendens commoda sceptre  
Res ea difficilis longo discreta paratu  
Enervat plerunque animum, vox integra sepe  
Rauca fit, altisonos erumpens sedula cantus.  
Gutture iam fessus musas prope linquo parumper  
Nature secreta putans. Hic sidera motu  
Cumque suis tropicis varios speculabar et orbes.  
Posthac illustris legi Astiana<c>ta poete,

744, 1 Il sole entra ora in Cancro il 22 giugno | 3 *Tempe* = valle in | 4 *alterne*, avverbio | 7 Con *ephebae* intenderà la fanciulla che poi divenne sua moglie; questo genitivo va congiunto a *oculis*; si ammogliò due volte, cf. A. Segarizzi *Antonio Baratella e i suoi corrispondenti* p. 9 e 21 | 10 Il suo poema *Antenoreis*, a cui allora attendeva e che non c'è arrivato, Segarizzi p. 54 | 12 *Pataris* dativo plurale | 17 *putans*, meditando | *sidera*, pare che leggesse un'opera astronomica | 19 Il poemetto *Astyianax* di Maffeo Vegio. Alla composizione di questo poemetto rimane con ciò assegnata una data anteriore al 1439. Sulle edizioni cfr. M. Minoia *La vita di M. Vegio*, Lodi 1896, 69 n. 2.

20 Tot Vegii figmenta probans : in secula nomen  
 Carmine conspicuo, taceat sicophanta, meretur.  
 Hic aderat Pallas, Carites dulcemque Cariston  
 Alliciens audire sonos ; sic inquit amanti :  
 « Quod, Baratella, legis, vates plerosque saporat.  
 25 Est hoc, cum claris sit amor gravitate poetis,  
 Quem nutrit Phebea fides ; ubi livor acerbus  
 Regnat, ibi non est verax et digna poesis.  
 Iamque aliena sinas, satis est hec lectio. Sensus  
 Matures si mente sacros, tibi gloria surgit  
 30 Ex aditu Phoebi, renovant ubi plectra choreas.  
 Hectoris Astianas, Priami Polidorus iniqua  
 Morte cadunt, heu quale scelus ! sed primus avenis  
 Inclitus est Senece, felix Elicone Maphei.  
 Te tamen ut recrees, Polidori carmine parcam  
 35 Eternes, Baratella, celer. Maro sepe iocosis  
 Versibus allusit, caneret dum nobile carmen.  
 Si fuerim bello Theucris adversa, colebam  
 Priamidem. Documenta parans per cuncta figurat  
 Membra Helenum noster vates : fuit ille sacerdos.  
 40 Hoc opus assignes sincera mente Guarino,  
 Qui nostra virtute sapit, qua greca latinis  
 Miscet et est Latio famosus utrisque sophiis :  
 Orator summus, vates et summus, in omni  
 Est vivax sermone stupor. Sic laude perennis  
 45 Est talamis sponsus, qua Stilbons emicat, Ebbes.  
 Liber hic est Gilias, Cato clemens, ampla Metellus

22 *Cariston* : non intendo ; forse *Callisto* ? | 25 *Est hoc*, cioè questo  
 avviene quando i poeti si amano | 26 *quem* scil. amorem | 28 Smetti di  
 leggere le cose degli altri, componi di tuo | 30 *aditu* = adytis | 32 *primus*, Astianatte | 33 Senece, nelle *Troades* | *Elicone* = carminibus |  
*Maphei*, Vegio | 36 Il *nobile carmen* di Vergilio è l' *Eneide*, nel cui libro  
 III 19-68 si tocca di Polidoro. Sul contenuto della *Polydoreis* vedi Se-  
 garizzi p. 45-46 | 37 *si* = etsi. Pallade fu avversa ai Troiani durante la  
 guerra | 39 *noster vates*, Vergilio, che tratta di Eleno nell' *Aen.* III 294-505  
 | *ille*, Eleno | 44 Tutti ne parlano con ammirazione | 45 *sponsus H̄bes*,  
 Ercole | *Stilbons*, Mercurio, cfr. Hygin. *Astron.* II 42 | 46 *hic*, Guarino  
 il quale è paragonato, sembra, agli illustri antichi. Ma non capisco *Gilius*.

Est gratus per vota probis, Marcellus et alter  
 Relligione viget superum, tamen impare cultu.  
 Sit quia tantus apex, Nicholaus marchio ingi  
 Hestensis fervore colit: Ferrarius heros, 50  
 Grande decus Patavi, stat magnes usque virorum.  
 Ne loquar hic alios, Avicennam prorsus Ugonem  
 Ere, gazis et honore replet; replet hisce Guarinum.  
 Principe si minor es, potes hoc sperare favorem ».

Dixerat. Imperio pronus mea numina musas 55  
 Ad faciles educo modos; Elicona superbum  
 Cantibus inspirent, post gesta incepta sequemur.  
 Quale opus hoc fuerit, sumas mea dona Guarine.  
 Nullum omen Libitina ferat; que corrige, si quid  
 Senseris indignum, pandens arcana libelli. 60  
 Iudice te nusquam metuent mea plectra loquentum  
 Insidias; tibi celsa fides, qua quisque pavescens  
 Quod tibi sit placitum non audet ledere morsu.  
 Ledere quid prodest, cecidit si falce Licambis  
 Archilocus probra alta canens? Misiusque furori 65  
 Corruit acteo, texens opprobria cantu?  
 Nervi tristem obitum tulit ore Licofforus aspro,  
 Comedus ruit arte pari. Vexania lingue  
 Sepe est causa necis, dum turpes seminat iras.  
 Equum est eloquio series ornare peritas, 70  
 Humanum est reticere rudes; canat emulus artem  
 Si sapiat, magnos pravi est contemnere vates.

---

47 nota marg.: licet minus effectu, tamen mente integra et voto vigili  
 adequandus est | 49 *Sit quia*, sia pure che | 51 *Grande decus Patavi*; nota  
 marginale: Olim suus sanguis patavus fuit; ad hodiernum diem tamen  
 Hestes marchio. Questi è Niccolò d'Este, marchese di Ferrara | *magnes*,  
 calamita, che attrae gli uomini | 52 Il famoso medico Ugo Benzi | 54  
 Se non hai un Mecenate, lo puoi trovare col mezzo di Guarino (*hoc*) |  
 57 *gesta*, l'*Antenoreis* | 63 *placidum codd.* | 65 *Misius*: non capisco.  
 Anche altrove il Baratella: iambi Inventor ruit ore tumax, Misiusque poeta  
 Mopsopios riidens cecidit delusus Athenis (Segarizzi p. 62). | 67 *Nervi*  
 scil. arcus (nota marginale) | *Licofforus*: non capisco | 68 *Comedus*:  
 Nevio?

Ille ego, si nescis, sum vates, trusus ab annis  
 Primevis, peiora sequens: quem sarcina care  
 75      Obstimulat sobolis cum grata coniuge semper.  
 Ille ego sum, genuit pia quēm Musonis ad undam  
 Iam lauris Laureia ferax, quo palmite nomen  
 Urbs Laurea prius, nunc rus Laurelia sumpsit.  
 Quid michi si Muson, si Tempe trinomia lauri  
 80      Exultent in vate suo, quid carmina prosit  
 Tot cecinisse, tenet steriles quot littus harenas?  
 Est insulsus honos, labor est insulsus, egestas  
 Unde tenax insulsa venit. Pietate canentes  
 Nemo foveat, Scipio periit, cum Cesare Magnus.  
 85      Quid michi, si stupear, digito si monstrer amicis,  
 Qua pergo taciturnus inops? Ut Iuno Vacunam  
 Semper odit, sic est concors pia Iuno Minerve.  
 He simul exaugent sensum. Iunone subactus  
 Bellone nanciscor opem; sic ore docenti  
 90      Orno discipulos, humili morumque minister.  
 Sum quem magnificat Ludovicus sanguine surgens  
 Marguleo, me semper amans, qui laude serenus,

78 *Laurelia*, Loreggia in distretto di Camposampiero presso Padova  
 | 79 *trinomia*, nota marg.: rus trinonium a lauro. Altrove il Baratella:  
 In agro patavo prope Campipetrum oppidum rus est insigne trinomium:  
 Laureia scilicet, Laurea, Laurelia (Segarizzi p. 7) | 81 Ne compose  
 circa 75000 (Segarizzi p. 55); e sono anche sterili come la rena | 84  
*Magnus*, nota marg.: Pompeius. | 86 *Iuno* cioè il denaro; in un carme  
(cod. Ambr. H 38 sup. f. 40) scrive: « est ubi Iuno potens », con lo scolio  
« idest pecuniarum congregations »; e in un altro: « Laureios penates  
Iuno misella colit » (ib. f. 28); cfr. 599, 52. | *Vacunam*, intende la mi-  
seria. Altrove il Baratella: Satis est si libo Vacune Invitus (Segarizzi  
p. 19). | 88 *Iunone subactus*, costretto dal bisogno di denaro | 89 *Bellone*=  
*Minervae*; faceva il maestro di scuola. Fu condotto maestro nel  
1427 a Muggia, nel 1429 a Padova, nel 1430 a Belluno, nel 1435 a Feltre,  
dove morì il 27 luglio 1448 (Segarizzi p. 15, 19, 22, 26, 30) | 91 *Ludovicus*,  
nota marg.: Ludovicus de sancto Bonifacio | 92 *Marguleo*; il Baratella  
in un carme al Sambonifacio scrive: Marguleos proceres olim dizione  
superbos Climate in iliaco, Margule, corde geris. Cesare sub Iulio qui  
Gallos marte subegit Discutis heroem plausibus ipse tuum. Ex hoc Verone  
titulis fuit ille superbus, Quem stirpis sequitur gens animosa tue. Allieis  
hos titulos tanti, Ludovice, superstes Sanguinis, iuperii lectus ad arma  
comes (cod. Ambros. H 38 sup. f. 6).

Verone decus est, titulis formosus avitis.  
 Sospite quo sospes letor, quo interprete quandam  
 Forsan erit fors leta michi. Bonifacius heros 95  
 Nititur adversas auges michi rumpere Martis.  
 Es suus estque tuus; sim tercarius ordine tanto,  
 Ambobus pincerna manens; Ganimedis honore  
 Exultans simili magis illustrabor ad odas.  
 Tunc mea non Pliades arva et nimbosus Orion 100  
 Submergent undante lacu, tunc flamine forti  
 Tempestas aberit, sic plaudet in ethere Titan.  
 Ne te peniteat vel prosa aut carmine vates  
 Et rhetor monstrare fidem; des pignus amoris  
 Scriptis indicibus, que sint mea carmina testans. 105  
 Nam tua scripta legens relegens sitibundus, in illis  
 Tecum absens presente loquar. Si gignit amores  
 Littera et observat, celeste est littera munus.  
 Pagina semotos in imagine finxit alacri  
 Atridam Pilademque pares; his noscit Hiberi 110  
 Eous calamis animum propriosque paratus.  
 Hec dixisse sat est. Potes hoc cognoscere cantu  
 Laurigene secreta viri. Spes nostra Guarine  
 Ampla vale, ad laudes cuius Verona superbit.

<Loreggia luglio 1439>.

### 745.

(Cod. del conte Hans Wilczek di Vienna f. 4; Parig. lat. 10326 f. 5<sup>v</sup>; Marc. lat. XII 149 f. 47<sup>v</sup>; Padov. Anton. XXIII 645; pubblicata da U. Cosmo in *Rassegna padovana di st. lett. e arti* I, 1891, 188 e da A. Segarizzi *Antonio Baratella e i suoi corrispondenti*, Venezia 1916, p. 166).

Guarinus Veronensis Antonio Baratellae L<aureio> P<a-tavino> poetae illustri sal. d.

Iam dudum tacitus fuscabat pectora maeror,

---

96 *auges*, non capisco. | 97 *Es suus*, Guarino era intimo del Sambonifacio | 109 *imagine*, pensiero | 110 *Atridam*, Oreste | *his*, con la scrittura l'orientale conosce i sentimenti dell'occidentale.

Ut memini veteres migrasse Helicone sorores,  
 Aut mutas nullo mulcentes aethera cantu ;  
 Versabamque animo, quotiens est gratia regum  
 5 Pieriis captata modis, quae gloria lausque  
 Extulerint habitos sancto pro numine vates,  
 Quorum saecla diu, Baratella, obllvia sumunt.  
 Ast ubi, ceu Phoebi radius, tua carmina nostram  
 Lustravere casam divis comitata camenis,  
 10 Ambrosiae sucis et nectare condita mixto,  
 Gaudia maerorem trudunt pectusque serenant.  
 Spes est Thespiadas priscos invisere colles,  
 Temporaque haec claris revirescere posse poetis.  
 Tu canis aeterno Polydori carmine mortem,  
 15 Dignum opus altisoni, sic recte affirmo, Maronis.  
 Huic igitur nostro te propter gratulor aeo,  
 Et mihi, mirifica quem tollis in ardua laude  
 Eque humili celsum superorum in sede locasti.  
 Sic ubi solem aries transmittit ad aurea tauri  
 20 Cornua, de caeno cendentia lilia surgunt.  
 Perge igitur, molire gradum, quo diva vocat te  
 Calliope, geniusque simul, quo Pallas Apolloque  
 Et priscam Patavi celebra dehinc laudibus urbem,  
 Quam Titus eloquio famae vitaeque perenni  
 25 Consecrat : urbs geminis floret sic vestra coronis.

Ex Rodigio Policinensi sexto idus augustas 1439.

### 746.

(Padov. Museo B. P. 881 f. 24<sup>v</sup> ).

<Antonii Baratellae> ad Guarinum Veronensem.

Fulges luce, Guarine,	Grece celsa, latine
Phebi; voce soluta	5 Scribis, gloria nostri
Mirus grandia dicis.	Evi. Pierides te

---

745, 19 *aries* : in marzo | *tauri* : in aprile | 22 Verso ipermetro |  
24 Tito Livio.

Gliscunt, basia dulces  
Labris dulcibus addunt.  
Hinc tractas Elicone  
Famam cantibus altis.      10

Fama nil melius stat,  
Ex qua gloria surgit,  
Ex qua gaudia menti  
Surgunt prorsus anhele.

## 747.

(ib. f. 26).

&lt;Eiusdem&gt; ad Guarinum Veronensem.

Salve marmoree per modulos gloria patrie,  
Quem nunc doctiloquo nemipe Catullo similem ferunt.  
Vir tantus superat forsitan illum, mihi si detur  
Dicendi locus. Intelligit artes latias, miscens  
Ipsas cum Danais: inde Guarinus danae scribit,      5  
Scribit magnisonos italice nobiliter sensus.  
Sic orator adest, sic modulatur quid amori sit  
Iustum, quid tragicis, comica quid postulet ars luxu (= lusu).  
Si verum loquor, antiqua mihi det veniam virtus.  
Virtus conspicua en sive vetus sive moderna altos      10  
Comprendat titulos; en tamen antiqua magis digna.  
Cum sumnum dederit colloquii principium sacri.

## 748.

(Pad. Semin. 89 p. 41; pubblicata dal Pez *Thes. VI*, III p. 164).

Guarinus d. Leonello Estensi sal. d.

Nuper aliquot dies fama tenuit te horsum adventurum; quae res adeo mihi iocunda fuit auditu, ut iam nunc sermones instiuerem, quibus tempus aliqua cum voluptate consumerem. Ut autem indagatis campis et arvis aucupales nusquam in hac insula 5 aves abundare divulgatum est, tui spes adventus omnino sublata mea me voluptate fraudavit, quae tanta iam in me cooperat, ut non maior te praesente futura fuerit, quam absente iam te concepta fuerat: adeo te propinquum, te in oculis, te in complexibus

10 ipse finxeram. Nec ideo a te iter institutum intermissum iri putabam, quod perdices phasianos coturnices non reperiri diceretur, praesertim quia non tam aves quam homines et indigenarum benivolentiam aucupatum venire debuisses.

Ad comparandam nanque subditorum dilectionem caritatemque, quod firmissimum est in regnantes vinculum, non satis est dominorum nomen; at fama, salutatio, dextrarum coniunctio, vultus inspectio, opis promissio, quae non nisi a praesentibus efficiaces esse possunt, magnae sunt conciliandorum animorum catenae. Animo tecum vertere debebis, prudentissime princeps, paucos hoc in loco esse mortales, qui Estense sapient regimen; sub alio natos gubernaculo, consuetos sectari gubernatores, quod in brutis quoque fieri cernimus. Canes solitos optant dominos et, propter minas ac verbera, herilia non deserunt vestigia; quod si novam plaudentis manum cibos porrigitem experiantur, priscos obliiti, novellum sequuntur herum. Id eo facilius factu tibi erit, quod hic ipse maiorum tuorum nidus fuit, unde praeclaris evolarunt principes et maiores cum dignitate alas assumpserunt; ad quem si revolaveris interdum, non parvum tibi aucupium vendicasse comperies, maxime cum incolae non volatilium sed suae caritatis gratia te ventitare cognoscent. Non loquor temere; quod libentius copiosiusque coram explicassem, si aut horsum tuos cursus direxisses aut tuum ad conspectum visendi tui causa conferre me potuissem. Sed cum tempus aetas calorque revocent et equis egeam, quibus advehar, haec pauca scripsisse contentus ero.

Dum haec scriberem, nuntius e Verona venit, qui non parvam praediorum meorum cladem ac vastitatem exposuit, colonos abductos, agros incultos, villas omni prorsus exutas materia. tegulas deiectas, ferramenta evulsa, vix parietem extare. Cum autem tuam in me caritatem considero, daimna obliviscor omnia: tu mihi rus, tu mihi villa, tu mihi omnis es opulentia, et modo me ames, Croesum Crassumque divitiis supero. Vale mi rex et domine.

Ex Rodilio pridie nonas augusti <1439>.

Gratias tuae magnificentiae habeo pro ea licentia, quam affinis mei familiae contulisti; id enim singulari beneficio ascribo.

## 749.

(Marc. lat. XIII 71 p. 178; XIII 72 f. 62<sup>v</sup>; Bologn. Univers. 1490 p. 174;  
Vatic. 5911 f. 75; pubblicata dal Querini in Fr. Barb. *Epist.* p. 88).

Franciscus Barbarus eloquentissimo Guarino Veronensi sal. d.

Quo in loco res nostre fuerint et sint in hoc gravissimo et periculosissimo bello Gallico strenuus Comes Ferrariensis coram explicabit. Eius enim fide et opera usus sum, qui non ut mercenarius miles, sed ut studiosus partium nostrarum bene de re 5 publica meritus est . . . . .

Brixie VIII kalendas septembbris 1439.

## 750.

(Marc. it. X 349, autogr. di A. Zeno, dal cod. Sambonifacio; cfr. A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 20).

<Guarinus Veronensis comiti Ludovico S. Bonifacii sal.  
pl. d.>.

Non solum tuae familiae. « Lo prega a mandargli un medico per visitare Girolamo suo figliuolo infermo di febbre continua ». 5

Ex Rodigio kalendis septembbris <1439>.

## 751.

(Marc. it. X 349, autogr. di A. Zeno, dal cod. Sambonifacio; cfr. A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 83).

<Guarinus Veronensis comiti Ludovico S. Bonifacii sal.  
pl. d.>.

Litteras tuas. « Loda il medico (Michele) Savonarola ». Is est humanitatis et urbanitatis hospitium.

<Rovigo settembre 1439>. 5

## 752.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 39<sup>v</sup>; Class. 121 f. 87<sup>v</sup>; pubblicata da me in Geigers *Vierteljahrsschrift* I 114).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. clarissimis v. Leonardo Iustiniano et Andreae Iuliano.

Hac hora duobus cum filiis eodem in lectulo febricitans cubo. Allatus est nuntius sinister sane et infelix, me nescio quo fato 5 et omnis expertem culpae in suspicionem serenissimae Dominationis nostrae vocatum esse, quod duos scilicet versus famosos confecisse contra Dominationem nostram insimuler. Quos si ut fingitur composui, non modo reprehensione et convicio dignus, verum etiam laesae maiestatis crimine me quoque iudice reus. 10 sim; sed si non cogitavi non feci non edidi et eorum prorsus ignarus sum, vos ambos aequitatis et integritatis arbitros de me facio. Primum quidem considerabitis, quod et ipse fixum animo teneo, quam intimos mihi amicos et egregia necessitudine devinctos civitas vestra coniunxit, a quibus decus famam honorem 15 commoda et emolumenta consecutus sum; non videor igitur sine ingratitudinis improbitatis et oblivionis macula tam turpe tam horrendum facinus aggredi potuisse. Et quoniam mores mei vitaque superior, vobis pro veteri amicitia et consuetudine perspecta et cognita, testimonio ac defensioni meae debet adesse nec parum 20 valere, ponatis oro ante oculos quotiens a me imperium vestrum resque publica praedicata disseminata, in caelum meis scriptis qualiacunque sint elata fuerit et non modo orationibus principes Venetos ad sidera extulerim, verum etiam sermone ac verbis pro laude civitatis depugnarim. Unde igitur tam repente muta- 25 to consilio de laudatore conviciator evaserim et insanus propheta factus mala ominari pro inviso hoste cooperim? At esto, me tanta ingratitudine captum; et oblivione caecatum esse, ut linguae procacitatem non refrenarim: quid utilitatis ista ipsa in-

---

752, 3 febricitantibus *Class.* | 5 serenissimo d. nostro *Class.* | 10  
sed *om.* *Class.* | 13 quia *codd.* | 15 consequutus *Class.* | 25 infamis  
*Class.* | 26 est *Class.*

continentia referre potest? immo damni potius et supplicii non modicum: aedium mearum amissionem, praediorum spoliationem, 30 tot rerum confiscationem et quod malorum extremum est de patria electionem. Non ista vel caeco perspicua sunt? Quod si ad bene et honorifice de serenissima Dominatione loquendum nihil aliud incitabat, at illustris principis mei Marchionis exemplum trahit, de cuius ore ac suorum nonnisi honorifice de patriciis et 35 illustrissima Dominatione verba fiunt et suos suo instruit exemplo.

Quae cum ita sint, vestrum est, viri sapientissimi, non modo restraint calumniae fidem abnegare, sed etiam siquos prius imbuisset, me innocentem purgare ac tutari. Legimus virum excellentissimum Platonem, cum de amico fidei perspectae calumniam 40 acciperet, nullis ei rationibus vel causis, etiam iureiurando accusatoris adiecto, fidem praestare voluisse; vos de me vobis cognito indicta causa damnationis sententiam proferetis? Memineritis, viri sapientissimi, quanta sit invidorum multitudo, maledicorum astutia, detractorum fraus, qui cum suo nequeant obsequi animo 45 per apertam dimicandi rationem, vincere per insidias dolosque contendunt. Quod cum aliis in rebus vobis, magnis in rebus expertis, constet, vel hoc quod dicam « sole, ut aiunt, clarius » fiet.

Val. Max. IV 1  
ext. 2.

Nunc cum me dolore nuntii tam atrocis afflictum nonnulli viri praestantes et illustrissimae Dominationis veneratores me visendum adirent, causa maeroris audita deum testari coeperunt hos ipsos versus diutius ante per annos audisse et memoriter tenere, per multa Italiae oppida ante hoc fatale bellum vulgatos volitare. Quid igitur est quod de mea puritate et innocentia dubitetis? Quod si stili similitudo vos movet, infirma sane ratio est; vos 55 enim pro vestra scientia et eruditione calletis optime, complures hac aetate eo peritiae et facundiae venisse, ut prosa oratione et metro sic inter se similes sint, ut nulla ratione dignosci dictio ipsa valeat. Si tamen imbuta semel opinio vestra de me perstat, unum restat quo me vobis et reliquis male sentientibus purgem: 60 si versus eos confeci si auctorem novi si conditori favi, deus immortalis et cuncti sancti sui mihi sint hostes, elementa cuneta sint inimica; postremo filii mei numero duodecim siti et esuritione

---

32 quid *Class.* | 42 adacto *codd.* | 47 expertus *Class.* | 49 afflictum *codd.* | 52 audivisse *Class.* | 53 Italia *Class.* (*an Italica?*).

pereant, simul ipse in eam convertar rabiem ac inopiam, ut eos  
65 per inediam depascar ac devorem.

Plura prae lassitudine non possum, quanquam et haec me  
dictante summo dolore alius per meam adversam valitudinem  
scripserit. Vos oro vos obtestor, ut non modo famam, verum etiam  
salutem commendatam habeatis; nam si vos nihilominus falsam  
70 de me criminacionem veram esse putaritis, cogar per maestitiam  
animam expirare. Sin contra me virum non malum non nocente  
non ingratum esse vel tantillo scripto significaveritis, animum  
atque animam recepero et damna detimenta calamitates, quas hoc  
infortunatum bellum importavit, si non laeto, at aequo patiar vel  
75 pati cogam me ipsum animo. Valete et saluti meae in adversis  
consultite, qui in secundis ornamento semper extitistis. Et date  
per me ceteris exemplum, eos qui vos imperiumque vestrum fide  
benivolentia et observantia prosequuntur tutos et indemnes ab  
insusurrantium insidiis esse ac fore. Valete iterum.

80 Ex Rodigio XI octobris <1439>.

### 753.

(Ferrar. 151 NA 4 f. 41; Class. 121 f. 89; Riccard. 924 f. 199; Novar.  
Capitol. 122 f. 171; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 101; Bergam. A II 32 f.  
106<sup>v</sup>; pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino* II 191-192).

Guarinus Veronensis ill. principi d. Leonello Estensi salu-  
tem plurimam qua caret ipse dicit.

Superiori tempore constitui omnia tuo cum consilio aggredi,  
et recte sane, cum illud et fide et caritate et prudentia singulari  
5 polleat. Hoc autem tempore nescio quae me cepit insania; nam  
iniussu tuo teque prorsus nescio et fortasse repugnante febricitare  
incepi. Quae res adeo me agitat coquit et vexat nunc frigore  
nunc incendio, ut iam nunc incepti paeniteat pigeatque. Itaque  
novum in hac releganda febre capio consilium; cum enim inep-  
10 tum in me nacta sit hospitium, carnem videlicet macilentam se-

67 summo] ymmo codd. | 74 patior Ferr.

753, 5 rel inscio codd. | 9 cupio Class.

nilem exanguem corpusculumque multo sole multoque gelu duratum, decrevi quempiam invenire in quem febrem hanc vel emittam vel extrudam. Is vero mea sententia huius generis esse debebit: primum quidem pinguis et tumido magis atque magis aqualiculo, ut febris ipsa campum quem opipare depascatur habeat; tum aetate sic robusta, quo frigoris calorisque pondus sustinere valeat; denique sit otiosus, commodius enim huic ferre licebit incommoda huius generis. Hominem si quem nactus fueris, molestum tuae ne sit humanitati commonstrare in quem hanc meam febrem expellam, ut quam sine tuo consilio accepi hospitem, tuo consilio et adiumento exulem faciam. Interim me ames oro et commendatum habe, quando tuae magnificentiae spes consolatur afflictum et conservabit in columem. Vale felix.

Ex Rodigio <ottobre 1439>.

#### 754.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 96; 151 NA 5 f. 42v; Class. 121 f. 91v; Marc. lat. XII 151 f. 117v; Tioli XXXVI f. 122; Harleian 2586; cfr. Verani in *Giorn. de' letter.* XX p. 289).

Guarinus Veronensis illustri domino Leonello Estensi sal. pl. d.

Si vales valeo.

Plures et quidem longiores datae nuper tuam ad excellen-  
tiam litterae, Leonelle princeps, effecerunt ut deinceps prope mu-  
tus fore pertimescerem; adeo innatae mihi ariditati diffidebam, 5  
quam utriusque patriae tempestas auxit et ineptum seu potius  
inimicum studiis domicilium, in quod ipsa peregrinandi ab urbe  
necessitas me contrusit. At nova res quaedam impraesentiarum  
oblata ingenium quodammodo ad scribendum excitasse visa est,  
quae eo libentius a me commemorabitur, quo huic tempori con- 10  
venientior ad ferendos huius procellae casus animare atque robo-  
rare magis magisque potest.

Deambulandi gratia et laxamenti cuiuspiam extra Rodigii

---

754, 3 nuper datae Class. | 5 innatae] mantea Class. | 6 inceptum  
Class. | 9 excitasse] relegasse Class. | 11 huiusmodi Class. | ac Class.

portam me pedibus meis ferebam perque amoeni ripam Athesis,  
 15 qui castellum dividit, errabundus incedebam, cum vir quidam au-  
 gusta sane facie sese mihi tulit obvium: lati erant humeri, pro-  
 missa mento barba, frons rugis sulcata. Et quia graecus habitu  
 videbatur homo, eum continuo sum abortus dataque et accepta  
 salute, unde quove teneret iter sum ab eo sciscitatus. Tum fami-  
 20 liarius incohato sermone, cur intermissa Ferraria in haec me loca  
 detulerim diligentius interrogat. Cui hunc in modum subieci:  
 « Cum per hosce dies pestilens nonnihil morbus civitatem invadens  
 latius serpere diceretur, frequentissima utriusque ordinis multi-  
 tudo ut saluti suae consuleret ad diversas secedens partes loco  
 25 sibi cavit. In quibus et ipse commune secutus consilium meam et  
 meorum incolumentem in tuto perinde ac portu composui, nullis  
 incommodis atque dispendiis et nulli prorsus parcens argento:  
 tempus enim parcendi et tempus expendendi; mors autem, ut  
 aiunt, terrorum terror est, fortibus etiam pertimescenda omnique  
 30 aetati et sexui, duce natura, devitanda ». Et quoniam eruditus ho-  
 minis non parva edebat indicia, lingua enim mentem ostentabat,  
 « indocilis privata loqui », plura praeter opinionem de industria  
 quidem adieci, ut eum ad disserendum allicerem.

Tum vir ille modesto subridens vultu: « Ubinam inquit lon-  
 35 gorum fructus studiorum sunt, quibus vulgatum illud edidicisse  
 debueramus: « cupias quodcumque necesse est? » Quid vero tam  
 necessarium dici potest quam mortalibus emori? praesertim cum  
 vita praesens quaedam sit peregrinatio et mortalitatis hospitium,  
 ex quo vir sapiens et humanitatis studiis enutritus in proprium  
 40 evaserit non invitus habitaculum. Quod magistra parensque na-  
 tura declarat; « primis enim quibus in lucem infans editur horis »  
 id. IV 487.  
 ab eiulatu et lacrimis suos auspicatur ortus. Quid illustres totiens  
 illos veteres extollimus in caelum laudibus, qui non modo ve-  
 nientem fortiter mortem exceperunt, verum etiam ultro incurre-  
 45 runt? num et quos probamus imitabimur vel sicut formidulosus  
 athleta virtutem quidem in pace verborum magnificentia collaudabi-  
 mus, cum autem conserenda manus fuerit, « tremor occupet artus »  
 Ovid. Met. XV  
 221.  
 et hoste non expectato terga vertemus? quod contra decuit: gene-

Lucan. V 539.

id. IV 487.

Ovid. Met. XV  
 221.Verg. Aen. VII  
 446.

---

26 et nullis Class. | 40 natura] nostra Class. | 47 conferenda Class.  
 | rel occupabit codd.

Verg. Aen. VI 637; 93. rosis scilicet permanere animis et « laetum ferme paeana canentes » « contra audentius ire » nec puellarum aut muliercularum 50 instar ululare ». « Non eo inficias, inquam, vir eximie, vera esse quae commemoras quaeque ipse aliis praecipere et consulere solo ; ceterum cum propinquus pavor adventare dicitur, philosophorum documenta et laudabilem virorum exempla excidunt nec mentem non lacerare potest tam formidulosa cogitatio : « hac me 55 luce bonisque praesentibus privatum iri » et « quonam in loco iacebo putrescens et amissis sensibus esca fiam vermis ».

Tum ille : « Bone, inquit, homo, pace tua, contraria uno sermone contexis nec tecum vertis quod sensuum pariter amissionem luges simulque marcorem ac vermes iocunditatisque parentiam. 60 Quod si sensus amittes, quid ad te illa tot incommoda ? quemadmodum si tua damna /eplores, agrum romanum incurante olim Hannibale : cuius vastitas incendia praedae sicut tibi obesse non poterant, quia non eras, sic nec detimenta illa officient quia, ut ais ipse, non senties. Verum enimvero nugas istas abiciamus 65 idque volve potius animo quod hac soluta compage cum anima, quantum in se est, proprios lares repetit, corpus brutum qui- dem atque terrenum, quod relinquitur, nequaquam homo est. Nec est homo quod cernitur quodque oculis occurrens digito monstrari potest ; nos nanque anima sumus, immortale animal in 70 hoc mortali inclusum propugnaculo et caeco circumsaepsum carcere, cui parens natura hoc veluti tabernaculum circumposuit, amoena quidem addens volatilia et pusillo duratura tempore ac dolore perfusa plurimo, tristia vero diurna et nobiscum senescentia : immo vero senescentibus nobis iuvenescunt illa raris 75 delinita voluptatibus. Quid morbos dicam obtusosque sensus et intestina mala, quibus diffusa per necessitatem anima condolet, caelestem interim splendorem cognatamque desiderans illic degredi normam piorumque conventum sitiens ? Quo fit ut hac ex vita discessio liberatio sit et ex malorum colluvie ad bona et ex 80

---

50 vel puellarum *codd.* | 52 vel ipse *om. codd.* | 54 laudabilia *Class.*  
| 61 amites (*vel amittere*) *codd.* | 63 incommoda *Class.* | 66-67 *vel animus*  
*quantus codd.* (*in anima quantus corr. Class.*) | 67 *vel repararet codd.* |  
72 *vel veluti hoc codd.* | 74 *vel nobis consenescientia codd.* | 77 *dfferta?*  
| 78 *cognatumque desideraris Class.*

fluctibus in portum permutatio, non bonorum amissio debeat appellari ». « Cur igitur, inquam, cum sis sapientia praeditus singulari, ut Platonis mente ac lingua loqui videaris, ulterius vitam extendis nec te ipsum ex fluctibus quos dicis in portum recipis  
85 eque malis ad bona configis ? ».

Tum ille : « Desine, inquit, falsam de me coniecturam inire et in mei comparatione hanc Platoni ne faxis iniuriam, « in quo iam laus desinit esse laus » : adeo supra quam homini concessum erat veritatis lucem aspexisse illi divinitus attributum est. Cum  
90 autem imperator, idest deus, me huius arcis custodiae praefecerit, non licere illam nisi vocatum iussumque deserere ; at si quis ultro, non vocatus non iussus deseruerit, timiditatis desertique praesidii et homicidii graves postremo poenas luere non dubitandum est. « Cupiet tamen vir strenuus dissolvi » et ex hac malorum  
95 sentina suum ad creatorem « ubi aevo fruatur sempiterno » proficisci. Quam mihi dabis aetatis partem doloris expertem ? Prima, ut diximus, infantis origo ploratus et tristitiam comites habet, quasi vitae venientis augurium et praesentis testimonium ; nam cum indigentia prematur infans, frigore aut calore torqueatur et  
100 aspero denique altero stimuletur, cum enarrare quae patiatur nullo modo possit, luctibus ad edisserendas molestias pro sermone utitur. Puer deinde septem ingressus annos quas tolerat aerumnas, discendi tormenta, patris minas, praceptoris plagas, vigilias sitim inediā tanquam tyranni saevitiam ! Militari deinde disciplinae  
105 ac reliquis dicatus artibus quam duris affligitur doloribus, bellicis subinde implicitus negotiis quae capitis pericula, pugnae, captivitates vulnera mortes ! Sin rei publicae administrationem suscepit, invidias detractiones odia seditiones repulsas exilia caedesque subeundae sunt. Scipiones vestros, Alcibiadē nostrum,  
110 Hannibalem barbarum ubi et quo pacto mori inimicorum iniuria et populorum coegit ingratitudo ! Rei domesticae cura quas affert sollicitudines metus dolores ignominias ! Ad extrellum sensim senecta serpit, quo omne incommodorum examen influit : itaque nisi mors tempestiva succurrat medeatur et protegat, cui vitam

*Paul. ad Phil.  
1, 23; Cic. Somn.  
13.*

97 *vel* comitem *codd.* | 101 *vel* fletibus *codd.* | 105 affligatur *Class.*  
| 109 Si aspetterebbe *subeundum est* ; non è la sola negligenza sintattica di questa lettera | 112 sensum *Class.* | 113 seneca (*senica, vel om.*) *codd.*

sicut aes alienum reddat, huic quidem auditum, illi vero perspec- 115  
tum, plerisque utrumque surripit, compluribus manus pedesve suis  
viduantur officiis, quibusdam sic mens ipsa repuerascit vereque  
delirat, ut non iniuria vetus apud nos natum sit proverbium:

Aristoph. *Nub.*  
1417.

δῖς παῖδες οἱ γέροντες idest bis pueros esse senes. Opifex ipsi et  
manuales, ut vulgo dicuntur, artes quos sudores querimoniae ca- 120  
lamitates patiuntur! noctem diei, diem nocti labore iungentes  
vix famem indigentiamque superare queunt. Nobilis illa tantisque  
elata laudibus agricultura sua spe qua voluptate pascit agricolam,  
tot aratis tot ligonibus tot serendi legibus tot occasionibus mes-  
sem unam miserabiliter mendicantem, cum interim gelu vapor 125

Ovid. *Met.* 1  
273.

imber siccitas grando fruges interciperit « longique perit labor ir-  
ritus anni ». Accedit ipsa praeclera navigatio, quae opum quidem  
expectatione hominem, animal natura terrestre, fecit aquatile to-  
tumque per ventos et undas servum fortunae constituit et ad alias  
mortes novum moriendi genus adiunxit: eius pericula, ut breviter 130

Verg. *Aen.* 191.

dicam, poeta vester explicuit: « praesentemque viris intentant  
omnia mortem ». Haec si quis vel mediocris ingenii ante oculos  
sibi proposuerit, non sese bonis privari sed recte ac vere malis  
morte levatum iri dicet; cumque altera ex parte sempiternam  
quietem, sinceras iocunditates, immortales opes omnis tristitiae 135  
prorsus expertes consideraverit, quas non modo christiani verum  
etiam gentiles posteritati tradidere, non mortem ipsam pertimescat  
sed immortalitatem optabit expetet et incredibili cupiditate exar-  
descet. Haec qua in dies vivere desinimus « non vita sed vere

Cic. *Sonn.* 14.

mors est », illa qua mori cessamus et vivere incipimus vita vi- 140  
talis est, haec abhorrenda, illa quaeritanda. Multa gentilium deo-  
rum exempla scribuntur, quibus declaratum est quotiens in eorum

Verg. *Aen.* 1  
600.

cultores de se benemeritos praemia et « grates persolvere dignas »  
voluerunt, mortem quasi mercedem optimam summa cum beni-  
volentia et caritate tribuisse. Deum autem verum, deum aeternum, 145  
deum omnipotentem per dies singulos legimus non hanc tempo-  
rariam vitam pietatis praemio pollicentem, sed ad mortem uti  
certamen bonum finemque malorum invitantem: hinc gloriosas tot  
martyrum mortes festis diebus et sacrificiis celebramus, hinc apo-

---

115 *vel prospectum codd.* | 123 *elata] clara Class.* | *voluptate] rel*  
*oblectatione codd.* | 129 *rel prostituit codd.* | 139 *vel vera codd.*

150 stolorum princeps « cupio inquit dissolvi et esse cum Christo ». Et <sup>Paul. ad Phil. 1, 23.</sup> quoniam iam advesperascit, finis quoque sermonis esto ; deinceps cum Ferrariam repetes incohatum iam amorem longiori consuetudine augebimus ».

Ego ut huic primae hominis notitiae sanctum etiam hospitatis vinculum adiungerem, quo mecum requiesceret obsecrare et obtestari coepi, ille vero cum longius iter habere velle diceret, licet precibus fatigatus abscessit. Ut igitur, magnifice princeps nostri non abieci meo iudicio sermonis particeps fias, nam et tuorum in partem aucupiorum pro tua benignitate vocare me soles, mea qualiscunque, certe humilis, ad te serpit epistula. Vale Felix et me ut soles amare perge.

Rodigii XII kal. novembris <1439>.

Fac me tua de salute certiorem.

### 755.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 39; Class. 121 f. 86<sup>v</sup>; Marc. lat. XIV 221 f. 162<sup>r</sup>; Padov. Semin. 692 f. 197; Parig. 7868 f. 97<sup>v</sup> e 127; pubblicata da A. Oberdorfer in *Giorn. stor. d. letter. ital.* LIII 315; cfr. Agostini *Scritt. Viniz.* I 173).

Leonardus Iustinianus eruditissimo v. Guarino Veronensi s.

Hesterno vesperi reddite sunt mihi littere tue, quas Julianus noster, quia communes erant, legerat prior. Sunt ille quidem plene molestiarum atque meroris, sed frustra certe, et solo nuntii seu vitio seu potius errore, suscepti. Ais enim tibi nuntiatum esse Dominium nostrum in suspicionem adductum te vulgatum illud in nos distichon confecisse innocentiamque in ea re tuam sicuti longo ita non necessario labore ostendis. A quo autem aut qua

152 *vel* longiore *codd.* | 153 L'inquadratura della scena in questa lettera fu suggerita dall'incontro di Filiseo con Cicerone narrato da Dione Cassio (XXXVIII 18-29); i ragionamenti derivano da Cic. *Tuscul.* I 83-94. *Somn.* *Scip.* 13-15 e Gellio XIX 1, 1. | 160 *rel* mea hec qual- *codd.* | 162 Ex Rodilio *Class.*

755, 3 sunt enim *Class.* | 6 *rel* dominum *codd.* | 8 labore] intervallo *Marc.*

ratione hcc tibi nuntiatum sit nescio, sed homo est ille certe  
 sive levis sive improbus sive plane utrumque, qui id mendacii. 10  
 aut ipse impudenter finxerit aut ab alio fictum leviter crediderit  
 et creditum febricitanti tibi quasi letale aliquod poculum propi-  
 narit. Ego tibi, mi Guarine, hoc affirmo certissimum, nullum un-  
 quam in collegio nostro publice vel privatim aut de versibus aut  
 de versuum conditore verbum vel minimum esse factum. Non 15  
 negarim tamen me semel duntaxat extra collegium audisse esse  
 nonnullum qui diceret versus illos, quia non omnino videbantur  
 insulsi, tuos esse et tuam elegantiam redolere; quod ab iis qui  
 aderant haud secus auditum est ac si frigere ignem aut currere  
 montes affirmaret quispiam. 20

Nolim autem te suspicari aut optimates nostros esse tam  
 credulos aut fidem tuam adeo apud nos esse obscuram, ut faci-  
 nus hoc a tuis moribus natura institutione penitus alienum, in  
 quo nihil voluptatis aut praemii, multum sit dedecoris atque pe-  
 riculi, non dico patratum sed ne somniatum quidem existimetur. 25  
 Te enim non tam Veronensem nostri homines quam Venetum  
 iudicant, qui prima vite, morum et eruditionis fundamenta apud  
 nos ieceris, qui amicitias sodalitia hospitalitates principum civi-  
 tatis nostre in primis semper colueris, qui laudes Venetorum to-  
 tiens elegantissimis scriptis ac verbis tuis super astra extuleris. 30  
 Nemo est preterea quem fugiat id quod tu sapienter commemo-  
 ras: si reliqua videlicet omnia in eam te procacitatem immo in-  
 saniam impulissent, te saltem debuisse ab eo flagitio abstinere  
 tum exemplo et veneratione tum periculo et metu illustris illius  
 et vere principis Ferrarie Marchionis, cuius sanctissima in no- 35  
 stram rem publicam fides caritasque cum sepenumero alias tum  
 nuper in hac hominum et morum inaudita perversitate ita clau-  
 ruit, ut sibi gloriam et immortalem nominis celebritatem, nobis  
 nostrisque posteris omnibus adiecerit debitum sempiternum. Illi  
 ergo cum te liberosque duodecim et fortunas tradideris tuas ip- 40  
 sique studeas, mi <Guarine>, quavis honesta ratione placere,

---

14 vel] aut *Pad.* | 18 his *Class.* | 21 tete *Ferr.* | 23 a] aut *Ferr., Class.*  
 | 26 tam *om.* *Ferr., Class.* | magis quam *Class.* | 27 armorum *Ferr.*  
 (*an ac morum?*) | 32 infamiam *Marc.* | 34 vel cum exemplo *codd.* (omni ex-*Marc.*) | 40 liberosque tuos *Pad.* | 41 mi quavis (*vel uniuersus*) *codd.*

cumque is nihil, quod nostre rei publice glorie aduersetur sicut nec ipse cogitare, ita nec ab aliis nisi iratus audire possit: eius tu sub imperio, huiuscemodi edideris versus? Sed quod te tue-  
45 tur imprimis, distichon illud fuisse ante nostram etatem conditum, omnibus argumento est quod in quibusdam vetustis codicibus scriptum iuveniri vulgaris est opinio.

Quare per deum immortalem, mi Guarine, desine te frustra dolore conficere, desine suspicari deinceps esse quempiam no-  
50 strorum civium, qui non plane insaniat, a quo putetur id te, sa-  
pientissimum hominem, fecisse, quod fieri omnino nisi lesa fide  
ac dignitate tua, lesis plurimis et clarissimis amicitiis, lesa de-  
nique re atque familia tua non poterat. Itaque cum omnia tibi  
55 opitulentur, reliquum est ut tu te, nimis facile mendacium hoc  
credendo, haud offendas. Redi igitur ad te, idest ad innocentiam  
ad fidem ad gravitatem ad integerrimam famam tuam, que te  
spretis his improbis et levibus delatoribus vendicet ab isto tuo  
frustra suscepto dolore; tibique postremo suadeas me, tuorum in-  
60 signium in me beneficiorum tueque incomparabilis fidei et amoris  
in Venetos memorem, si tuarum laudum et meritorum defensor  
et preco non fuero, officii et dignitatis mee servatorem esse non  
posse. Vale et valitudinem tuam, que mihi perquam carissima est  
et bonis omnibus esse debet, abacta animi molestia et ango-  
re cura.

65 Ex Venetiis ad VII kal. novembris 1439.

### 756.

(Ferrar. 110 NA 4 f. 101).

Guarinus Veronensis cl. v. Soccino physico sal. pl. d.

Tuus in me amor et patris viri illustris fecit ut vestra  
omnia mihi quoque communia esse ducam, cum « idem velle et  
idem nolle » praecipue ex amicorum sit officio. Itaque cum nuper  
5 bellum tibi puerum natum accepi, gratulatus sum, quem et pa-

Sall. Cat. 20, 4.

---

43 vel id ita *codd.* | 44 imperii *Ferr.*, *imperii corr. in imperio Class.*  
| huiuscemodi inde *Pad.* | 47 est] te *Ferr.* (*an tenet?*) | 52 amicis *Ferr.*,  
*Class.* | 54 vel *tu om. codd.* | 60 nisi *Marc.*, *Pad.*

756, 1 Congratulatio de filio nato *add. cod.* | 4 ex] et *cod.*

ternae et avitae virtutis simul et magnarum artium heredem ac successorem habitura sit posteritas. Accedit Ugonis patris optimi et medicorum decoris laetitia cum se ipsum in nepote suavissimo quodammodo insitum videat et suos annos, qui immortalitate digni sunt, in illius vita produci posse intelligat. Haud enim dubium 10 est nos aliqua ratione in natorum vita vivere.

Haec cum per se mihi laeta et iocunda fierent, causa non inferior addita mihi gaudendi est, qui cum vobis iunctissimus essem, novo quodam necessitudinis vinculo me utriusque devinxit et ita devinxit, ut non mediocri mihi cum laude decus attulerit 15 Ugo, siquidem pater e multis me de legit, qui ad sacri baptismi fontem puellum baiularem et primis fidei christianaee elementis initiandum velut interpres sustentarem. An parum ornamenti ac praedicationis peperisse dicar, qui ex tanto amicorum numero et insignium virorum ordine fuerim eximius factus qui tertius filii 20 pater appeller? Quo in officio id patris consilio curratum effectumque fuit, ut filius noster praeclaris insigniretur nominibus quae, non secus quam corpori indumentum nobile ac pretiosum, ornamento esse debent. Ei nanque Leonelli et Severi vocabula indidimus: quorum alter<sup><um></sup> illustris principis nostri memoriā revocat et redintegrat, qui pro eius prudentia humanitate clementia, animi magnitudine, religione doctrina et musarum familiaritate aetati nostrae ac saeculo decus gloriam et splendorem comparavit; Severi autem vocabulum cum patrui recordationem continet, tum clarorum hominum ac principum monumenta secum 30 gerit et aequitatis ac iustitiae omen prae se fert. Tanta igitur gratulatione ac gaudio productus in lucem infans nobilis et tali vocabulorum insignitus omne, felix fortunatusque vivat et annis quidem Nestorem, divitiis vero Crassum, bonitate Catonem, fide Paulum superet. Tu invicem compater insignis qui me hactenus 35 diligebas, iam nunc amabis. Vale.

Rodigio IIII nonas decembbris <1439>.

Commendo tuae curae Horatium meum, quem ab eruditissimo viro Carolo Arretino repetas oro.

---

8 ip sum inepte cod. | 21 officiumque cod. | 23 quod cod. | 29 recordationem corr. in - ne cod.

## 757.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 62; Bergam. A II 32 f. 118).

Guarinus Veronensis illustri d. Leonello sal.

O faustum et laetum diem hunc, quo tuae mihi redditae litterae me mihi reddiderunt. Non enim eram apud me, cum viderem post tantas totque datas ad tuam magnificentiam litteras tuum 5 inecum mutum nihilominus perstare calamus teque totiens, ut sic dixerim, invitatum obmutescere. Amor autem timoris et suspicionis est comes. Ferebantur ante oculos et magna et immortalia negotia regni, quae cum semper alias, tum vero hisce oriuntur temporibus, quibus quaquaversum armorum fragor ac minae 10 circumsonant, cum in tam sublimes curas tuas parva Guarini tui mentio vix serpere auderet. Videmus assidue, cum principes sumimis de rebus consultantes in conclave sedent: ianitor minorem gregem submovet et infimorum turbam arcet ab ingressu. Accedebat ad suspicionem mutuus dudum digressus et quotidiani sermonis 15 interceptio; quae duo potissimum ad obliterandam aut saltem obscurandam memoriam efficacissima sunt.

Hodierno vero die splendida solis instar abs te oriens epistula dissipavit mentis nebulas et veram laetitiae serenitatem induxit. Tua ista tam admiranda benignitas non solum me in praesentiarum exhibitat, verum etiam immortalitatem ad posteritatem usque pollicetur. Nam cum dicta factaque principum, qui sublimi locati sunt fastigio, taceri nequeant, non silebitur tua in Guarinum benivolentia, pietas, 20 beneficentia. Tot iam post saecula scimus quo equo Caesar, quo equo usus est Alexander, quo Sylla signatorio usus est annulo, ut rediens 25 a coena tibicine ac cereo usus est C. Duilius; intimi vero regum familiares et amici silentio involventur? Minime sane et eo magis, quod res quidem bellicae horrore quodam audiuntur et quasi praesentium tubarum clangore captantur: res vero vestrae beni-

Suet. Iul. 61;  
Plin. N. H. VIII  
134; Val. Max.  
III 6, 4.

---

757, 3 enim. om. Ferr. | 10 tui Guar - Ber. | 11 serpere] semper *codd.*  
| 12 conclave Ber. | 16 sunt] isto Ferr. | 23 beneficia Ferr. | 23 Caesar-  
Alexander quo om. Ferr. | 25 ac ereo Ber., om. Ferr. | 27 belliae]  
sillinae Ferr. | 28 nostre Ferr.

gnitate, moderatione, clementia, humanitate factae plausibus excipiuntur, favore nuntiantur, collaudatione memorantur et per aures 30 perque ora mortaliū singulari cum caritate volitant. Noli te itaque Leonelle princeps fatigari incohatae humanitatis et suavitatis studio semper uti. Hae si quidem virtutes cum ad laudem, tum vero ad benivolentiam ab suis et ab alienis <captandam> etiam atque etiam valent. Plura non dicam, si me tuae magnificantiae 35 commendaro.

Ex Rodigio XXIII decembris <1439>. Vale.

### 758.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 41<sup>v</sup>; Class. 121 f. 89<sup>v</sup>; Balliol 135 f. 125<sup>v</sup>; cfr. Hodius 63).

Guarinus Veronensis patricio viro Leonardo Iustiniano sal.  
pl. d.

Superiori tempore cum e Rodigio in hanc urbem, quam pro suis in me ac meos beneficiis et illustrium principum meritis secundam iure patriam appellaverim, me familiamque referrem, litteras tuas optatas sane et expectatas accepi et perinde ac lucem in tenebris amplexus et exosculatus sum. Fui autem in respondendo tardiusculus non incuria quidem aut oblivione; sed cum hinc febris reliquiae, hinc rerum domesticarum translatio, quae nunquam sine animorum turbatione venire solent, mentem manumque revocarent, moram et quidem praeter spem longiusculam rescribendis litteris adiecisse coactus sum.

Ceterum illis summa cum voluptate lectis totiensque relectis, ut legendo et amicis ostentando eas ferme contriverim, quantum mihi gaudere, tantum tibi et ordini vestro idest senatorio gratulari contigit. Dolebam profecto in eius me rei suspicionem devocatum esse, quae mihi prorsus ignota inauditaque fuerat et, cum per se turpis et odiosa sit, tum vero periculosa, non sine

---

· 32 fatigare incohato Ber. | 33 Hae} et Ferr. | 36 commendavero Ber. | 37 La data è del solo Ferr.

758, 16 contingit Balliol | vel eiusmodi codd.

salutis bonorum et famae iactura : adversus dominum conspirare,  
 20 cui protegendo in vitae etiam periculis non adesse capitale servis  
 supplicium leges ipsae sanxerunt. Quid de ingratitudinis crimine  
 dicam, quod censoria nota saevius animadvertendum esset ? Ipsum  
 cum apud Persas idest barbarem gentem acriori poena teste Xe-  
 nophonte castigari soleret, quo fulmine apud Italos humanitatis  
 25 et munificentiae professores destringendum est ? Nunquam erade-  
 tur animo, ut alios taceam meritos bene de me Venetos, Paulus  
 Zane e civitatis primoribus unus, cuius exhortatione ductu libe-  
 ralitate Byzantium petens ad graecarum me litterarum disciplinam  
 contuli et sub utroque Chrysolora quantulumcunque ope opera et re  
 30 Pauli mei profeci in nostrates plurimos disseminavi ut, quantum  
 in me fuerit, Paulus meus latinos homines rerum graecarum igno-  
 ratione teneri non siverit ; ut vel hoc unum meritum me nominis  
 Veneti partes fovere praedicare et extollere invitet et suadeat.  
 Nunc autem cum scriptorum tuorum testimonio et tui ipsius aca-  
 35 toritate, qui virtute sapientia et gloria per doctorum ora volites,  
 ab maledicorum criminacione et accusantium calumnia me abso-  
 lutum intelligam, triumphem opus est ; quia quantum in maerore  
 ac paene luctu prius fueram, tantum in laetitia ac hilaritate vi-  
 tam duco.

40 Accedit rerum mearum commendatio et illustre virtutum,  
 siquae in me sunt, praeconium tuum. Quod quoniam non mihi  
 solum sed etiam meis splendori futurum est, id ipsum sic scriptis  
 et monumentis propagare disseminare et conservare nitar atque  
 contendam, ut liberis et posteris quasi legatum nobile et glorio-  
 45 sam hereditatis partem cum aliqua immortalitatis spe transmit-  
 tam ; idque eo audacius faciam quod tui nominis decus et me-  
 moria simul adiungantur. Nam si vasa si vestes si praedia si  
 domos, quae fures quae tineas quae victores pertimescant, nihil  
 minus ad heredes transmitti curamus, quibus plerunque corpus  
 50 dissolutius animusque corruptus fit moresque lascivi : quid haec  
 ipsa legati genera, quae et praesentes et posteros ad probitatem  
 ad laudem ut calcar stimulant et ad suos imitandos accidunt ? Id  
 vel ipso Themistoclis facto comprobatur, quem Miltiadis, licet

Val. Max. VIII  
14 ext. 1; Cic.  
Tusc. IV 44.

---

21 quid ingrat- crimen *Class.* | 25 distr - *Balliol, Class.* | 32 ex-  
 sineret corr. *Class.* | 41 quid *Class.*

*Plut. Reg. apophth., Caes. 4.*

alieni, trophyae laudesque sic excitarunt et ardenter reddiderunt, ut tum primum desidiam exuisse credatur et sic exuisse ut clausissimus imperator, barbaris primum deinde suis terribilis, evaserit. Nec minus C. Caesar Romani splendor nominis, visa Alexandri Magni imagine et laudibus acceptis, ardua et aeternitate digna aggressus est negotia, cum ad id usque tempus sedisse visus esset. Idem iure optimo meis obtigerit, quos ne a patre degenerasse dicantur abs te prolatae de me qualescumque laudes excitabunt trudent inflammabunt.

Hicce quae dixi vobis ex animo gratulor qui, quanquam obstantibus calumniatoribus et Scyllaeis contra latrantibus canibus, sic constanti obsurduistis aure, ut solito me tamen complexu et prisca pietate complectamini. Scio in hac bellorum tempestate et conspirantium ardore multimodis aperiendas esse linguis aures et, sicut imperandi mos et necessitas exigit, multis arridendum esse quos irrideatis. Quanquam id Caesaris scitum extat: « qui delatores non castigat, irritat », id tamen in me fortis gubernatoris exemplo servastis ut nullus fluctus ab recto cursu clavum flecteret. Unam quidem accusatori, alteram Guarino vestro, quod Alexander Magnus in accusationibus factitavit, praestitistis aurem: illud cautionis et prudentiae, hoc aequitatis et iustitiae vestrae fuit officium, ut quantum sapientia fortitudine magnificentia antecellitis, tantum humanitate ac moderatione reliquos superetis homines: quae duae res hominum et populorum quibus praesitis animos vobis in primis observantia et caritate devincire possunt; fortes enim timere, moderatos autem diligere et admirari solent.

Harum igitur rerum laetitia et honorifico nuntio cum me pristinae reddideris incolumenti, ita ut vita paene functus tuo medicamento reviviscam, ego ut Virbius alter te salutis auctorem Aesculapium veneror colo et adoro eoque magis quod obloquia contemnendo laudem et gloriam comparantes, bonis viris et vestiarum partium studiosis spem et fiduciam contra perfidos praebuistis. Isti vestro tantae moderationis et benivolentiae de me negotio speciosum illuc ac memorabile senatus, equestris ordinis

*Verg. Aen. VII  
769.*

---

65 absurd - *Class.* | mecum *Class.*, me tamen *Balliol*, me *Ferr.* |  
70 forte *Class.* | 71 ab cursu *Class.*, *Ferr.*, ab recto cursum *Balliol* |  
76 vel et *codd.* | 87 illud *Balliol*, *Class.*

plebisque Romanae de Africano factum aequaverim. Cui cum invidus et malignitate refertus tribunus plebis diem innocentis dixisset, Scipio recta ductus conscientia, triumphali insignis habitu rostra descendens: « haec est, Quirites, inquit, dies qua diis bene iuvantibus superbas Carthaginis cervices vestro subiectas imperio reddidi; itaque ne tanti gratia meriti nobis effluxisse videatur, aequum censeo ut gratias diis immortalibus relaturi mecum eatis in Capitolium ». Quo dicto effectum est ut, Scipionem universo comitante populo, accusator magno ludibrio reiectus et exilatus resideret; non parvo tamen cum rubore subsecutus de calumniatore venerator est factus. Quod de maledico, quisquis est, nebulone evenisse tacitus sentio. Eo autem suo in dedecore ac sordibus dimisso, iocundior illa festiva subit manetque recordatio: quod in posterum sic mearum rerum te defensorem fideique praeconem fore polliceris, ut nihil ab levibus abiectis et diris delatoribus posthac mihi pertimescendum sit. Nam cum ea integritate religione, vitae denique castitate polleas, ut vel nutu causam quamvis infirmam tueri et ope servare queas, quid adversus sceleratos sycophantas, quorum ubique redundat haec tempestas, mea sperare debet innocentia? adiuncta praesertim dicendi facultate, orationis copia et suavitate illa cygnea, quam tantam in te florere ac vigere testantur actiones et forenses et senatoriae, ut nil tam arduum sit quod te orante non fiat humile, nil tam humile quod non magnifices, nil tam robustum quod non infirmes, nil tam infirmum quod non corrobores.

Quocirca nihil mihi magnificentius obtingere potest, quam sic tuam me in fidem patrociniumque suscipias, ut viri patricii ac civis sapientissimi familiaris et eloquentissimi oratoris cliens et dicar et sim illudque tollam tempus in caelum laudibus quo tibi ad haec humanitatis studia vel dux vel comes extiti, quibus non minus ornamenti quam acceperis reddidisti. Vale et Bernardo suavissimo salutem meis verbis dicio.

120 Ex Ferraria kal. februarii MCCCCXXXX.

Gell. IV 18, 3-5.

---

94 relatum *Balliol* | 105 opes servari *Class.* | 114 ac ut *Class.*

## 759.

(Palat. 1592 f. 84<sup>v</sup>; Arundel 38 f. 302; Harleian 4094 f. 1<sup>v</sup>; Parig. lat 8580 f. 8<sup>v</sup>; Basilea F VIII 18 f. 113; Riccard. 924 f. 216; pubblicata da me in *Archiv. stor. lomb.* XXX, 1903, 399; cfr. Rosmini *Guarino* II 171).

Tobias Veronensis paeclarissimo patri ac paeceptori suo Guarino s. p. d.

Si tu cum omnibus nostris istic valetis, bene est, ego hic  
bene valeo.

Si rarius ad te scribo, quam mearum partium tibi esse for- 5  
sitam videretur, Guarine pater, non id aut negligentiae meae aut  
iocundissimae consuetudinis nostraegregiae tuae in me pie-  
tatis oblivioni ascribas velim; non enim is ego sum, qui tuorum  
erga me meritorum gratiam negligere vel ipsum te ex animo meo  
delere aut velim aut queam. Profecto nunquam mihi venis in men- 10  
tem, venis autem persaepe, quin tanta demulcear atque adeo con-  
fundar animi laetitia, ut vel in sola paeclarissimi nominis tui  
recordatione curas omnes molestiasque deponam. Non igitur te  
velim existimare, me ideo rarius ad te scribere, quod te non se-  
dulo amem colam et observem; caeterum sic vult bellorum terror, 15  
sic iubet armorum horror, qui difficiles facit euntibus et redeun-  
tibus vias. Praeterea cum eloquentes ad te non valeam epistolas  
dare, raritate saltem et scribendi intercapedine tibi placere stu-  
deam oportet, qua ratione vel has tibi gratiore fore arbitror, pae-  
sertim cum rerum novarum refertae ad te veniant, quas non minus 20  
admirabere quam tanti et tam laudati viri casui condolebis, certe  
scio; si tamen religiosissimi omnique ex parte integerrimi ho-  
minis probitati industriae ac fidei condolendum an plebeis erro-  
ribus ignoscendum iudicabis.

Cum nuper una cum Ferufino nostro, viro, ut nosti, non minus 25  
re quam fama excellentissimo, Mediolanum equitassem (hoc enim  
pro incredibili sua in me pietate familiarissime utor), ut nonnullos

---

759, 2 vel Guarino Veronensi codd. | Guinifortus Barsitus Guarino  
Veron. s. d. p. Ricc., om. Par. | 22 scio. Vale; Ricc. e qui termina |  
23 vel plebis codd. | 27 familiarissime utor] qui termina il cod. Harl.

illius amplissimae et admirandae civitatis principes viserem ac salutarem, idest ut egregiam eorum humanitatem et singularem in  
 30 me benvolentiam, illi meam in eos fidem atque observantiam demum recognoscerent, reverendissimum dominum atque invictissimum Christi militem cardinalem Castilioneum, virum in terris rarum, ibi offendimus, qui ob Natalicia inter suos peragenda tum demum e Casteliono redierat, ducibus senatoribus, praeclarissimis principibus cunctaque fere Mediolanensi nobilitate comitatus.

Is autem cum christiana fidei observantissimus atque acer-  
 rimus ecclesiae Romanae propugnator semper extiterit, omni cura cogitatione et industria indagare non desinit quo consilio, quibus artibus aut quibus rationibus pertinacem Graecorum superstitionem elidat ac perterreat, ut tandem una in uno, vera in vero per omnia fides teneatur. Cum igitur accurata et solicita indagine ecclesiasticas quotidie bibliothecas olfaceret, ut aliquid singulare et fide dignum inveniret, tandem in aede divae Thegliae, sic illam appellant indigenae, libellum unum offendit ut praeclara ve-  
 45 tustate insignem, ita scriptoris auctoritate illustrem; nam, ut aiunt, a beato Ambrosio, Mediolanensium patrono et protectore, imo vero divo, et compilatus et propria manu scriptus est. Quoniam autem in eo plures et subtiles quidem illas et fidei nostrae proficuas quaestiones acutissime disputatas invenit eumque  
 50 <quem> tota quidem mente petierat, idest in Graecos aculeum, invenisse cognovit, illum per temporis spatium a Thegliali flamine utendum accepit, ut eo quasi divino clipeo et fidei, non chalybis, lorica in Graecos prodiret armatus.

Id vero aegre tulit seroque liberalitatis suaे flamineū pae-  
 55 nituit cumque iam Ἐπιφανίας dies festa celebraretur postridie que reverendissimum Christi militem cum Ambrosiano libro discessurum animadverteret, nec iam repetendi quod liberaliter ante concesserat satis illi honesta causa vel apta daretur occasio, quippe tanti viri auctoritate et reverentia repulso, quod piis atque  
 60 urbanis verbis temptandum fuerat, id obscena ac execranda vi

---

32 *vel* castixleoneum (castilionensem) *codd.* | 35 *vel* mediolanensium *codd.* | 40 *vel* illidat *codd.* | 43 *vel* Teglæ (Thegle) *codd.* | 44 indigne (indagine, indigne) *codd.* | 45 ut] *vel* sic *codd.* | 49 cumque *Palat.* | 52 *vel* recepit *codd.* | 55 iam Epiphanie ΣΠΙΕ Sapnas dies (iam Epiphaniae F III e S. aptas dies \*\*\*\*, iam Epiphaniae \*\*\*\* dies) *codd.*

aggregi ausus est. Siquidem crebro ac solicito campanae tinnitu  
populo accito, populo inquam Mediolanensi, cuius nec artificum  
nec nobilium numero nec rerum magnifice gestarum gloria parem  
ac auctoritate habemus aut novimus, tantum enim ea urbs « alias  
*Verg. Ecl. I 24;*  
*Ovid. Met. XIII*  
1. *<inter>* caput extulit urbes quantum lenta solent inter viburna 65  
cupressi » : tanta igitur tunc « vulgi stante corona » sic flamen  
orsus est : « Non admiremini, popule praepotens, si tam repen-  
tino ac fere antehac inaudito motu vos huc accerso ; causa est  
sacrosanctus beati Ambrosii liber mihi, imo ecclesiae vestrae, imo  
vobis omnibus nuper ademptus, quem per tot saecula tam pie 70  
tam reverenter tam fideliter custodiri observari et recludi volui-  
stis, sub cuius disciplina tam diu vixistis et vivitis. Ite nunc,  
agite, ecquis vestrum Ambrosianae doctrinae aut religionis posthac  
notitiam habiturus est ? Ille, ille omnem disciplinam abstulit, ille  
salutem nostram secum asportat, ille praecipuum huius amplissi- 75  
mae civitatis decus atque urbis gloriam et ornamentum abstrahit.  
Quotiens eadem haec frustra temptavit, ut Romanum non Am-  
brosianum officium Mediolani celebraretur ! Nunc autem sub  
Graiae confusionis specie nos versutis dolis circumvenire voluit.  
Quae quonam usque patiemini, civitas inclita ? Volui hac de re 80

*Ter. Eun. II 3,*  
89. vos certiores ex me fieri, ne in posterum « haec in me faba con-  
cudatur ». Non is ego sum qui tanto viro, rubeo praesertim in-  
signito galero, refragari ausim aut valeam ; vestrum hoc opus et  
officium sit, qui animi corporisque viribus valetis ».

*Verg. Aen. II*  
650. « Talia perstabat memorans fixusque manebat ». Illoco ir- 85  
ruunt animosa plebs, seu quod in hiis quae veremur facile creduli  
sumus, seu quod Epiphaniae, ut dixi, festa dies in Storpii aede  
celebraretur, ubi viderant omnes religiosissimum trium regum ma-  
gorum sepulcrum a Friderico imperatore tam piis reliquiis spo-  
liatum ; quae quidem Mediolanensis, ut par fuit, non mediocris 90  
iactura visa est eiusque rei lugubris ad hunc usque diem apud  
illos memoria extat. Sive igitur vel ea recordatione magis accensi  
fuerant eorum animi, plenis accurrunt stratis morteque vel incen-  
dio cardinali dignissimum autumant, quem tanto peculatui sa-  
cilegas non puduit manus immiscere. Videres, Guarine pater, 95

---

64 tam codd. | 68 rel arcesso codd. | 73 et quis codd. | 75 vestram  
Palat. | 87 S. Eustorgio.

quam forti audacia, quam acri animo, quam efferata mente decora sua patriosque, ut sic dixerim, penates tueantur. « Sic animis sedebat » aut « certae occumbere morti » aut Ambrosianum libellum in Theglialem aedem reducere. Non illos tanti viri dignitas reverentia vel amplitudo remordebat, non illos tam reverendi nominis arcebat auctoritas, non illos tam sacri capitis perterrebat admiratio, non in eos praeclara beneficia retrahebant; non meminerant ipsum esse praeclarissimum atque indelebilem civitatis suae splendorem, qui nullis temporum calamitatibus perterritus, nullis erroribus fatigatus, nullis quamvis asperrimis et longis itineribus defessus sibi visus est, non aetati, non dignitati, non labori unquam pepercit, ut Christi fidem augeret et corroboraret sacrosanctamque ecclesiam diu tumultuantem et laceram humeris suis fulciret ac veluti fidelissimus umbo protegeret utque Italiam nostram suis ipsam ruentem armis totumque fere terrarum orbem in diversa trahentem ac varie sentientem sedaret ac in unam fidem ac veram religionem adduceret et demum attraheret, quae potissima, ut dixi, huius libelli asportandi causa fuerat.

Viderint nunc sapientes, utrum Liguria Mediolanensem pulum lamentetur an glorietur, qui cum vetustissima decora sua tueri conantur, aliud singulare suum ornamentum delere quaeriant, quod quidem officii genus, ut a Cicerone diffinitur, recte *κατόρθωμα* nuncupare possumus. Laudandi enim videntur quod in Ambrosium protectorem suum pii ac reverentes erant eiusque felicem memoriam non minus verbis quam re defensare nitebantur; minus vero bene aut officiose factum quis ibit inficias tam illustri tamque amplissimae Castelionum familiae insultare, quae quidem vetustate gloria et praeclarissimorum virorum fama cum omni ausit antiquitate certare? Nam ut caetera huius inclitae famiae ornamenta praetermittam, quem, vel Herculem ipsum, non debuerant Franchini et Guarnerii nomina perterrere, quorum non dixerim dignitatem (quae ut maxima est, ita et tanto principi gratissima, qui consiliorum suorum et rerum arcanarum participes semper esse voluit), sed eorum gravitas reverentia et aucto-

Verg. Aen. II  
660; 62.

*de off. I 8.*

108 *vel* laceratam *codd.* | 110 *vel* ferme *codd.* | 117-18 recte officium medium ad opto XX a (recte officium medium adoperto 448 (?), recte officium medium \*\*\*\*) *codd.*

ritas tanta est et habetur, ut qui eorum fidem integritatem et 130 iustitiam non verentur, insani, qui eorum graviter dicta et prudentissime excogitata non admirantur et summis efferunt laudibus, invidi et maligni iudicandi sint. Quis enim vir bonus probabilem et sanctam Franchini vitam non praedicat, quis rectam et innocentem in eo iustitiam non veretur, quis eius amabilem auctori- 135 tatem non extollit, quis utriusque iuris scientiam non decantat? Quippe quid moribus suis suavius, quid aequitate paeclarioris quidve animi moderatione praestantius dici aut excogitari potest? Illud profecto Maronis de hoc recte decantatur: « quo iustior alter non fuit in terris ». Sed quid de Guarnerii prudentia libe- 140 ralitate et animi magnitudine dicam, quid de admiranda utriusque iuris scientia, quae omnia tam aequa vir inclitus praestat, ut in quo magis excellat non facile vir quispiam iudicarit. Qui- 145 bus rebus effectum est, ut maximis viris et clarissimis principibus aequari meruerit, potenti enim et ingenita auctoritate, invictissimo animo et incredibili sapientia sua inter magnanimos et potentissimos gloriosissimi, « dum fata deusque sinebant », imperatoris co- 150 mitis Carmagnolae generos annumerari dignissimus visus sit. Sed sunt tantorum virorum innumerae laudes hoc loco perstringendae, ne, cum eis ornamento esse cupio, tam celebri obruar gloria eo- rumque dignitati detrahere videar velle, qui parcus ac minus luculenter quam tanta res exigat dixerim. Adde quod qui iam-

Verg. Aen. IV  
631.

pridem « docta per ora virum volitant » et tibi notissimi sint necesse est, cum doctorum hominum atque excellentium tibi periocunda semper cognitio fuerit et conversatio laudumque suarum 155 fidelissimus atque adeo studiosus praeco semper extiteris.

Verg. Geo. III  
9.

Redeo igitur unde diverteram. Tanta Mediolanenses rabies seu torquebat seu servandae religionis ardor incitabat, ut nihil hiis illicitum videretur, dummodo libellum in pristinam sedem reducerent. Meminerant iam eorum urbem, ut paulo ante per- 160 strinxi, violenta obsidione et importuno bello a Friderico impe- ratore deletam et solo aequatam, qua profecto ruina non tantum maeroris suscepereunt, quam regum magorum rapina contrastati sunt; nunc has ornaentorum suorum reliquias asportari auferri

---

131 *vel* potentissime *codd.* | 145 ingenia (ingenua) *codd.* | 160 eius *codd.*

165 diripi, ut eorum utar verbis, nullo poterant pacto sufferre, credo  
 illud Maximi eulogium memoriae reducentes, quod etsi Romae <sup>Val. Mar 11</sup>  
<sub>9.</sub> ascribat, nos Mediolano, Roma nequaquam inferiori hac tempe-  
 state, decantabimus: « Omnia, inquit, post religionem ponenda  
 semper ea civitas duxit, etiam in quibus summae maiestatis aspici  
 170 decus voluit, quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire,  
 ita se humanarum rerum habere regimen existimantia, si divinae  
 potentiae bene atque constanter fuissent famulata ». Irruunt igitur  
 animosum vulgus, tamque innocentis domini aedes circumveniunt,  
 lapidibusque et caeno parietes oppugnant, imo fere expugnant,  
 175 cuiusque auctorem sero paenituit, foribus ignem admovent, ne  
 quid tam turpi remaneret intentatum audaciae. Admiratus, non  
 etiam (rectae mentis conscius) admodum perterritus cardinalis,  
 quid sibi peterent, quid vellent, quid tot tamque vesani ac ful-  
 minei venissent, cum interrogasset, libelli Ambrosiani causam esse  
 180 responsum est. Illico librum eis dari iussit aitque: « Popule meus.  
 quid tibi feci, quid in te commisi, quid male de te merui ? hunc  
 ego libellum ad communem salutem mecum, non diffitebor, aspor-  
 tare volebam ; quod si non aequo fueratis laturi animo, quid of-  
 ferendum et mihi liberaliter concedendum permisistis, quid tam  
 185 laeta fronte permittebatis, si tanto cum furore repetituri eratis ?  
 Quod si etiam repetituri tam breviter eratis, nonne vel minimus  
 vestrum inermis et sobrius ad reposendum aptus atque idoneus  
 fuerat ? Quid tam denso agmine properastis ? »

Nulla eius verba exaudiunt, nullas excusationes admittunt,  
 190 sed eo audacius instant illumque meritas eis daturum poenas mi-  
 nitantur. Increbuerat interim fama, quae per totam urbem vagabatur  
 viresque non mediocres acquisierat. Finixerant iam cardinalem  
 voluisse beati Ambrosii reliquias furtim asportare utque  
 aliqua hiis exercendae irae daretur occasio, librum quidem recu-  
 195 peratum, sed multis cartis diminutum caneabant, quo rumore acciti  
 qui nundum haec resciverant, eorumque exemplo qui penitus  
 ignorabant accurrunt; at si eorum plurimos petas quid sibi ve-  
 lint, quid poscant, quid ita cursitent, se nescire respondeant, sed  
 cardinalem tanquam eis infensum et exosum morte se scire di-  
 200 gnissimum : sic omnibus placere plebeis. Videres Aristidem iustum

178 tamque insani (tanquam vesani, tanquam insani) *codd.*

propter eius praeclera facinora atque innocentem iustitiam, a qua praeclearissimum Iusti cognomen acceperat, proscriptum et relegatum, viieres Iesum, creatorem nostrum, ob eius sanctissimam vitam et immensa in Iudeos merita ab eisdem oppressum, circumventum, reum iudicatum. Quid plura? ventum erat eo tandem, 205 ut nulla fere iam de tanti viri salute spes haberetur: tantus erat populi aut furor aut odium, tamque in facinus, alterutrius exhortatione, proni accensique animi.

Verg. Aen. I  
124.

« Interea magno misceri murnuire plebem » magnanimus ac vere divinus princeps praesenserat quoniamque satius commotam 210 civitatem sedari quam puniri videbatur, praeclearissimum monile suum Urbanum de Iacopo, illustrem virum Petrum Vicecomitem et Thomasium Bononiensem, virum vel diis gratum, emisit, qui vesanum vulgus perterreren et sedarent. Dii boni, quantum magnorum ac gravium virorum valet auctoritas! Ubi ad tumultum 215 applicuere, illico pars fugere, pars latibula quaeritare, pars tremere et audaciam suam condempnare, pars tantorum hominum dictis stupentes inhiare. Apte quidem et oportune ea Maronis comparatio referri potest, in qua hunc casum ad unguem, ut aiunt, pingit dum dicit: « Ac veluti magno in populo cum saepe 220 cohorta est Seditio saevitque animis ignobile vulgus Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat: Tunc pietate gravem ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent arrectisque aribus astant, Ille regit dictis animos et pectora mulcet ».

Aen. 1 148-53.

Ut tamen in posterum unius periculo caeteros perterreren, 225 omni ex turba illum vinculis arceri iusserunt, qui primus ignem cum fomentis attulerat utque « unum pro multis daretur supplicio c<sup>e</sup>put », eum fenestris eiusdem domus, quam obsidebant, suspendi decreverant, nisi pius vere ac misericors cardinalis penitus vetuisset hominemque, penes se receptum, sospitem nocte domum 230 remisisset. O fortissimum atque invictissimum animum, o praeclearissimam indulgentiam, o singularem huius hominis misericordiam, o « rara avis in terris nigroque simillima cigno! ». Ille potius plebeis erroribus ignoscere voluit, quam aliquo dignitatis suae contemptu commoveri carioremque unius homuncionis salu- 235

Verg. Aen. V  
815.

Iuvenal. VI 165.

207 tanquam codd. | 210 quique Palat. | 213 vel Petrum Thomasium codd. | 217 vel ac codd.

tem quam tot milia ipsius honorem ac gloriam habere voluit. Quid nunc admireremur Catonem illum superiorem pro inimicis causam saepius dixisse? quid admireremur Macedonicum filios suos funebri Scipionis lecto humeros subicere coegisse, a quo quidem 240 Scipione acerrime dissidebat et a quo publice et private tot contumelias totque iniurias receperat? quid admireremur Marcum Bubulum, virum amplissimum, Gabinianos milites e vinculis remisisse eisque incredibili animi fortitudine pepercisse, qui duos nobilissimos eius filios crudelissime trucidarant? quos Archytas, 245 quos Platones, quos Xenocrates aut Diones huic aequabimus? Hii enim omnes iniurias illatas moderato animo tulerunt, hic illis constantissime pepercit, qui non modo honorem gloriam et sacro-sanctam eius dignitatem spreverant, sed in eius caedem paratissimi erant, piam illam saepius emittens vocem: «parce illis, Domine, quia nesciunt quid faciant». Caeterum ut Hispanus Seneca ille diceret: «quem saepe transit casus aliquando invenit», qui mortales manus evaserat divinum tandem iudicium effugere non valuit. Siquidem post cardinalis discessum, is enim post secundum cras Papiam divertit, hic iterum captus e carceribus emi- 255 cuit, sed non evasit; domi enim iterum repertus meritas capitis sui supplicio poenas dedit; eo enim in loco suspensus est, ubi magis seditio ferbuerat.

Sedata tunc, nundum autem satiata, plebs omnem tantae seditionis culpam praeposito Thegliali ascribunt eumque vel culeo 260 dignissimum autumant, qui res sacras sibi creditas minus diligenter conservavit: nimirum Tarquinio Marcus Tullius <II vir> culeo dignus visus est, quod libellum civilium sacrorum arcana continentem Petronio Sabino describendum dederat et certe Licinius pontifex maximus virginem Vestalem flagro dignissimam 265 iudicavit, quod aeterni ignis parum diligens <custos> nocte quadam extitisset. Haec pluraque alia succinentes omnem in illum iram converterunt, quam in cardinalem pro votis exercere nequivabant; at divus princeps non odio, non ira, non plebeis vocibus, sed recto divini animi sui iudicio motus accurataque prius dili-

239 *leto* *codd.* | 258 *autem*] *cum* *codd.* | 261 *Invece* *fu* *M. Atilius* | 263 *pronio* (*pionio, patrono*) *codd.* | 266 *pleraque* *codd.* | *succenseentes* (*successentes, sucententes vel recensentes*) *codd.* | 268 *rel ac* *codd.*

*Val. Max. IV  
1, 12.*

*id. IV 1, 13.*

*id. IV 1 ext. 1-2.*

*Luc. 23, 31.*

*Herc. fur. 328.*

*Val. Max. I 1.  
13.*

*id. I 1, 6.*

gentia et pleniori adductus indagine flaminem Theglalem in car- 270  
 ceribus torquendum dari iussit, non ea quidem ratione quod li-  
 brum minus diligenter conservasset (cum non ea libri conservatio,  
 sed rectius perditio dici possit, cum antiquitate exesus, caligine  
 attritus et curgulionum morsibus corrosus parvo curriculo deficiat,  
 nisi ab eo fide dignissimo exemplari plura retrahantur exempla), 275  
 sed quod tantum populum in insaniam et in tam sceleratam au-  
 daciam pestiferis et venenosis verbis suis compulisset. De eo  
 igitur homine quid eventruim sit tute pro prudentia tua iudica-  
 bis; quid vero fere omnes autument, sat scio: temeritatis suae  
 merita flaminem supplicia pensurum. 280

Sed redeo ad cardinalem. Ut primum Ticini astitit eumque  
 salutandi gratia paeclarissimus Ferufinus adiisset, effectum est  
 ut, cum eorum sermo in eius libelli titulum incidisset, apud Fe-  
 rufinum tanquam in amoenissimo diversorio repertus sit. Vide  
 nunc quanti ea plebs existimanda sit, quae cum unicum illum 285  
 extare arbitratur tantum in furorem excita est. Poterat igitur,  
 modo resciret Ferufinus, omnem plebeam ignaviam propellere et  
 audacem sedare temeritatem. De hiis satis.

Habes nunc longiorem epistolam, Guarine pater, quam tamen  
 te avidissime lecturum intelligo, cum et expectata et rerum no- 290  
 varum plena ad te veniat; habebis enim post secundas mensas  
 et extrema bellaria pro more tuo quid ioceris aut admireris;  
 adde quod praeteritam taciturnitatem meam plurima nunc loqua-  
 citate pensabis. Quippe latius haec ad te scribo, quod Maronis  
 illud saepe mecum animo volvo: « Fama malum quo non aliud 295  
 velocius ullum Mobilitate viget viresque acquirit eundo, Tam  
 pravi fictique tenax quam nuntia veri ». Non enim me fugit  
 quantum in hiis rebus fama valeat, quae plurimis saepe falsis  
 sub minimi veri specie accincta facta atque infecta per orbem  
 reportat. Haec ego praesens vidi, eadem haec ad te scribo, ut 300  
 tanti viri tantaeque familiae, si qui sunt, detractoribus intrepide  
 valeas respondere. Vale, mea spes, et si qua de patria aut de  
 nostris resciisti, me facito certiorem.

Ex Ticino idibus februarii <1440>.

---

287 resciat codd.

## 760.

(Ferr. 151 NA 5 f. 37; Class. 121 f. 84).

Guarinus Veronensis suavissimo Gabrieli sal. pl. d.

Audisse ab ineunti aetate memini, mi dulcissime Gabriel,  
 quendam eruditum et non mediocri sapientia virum cum ab ini-  
 mico vulnus accepisset in capite, cum aliis sensibus tum vero  
 5 recordationis ope sic destitutum ac paene orbatum fuisse, ut ne-  
 que sui memor esset; tacitum illum bardumque mirabantur omnes  
 quem prius industrium disertumque novissent. Ei postmodum di-  
 vinitus quendam et quasi dimissum e caelo medicum remedio ac  
 saluti adfuisse, ut, quod mirabile dictu fuerit, se sibi redditum  
 10 fuisse certum extiterit et artes reparasse pristinas. Id mihi quo-  
 que usu nuper venit, amantissime Gabriel; nam cum patriae mi-  
 serias, urbis et agri vastitatem, civitatis et colonorum spolia et  
 caedes iampridem ut letalem cordi plagam acceperim, sic ego  
 mihi excideram, sic musarum, si quae fuerant, dulcedo vanuerat,  
 15 sic solitae litterularum mearum amoenitates obdormierant, ut nil  
 nisi vulgare manaret et ut dicitur « lupi Moerim videre priores ». Verg. Ecl. IX  
54.  
 Nosti quam dulcis amor patriae sit et omni ratione valentior:  
 eius praesertim quae vetustate, civium dignitate, virorum gloria  
 felix quondam « inter alias tantum caput urbes extulerat, quan-  
 20 tum lenta solent inter viburna cupressi ». Quid camporum spe-  
 ciem, fluviorum et lacuum oblectamenta, agrorum feracitatem,  
 rerum ac fructuum omnium varietatem praedicem, quas habet vita  
 victusque fecundus? Cuius quanta <in> incolumitate laetitia, in  
 flore iocunditas, in felicitate dulcedo vitae, tanta in valididine  
 25 maestitia, in languore acerbitas, in rebus adversis interitus; ut  
 cum superiora illa resonantissimas voces et cygneos, vel indoctis  
 hominibus, cantus eliciant, etenim « carmina proveniunt animo  
 deducta sereno », posteriora haec mutum efficiant aut dissonos  
id. Ecl. I 24-25.  
Ovid. Tr. I, 1  
39.

---

760, 2 me codd. | 6 tardumque Class. | 8 demissum Class. | 11 iusu  
 codd. (corr. in usu Class.) | 13 acciperem Ferr. | 16 merin Class. | 20  
 cipressi Class. | 25 langore Class. | 26 cygneas Class. | vel] ut Ferr..  
 et Class.

Horat. A. P.  
7-8. et barbarorum more coaxantes sermones exprimant, sic ut « nec pes nec caput uni reddatur formae, velut aegri somnia » ; <et> 30  
Hieronym. (Migne P. L. 23, 22). quotiens, ut de me proprius dicam, loqui conarer « frendere potius et verba frangere » quam voces hominis edere mihi viderer, oblato calamo non secus atque calcato serpente refugerem. Publica hinc veluti plaga saucius, non minus maeroris privatum accipiebam, quem ne longius producam, refricare desinam et propria recensere detrimenta.

Verum ubi tua sicut salutaris medici manus suavis advenit epistula, pristinos studiorum sensus et musarum consuetudinem revocare et in earum gratiam redire visus sum. Accessit mirifica quaedam benvolentia in me tua, velut filii in parentem pietas 40 et observantia, per omnes litterarum tuarum partes, uti sanguis per membra, diffusa, in cuius lectione perinde ac amoenissimo quodam acquiesco diversorio ; priscum vere dicendi genus, maturas ita redolens sententias, ut Ciceronis alumnum piae se ferat. Eas autem ita vestis et ornas festivo quodam non lascivo, virili 45 non puellari, culto non delicato amictu et colore, ut admiracionem non minus quam hilaritatem spectantibus afferat et sic afferrat. ut me quoque vel dormientem vel oblitum cantibus tuis seu verius incantibus excitaris et animaveris. Quo fit ut iam plebeio vel ut tu vocas materno garriendi ritu prorsus omissio, ad meliores me recipiam musas, quas si non apte si non concinne, at minus inepte at minus inconcinne aemulatus fuero. Quod ad tibias fieri interdum animadvertis, ut cum chori magister primas canendo voces incoharit, imitari videoas ceteros : hi quidem succinunt, illi vel rusticis instrepunt carminibus, nonnulli presso mussant gutture, alii pro se quisque silere nulla ratione queunt. Quae cum ita sint si vel mirari vel accusare novum scribendi cursum pergebas ac denuo quasi renascentem nova balbutire lingua cernis, consilii mei necessitate intellecta, mecum ut arbitror senties.

Ut autem ad te veniam, tuum ut probem de exercitatione 60 consilium res ipsa facit, cum tantum dicendo et recte scribendo profeceris, ut non tironis, sicut dicis, sed veterani militis impleas officium seu clipeo devitandi sunt ictus seu telum crispandum et

---

40 velut] vera et *codd.* | 43 mere *codd.* | 50 tu *om. Ferr.* | obmissio *Ferr.*, amissio *corr. in omissio Class.* | 54 poces *Ferr.* | 62 impleris *Class.*

vel lacesSENDUS hostis vel submovendus. Subinde tuam in exau-  
 65 diENDIS precibus meis alacritatem, in re perspicienda iudicium,  
 in offerendo liberalitatem miror probo accipio. Tamen ne nostris  
 commoditas studiis surripiatur, ita faciendum censeo: librum ca-  
 piAS si non quanti vis, at quanti queas ipsumque quoad scriptis  
 monuero hospitem habeto. Unum abs te praeterea peto, ut quos  
 70 patricius ille venales habeat codices fiam abs te certior; si latini  
 si graeci. Id mihi accedet ad gratiam et officii tui cumulum. Te  
 vero cum sponte mea, tum et invitatu tuo sic in amore complec-  
 tor, sic in sinum accipio, ut vel disiunctus non excutiam et simus  
 intimae pietatis exemplum. Sic in amore contendamus invicem,  
 75 ut cum superare credam in benivolentia superer; grata fuerit  
 tamen vel mea de te vel tua de me reportata victoria, ubi si  
 me vel cessantem vel non respondentem in amore offenderis, ad  
 amicitiae tribunal citato et convictum tua indignum benivolentia  
 reicito.

80 Dominum Leonardum Iustinianum salvere meis verbis iu-  
 beto. Ab eo scisciteris oro meamne quampiam satis longam iam-  
 pridem acceperit epistulam anxie ad illum scriptam. Salutem  
 plurimam tuis verbis dixi Hieronymo filio, qui se abs te diligi-  
 gaudet et in eo diligendo ut pergas etiam atque etiam orat;  
 85 quod persuasum et exploratum habet vel tuarum testimonio litterarum. Sic enim solemus quos amamus laudare plusculum quam  
 rei veritas patiatur, ut non quod in amicis inesse sentiamus pree-  
 dicemus, sed quod adesse cupimus et optamus. Ut tamen et ipse  
 cum auribus oculorum iudicium addas fortuna fecit, nam cum de  
 90 occludendis hisce litteris laborarem fors tulit in manus versus  
 aliquot quos pridem luserat. Eos ad te in sinu praesens gestabit  
 epistula, quibus arridebis ut balbutienti puellorum linguae ad  
 primula verba parentes solent. Vale et patri optimo plurimam a  
 me salutem dicio.

95 Ex Ferraria <febbraio 1440>.

Generoso et eruditissimo iuveni  
 Gabrieli Tegiacio amantissimo.

---

66 afferendo *Class.* | 67 faciendum *Class.* | 72 etiam *Class.* | 93 prima  
*Ferr.* | 95 Ex Ferraria etc. *codd.* | 95-96 generoso - amantissimo *om. Class.*

(Ferrar. 151 NA 5 f. 31<sup>v</sup>).

Guarini V. ad Franciscum Merescalcum de laudibus clari  
viri ac iurisperiti Ludovici Sardi versus.

<Guarinus Veronensis cl. v. Francisco Marescalco sal. pl. d.>

Cui, Francisce, novam potius reserare licebit  
Laetitiam atque hilari nascentis pectore sensus  
Quam tibi, qui solide semper mea gaudia gandes  
Et cui iampridem secretas promere curas  
Sum solitus? cum praecipue communis honores  
Ferrariae invitent, patriam quam iure secundam,  
Nutricem vero primam venerorque coloque.  
Hanc equidem in caelum tollebam laudibus urbem,

<Quod \*\*\*\*\* >

Et cives clari, populus numerosus, abunde  
Divitiis longe variis lateque vigeret;  
Fertile quod nutrit diversis frugibus arvum,  
Exornat quod flava Ceres; quod fortibus undis  
Tutatur pater Eridanus gladiosque feroce  
Submovet hostiles, nemo <ut> populator oberret,  
Atque idem clipeum praestat fructusque benignos;  
Marchio magnanimus, laetae super omnia pacis  
Insigni<s> studio, cultor quoque Palladis ingens,  
Florentes miti populos dicione reservat  
Martis ab incursu: dum circum perstrepit orbem  
Armorum fragor et caedes, incendia, luctus,  
Tibia nos ludique tenent, festa, otia, risus.  
Grandior huic vitae cumulus felicis honorque  
Filius accedit, forma speciosus itemque  
Religione magis, iusti servator et aequi,

5

10

15

20

25

---

761, 6 invitant cod. | 9 Suppongo la caduta di un verso | 12 quem  
cod. | 13 floribus cod. | 14 tutetur cod. | 16 prestet cod. | 17 Marchio:  
Niccolò | 19 reservet cod. | 23 hinc cod. | 24 filius: Leonello | speciosus  
(corr. in speciosius) atque cod.

Dulcior affatu, spes et solatia cunctis :  
Cognita finitimis passim paeonia nuper.

Altera sed mulcent nostram nova gaudia mentem  
Seu speciosa magis vocitem miracula : nam res  
30 Grandis et insolita, cygno quoque rario atro,  
Offertur, primos revocer quasi lactis ad annos.  
Ecce Ludovicus, cui sunt cognomina Sardo,  
Ferrariam illustrans matrem, nova germina spargit,  
Quis laudem eximiam nostrae disseminet urbis.  
35 Constabat leges sanctas romanaque iura  
Huic infusa viro, quis nosset civibus atras  
Sopire et lites durosque resolvere nodos,  
Ad cuius voces populus concurrere, quisque  
Ambiguos sensus certatim ponere, dicta  
40 Certa referre, velut vatis « folia ipsa Sibyllae »  
Mortales petere aut oracula Delia quondam  
Rebus in incertis cupiens audiverat orbis.  
Hanc equidem nobis dimissam caelitus artem  
Crediderim, qua se quaque oppida quaque penates  
45 Et pretii stimulis regerent poenaeque pavore.  
Haec stab*<il>*it populos, reges certo ordine, gentes,  
Hanc inter fortis sceptrum tenuisse videmus.  
Roma Numami talem celebrat Sparteque Lycurgum,  
Creta potens Minoa, Solona tulistis Athenae.  
50 His igitur Sardum claris virtutibus olim  
Instructum noram ; sed eas patefecerat usu.  
Nec minus occultas naturae expromere causas  
Assuerat doctiloquis educta canoribus umbras  
Tempora si quando tulerant sermoque vocarat.  
55 Insperata meas sed enim perfertur ad aures  
Fama viri, potius vatis per saecla verendi.  
Nam sua doctiloquis educta canoribus umbras  
Carmina deseruere malisque exosa tenebras  
Nobile lumen amant volitantque per ora, per aures,

---

30 Iuvenal. VI 165 | 36 noscet cod. | 38 *concurrere* e più sotto  
*ponere, referre, petere*, sono infiniti narrativi | 54 vocaret cod. | 55 pre-  
fertur cod.

Qualia iam priscos legimus cecinisse poetas.	60
Ardua materiem profert inventio ; divas	
Castaliam totam, totum in praecordia Phoebum	
Inspirasse putes ; concinnus iungitur ordo :	
Haud alios instructa locos iuraveris ipse	
Sortiri potuisse, chori de more venusti.	65
Cum sale mel nectarque putem inspersisse camenas	
Versibus, ingenio sic par se vena maritat.	
Haec ubinam latuere, quibus velata latebris	
Se implicuere prius ? Curae, convivia, sermo,	
Incessus, requies, votum communia nobis,	70
Dum nos Rodigium caeli melioris haberet	
Et daret hospitium pestis terrore salubre :	
Num tantilla quidem percepta<e> signa poesis	
Edidit aut musarum ullum patefecit amorem ?	
Unde repente tamen tam tersi pectore cantus	75
Tamque pedes puri, numeri sine sorde canori ?	
Vis memoris divina animi, puerilibus annis	
Qui concepta tenet studiisque assumpta tenellis	
Dedidicit nusquam : sic quosdam somnia vates	
Antexpectatum memorat peperisse vetustas,	80
Sic primo lauri gustu eluxisse poetas.	
Salve igitur patriae decor ingens, inclite Sarde,	
Salve o Pieridum decus, huius gloria saecli !	
Perge modo et quantum leges tua nomina tollunt,	
Per quas antistes iuris vocitaberis usque,	85
Tantum iura simul legesque ornare caenis	
Adiunctis studeas. Fuit haec, fuit optima quondam	
Temperies, artes arcta viguere catena,	
Altera ab alterius pretio pendebat, amicam	
Deposcebat opem socioque valebat honore.	90
Ast ubi desidia fervensque cupido peculi	
Invasere animos, iunctas malesana diremit	
Luxuries ; una tantum contenta triumphat,	
At viles alias tacitasque oblivio fecit.	

73 Nam *cod.* | 79 Redidicit *cod.* | *somnia*: non capisco | 92 iunctis  
*cod.*

95 Sed tu, Sarde, rudes vulgi contemnito morsus  
 Et tua iam reduces firment exempla camenas  
 Teque auctore ausint profugas iunxisse sorores.  
 Splendida se quantis doctrinae gratia tollet  
 Laudibus; hanc omnis cupide sectabitur aetas:  
 100 Grata seni, dulcis iuveni, solamina moestis  
 Rebus et ornatum celebrem allatura secundis.  
 Tales Aonia pleni dulcedine vates  
 Flumina saxa feras suavi testudine secum  
 Traxere, ursorum rabiem iramque, leonum  
 105 Demulsere famem, morsus pressere luporum.

<Ferrara 1440>.

## 762.

(Gambalung. D II 15 *Epistolarum familiarium Leonardi Aretini libri novem* f. 1, cod. copiato dall'edit. pr., cfr. Hain *Repertorium* 1564; la medesima lettera fu trascritta di su l'edit. pr. da Ioh. Honorius Cubitensis nell'esemplare Berlinese xh 1717. 4.º della sua ediz. dell'Epistolario del Bruni, Lipsiae 1499).

Guarinus Veronensis illustri adulescenti Pros<docimo> de  
 Pros<docimis> s. d.

Quod superioribus litteris a me quaeris quid de Leonardi  
 Aretini epistulis sentiam, in eam partem accipio, non quod illa-  
 5 rum elegantiam ac dignitatem ipse per te non perspicias, sed, ut  
 studiosi atque optimi adulescentis est, quae ipse magnopere pro-  
 bas, a probatis etiam viris laudari desideras. In quo tibi facile  
 morem geram. Ego enim epistulas, quas Aretinus noster nuper  
 collegit, et vidi et iterum ac saepius a prima ad extremam usque  
 10 perlegi. Est sane in illis facilitas ingenii, splendor orationis, sen-  
 tentiarum gravitas et, quod in primis maximi facio, rerum de  
 quibus ad amicos scribitur dignitas. Nam ut Ciceronis ad Atticum  
 epistulae ideo dignissimae habentur, quod in his de re publica  
 et rebus maximis semper agitur, sic et Aretinus noster, ut nulla

Iuvénal. VII  
232.

in re antiquitati cederet, non communia in epistulis scripsit, sed 15  
 sui temporis historiam de Romana curia et scismate deque fluctuantis naviculae tempestate atque aliis plerisque rebus dignissimis sine historiarum invidia texere videtur. Itaque ego te magnopere hortor, epistulas illas Aretini ita frequenter legas, ut quod dici solet « tanquam unguis digitosque tuos » familiares 20  
 habeas. Invenies in his multa quae rerum maximarum notitiam praestent et ad vitae institutionem plurimum valeant et quae sint tibi voluptati legisse atque usui meminisse. Vale et quod facis studiis vehementer incunbe.

Ferrariae XI kalendas maii MCCCCXL.

25

## 762 A.

(Bergam. A II 32 f. 112).

G<uarinus> V<eronensis> R.<sup>mo</sup> d. Lud<ovico> patriarchae aquileiensi <sal. pl. d.>.

Reverendissime in Christo pater et domine.

Rediens nuper a tua p<aternitate> Severus tabellarius laetissimum cum ceteris tum mihi nuntium attulit. Nam ut omittam 5 reliqua, litteras a tua r<everentia> plenas honoris mihi reddidit, quas omnibus legendas et amicis ut laetarentur <dedi> et iniiciis « ut ilia rumpantur » ostendo. Quis est <enim> qui me non magnifaciat et laudibus prosequatur, cum tanto viro tam amplissimo principi tam excelsa domino belli et pacis artibus insigni me 10 carum acceptum amatum accipiat aspiciat et litterarum tuarum <testimonio> tibi familiarem intelligat? Accedit quod res ecclesiae tuo reliquorumque magnorum principum ductu et auspicio felici in statu positas nuntiant, inanem fuisse famam aperientes, quae rem ecclesiasticam male gestam iactaverat. Quibus ut laetari, 15

Verg. Ecl. VII  
26.

762, 18 Le parole *invidia texere* mancanti nell'apografo Gambalunghi, per corrosione della carta si suppliscono con la copia del Cumbensis.

762 A, 1 G. V. ad R. d. lud. patriarcham aquileiensem pro ecclesia militarem cod. | 13 magrorum (= magistrorum) cod.

sic et favere debent omnes, qui christianam religionem vereque christiani nomen profite*<ñ>*tur. Quam vero quis recte contra sanctam dei ecclesiam palmam reportare audeat vel speret, vel gentilis poeta commonefacit: « heu nihil invitis fas quenquam si-  
20 dere divis ». Tuum sane propositum caesareamque magnanimita-  
tem quis non admiretur et decantet, cum vitam, quam naturae ut  
homo debes, *<ut>* vir gloriae et nominis immortalitati solvis et  
cum plerique rationem vivendi otio et tranquillitati marcescentes  
dicarint, tu laboribus incommodis periclis florens attribuis. Inter  
25 quos ac te ipsum hoc interest, quod de illis sic viventibus perinde  
ac mortuis siletur, « de te vero nulla aetas non praesens non  
postera conticescat » « nec tuas res gestas ulla obscurabit oblivio »  
modo « litterarum lumen accendat ». Non silebitur te pastorem  
strenuum venatoremque solertissimum ovile Domini protexisse et  
30 ab oppresso grege insidiatores arcuisse: modo ut dixi fidelis re-  
rum gestarum custos scriptura coniungatur. Quae tanta est et  
contra vetustatis morsus praevalida, ut cum illustrissimae quondam  
urbes in ruinis iaceant et velut somn*<i>*um et umbra vanescant,  
nihilominus ope litterarum in dies magis magisque reviviscant.  
35 Utinam, vir magnifice, ea mihi dicendi vis et orationis vena tri-  
buta esset, ut res tuas si non ornare, at saltem memoriae uteunque  
prodere valerem. At voluntas tui certe praedicandi non aberit, ut  
vel si*<c>* tuae in me p*<aternitatis>* caritatem recompensem,  
ut si res ipsa, mens saltem grata non desit.

40 Ex Ferraria *<luglio 1440>*.

## 762 B.

(Bergam. A II 32 f. 112v).

G*<uarinus>* V*<eronensis>* R.<sup>mo</sup> in Christo patri d. Ludovico patriarchae aquileiensi *<sal. pl. d.>*

Cum virtutum tuarum admirabilem in dies excellentiam ante  
oculos propono, plura quotidie et quidem maxima de ipsa nova  
5 constituis exempla, adeo ut cum ceteros tui ordinis hactenus aut

28 accedat Cic. | 34 revivescant cod. | 36 utrumque cod.

762 B, 4 ipso cod.

Verg. Aen. II  
402.

Cic. p. Marc.  
9 e 30; p. Arch.  
14.

superaveris aut aequaveris, dehinc tecum certes et te ipsum vincere contendas. Nam ut in praesentiarum alia missa faciam, quantum prae te fers et novam aperis in dies humanitatem, quam egregiam mansuetudinem, quam summissi~~ssi~~<sup>13</sup> mam humilitatem vel in his litteris quas ad me rursum domino Ambrosio dedisti. 10 In quibus a tua d~~ominatione~~<sup>14</sup> sic extolli et laudibus ornari videor, ut, cum sint tuae in me caritatis ~~et~~<sup>15</sup> benvolentiae testes, facile me per ora virum volitare facias lateque dissemines, quia me tanto principi et belli et pacis artibus celeberrimo « placuisse non infima laus est ». Imitaris autem Dominum Iesum, in 15 cuius ~~aede~~<sup>16</sup> tu quoque cardinem tenes, qui e tam excelso maiestatis et divinitatis fastigio servi formam accipiens, deus inter homines conversatus est: cui didiceras tam gratam esse humiliatis virtutem, ut « deponens potentes de sede, exaltet humiles ». Quod exemplum non procul auguror esse: eam vero ad rem non 20 intempestivum affertur ex litteris tuae p~~aternitatis~~<sup>17</sup> auspicium, quae in castris apud Metaurum datae sunt. Venit enim mihi in mentem praeclari illius facinoris quod olim apud eundem fluvium summa cum gloria pro re romana gestum est. Siquidem Asdrubal, cum rei militaris scientia et punicarum virium confidentia post 25 tot romani nominis strages certissimam victoriae spem induisset, priusquam fratri iungeretur Annibali, per fortissimorum ducum, Neronis scilicet atque Salinatoris, sapientiam iuxta Metaurum fusus fugatus et caesus iacuit: ubi kartaginensis astutia romano profligata stratagemate quid inter fortitudinem ac temeritatem interesseret sui ipsius ruina didicit. Tu quoque, reverendissime pater, cum pro pontifice dignitate pro romano statu pro Christi gloria tot strenuissimorum militum totque fortissimorum ductorum robore ac sapientia stipatus fultusque bellum geras, quantum nominis famae celebritatis immortalitatem expectare tibi fas est! modo 30 scriptorum ac litterarum vis et « lumen accendat » et muniat, ut tantae rei memoria apud venturos illucescat et perduret: unde 35 Verg. Aen. I « semper honos nomenque tuum laudesque manebunt ». Valeat tua reverendissima paternitas, cui me humiliter commendo.

&lt;Ferrara 1440&gt;

40

## 763.

(Bologn. Universit. 1490 p. 201; Vallicell. F 20 f. 38<sup>v</sup>; Marc. lat. XIII 71 p. 216; XIII 72 f. 74; XIV 120 f. 58; Padov. Universit. 1261 f. 36<sup>v</sup>; Padov. Semin. 598 f. 29; Vatic. 5911 f. 88<sup>v</sup>; pubblicata dal Querini in Fr. Barbari *Epistol.* p. 102).

Guarinus Veronensis cl. v. Francisco Barbaro sal. pl. d.

Litteras tuas post sudores illos bellicos et diurnas obsidionis angustias mirifica sum complexus laetitia et suavissime deosculatus, quasi victrices istas manus tuas, inter effusas prae 5 gaudio lacrimas, contemplatus Laconicarum de more matronarum meum relatas in sinum, quas constat inter materna blandimenta exituros ad proelium filios sic adhortari et ad conservandam patriæ dignitatem animare solitas: « Filii, vos aut in armis mortuos, aut cum armis victores expectamus ». Tu enim eluso, ejecto, super 10 rato, sapienter, perseveranter, fortiter hoste, in patriam remeas. Dolebas enim, scio, nisi acceptam patriae maiestatem et nominis Veneti gloriam incolumem tuereris, illaesam immo vero auctam propagatamque restitueres. Salvum itaque te Venetae gloriae conservatorem venisse gaudeo; utque perpetuo gaudeam, crebris 15 tuis in dies rebus facito. Quod tam solidum tamque laetum gaudium gavisus est <etiam> princeps meus et ill. herus Leonellus, qui cum te colat ut parentem, diligat ut fratrem, amplectatur ut amicum, tuae favet gloriae et honore diffunditur. Is tuam ad calcem a vertice usque mira quadam caritate lectitavit epistulam 20 et quasi ad se quoque scriptam communicare voluit. Ei igitur te commendavi ut iubes, immo vero tuam perlegens sibi te etiam atque etiam commendavit. Vale.

Plut. *Lacœni.*  
apophth. 13.

Ferrariae V idus octobris 1440.

---

763, 15-22 Il passo da *Quod tam a commendavit* è dato dai soli codici Marc. 71 e 72, dal Bologn. e dal Vatic. | 20 comunicari? | 23 octobris Marc. 71, 72, Bon., Vatic., decembris rell.

## 764.

(Vallicell. F 20 f. 37<sup>v</sup>; Marc. lat. XIII 71 p. 226; XIII 72 f. 77<sup>v</sup>; XIV 120 f. 57; Pad. Semin. 598 f. 28; Vatic. 5911 f. 91<sup>v</sup>; Bologn. Univers. 1490 p. 210; pubblicata dal Querini in Fr. Barb. *Epist.* p. 99).

Guarinus Veronensis cl. equiti Francisco Barbaro sal. d.

Verg. Aen. II  
ib. IX 339.  
LIV. XXIV 31.

Hisce diebus eques insignis Ursatus Iustinianus laetum mihi  
nuntium obtulit te videlicet tandem in patriam reversum salutem  
plurimam mihi dicere. Gratias immortales deo egi, quod « te post  
multa tuorum funera, post varios hominumque urbiske labores 5  
defessi aspicimus ». « Videre videor » effusam tuum in adventum  
civitatem spectaculum sane praebere triumphi, cum alias sapien-  
tiam, alter vigilantiam, nonnulli fortitudinem, quidam patientiam,  
aliqui vafra consilia, non pauci stratagemata praedicarent et  
frequentissimis tollerent in caelum laudibus. Quid in contemnen- 10  
dis periculis et in postponenda patriae dignitati vita magnanimi-  
tatem, cum hostis acerrimus quaquaversum instaret ac urbem  
Brixiam acerbissima cingeret obsidione et, ut fame stimulante  
leo, hians fance incumberet ovili, tu vero interim et auctoritate  
et exemplo et ductor et miles milites et populum in fide ac offi- 15  
cio tot menses, immo vero annos, continueris, humanitate hortatu  
liberalitate mansuetudine adeo fretus, ut quantum exterius hostis  
armis et omni machinamentorum genere conaretur, tantum tuis  
artibus elusus excluderetur Quemadmodum in obsidione Syracu-  
sarum contra tantam belli molem et invictissimum M. Marcellum 20  
unius Archimedis tutela valuit, ut Archimedes quidem anima,  
reliqui vero Syracusani illius membra fuerint. Unus M. Marcellus  
totiens victor, tunc denique solo ab Archimedea victus fugatus,  
rebus desperatis abscessit: quod eodem modo et de te dici vere  
potest. Nicolaus Picininus totiens superatis hostium copiis, totiens 25  
fusis ductoribus, totiens redactis in potestatem provinciis victor  
nunc primum repulsus est: et Barbarus Picinimum et fugari et  
vinci posse docuit et injecta reliquis fiduci sternendum dissipan-  
dum et spernendum tradidit. Maximum Barbarus documentum

---

764, 4 vel immortali codd. | 12 vel quaquaversus codd.

30 praestitit aliud esse pro patriae maiestate pugnare et ad convec-  
tandas praedas discursare. Quod autem singularis gloriae et praed-  
icationis dixerim, in tanta rerum angustia, in tam duro statu  
et discrimine ne tantillum quidem crudelitatis facinus exercueris:  
quo effectum est ut et tui te diligent colant venerentur, alieni et  
35 quidein hostes admirarentur praedicent contemplentur.

Quae cum ita sint reliqui bello incendiis cruore victores in  
eorum triumphis gallos immolent: tu vero ingenio virtute con-  
silio ratione vixor, quae sunt in homine bona permaxima, « tau-  
rum victimam maiorem » immortali deo offeres; et qui patriam  
40 nominis aeternitate vivere facis, immortali laurea scriptorum be-  
neficio et litterarum opera donabere. Haec atque alia huiusmodi  
coram, nisi locorum intercapedo vetaret, dicturus eram; at enim  
vicaria et meo nomine tibi gratulabunda veniens epistula meum  
supplebit officium. Eam invicem ut Guarinum tuum laetus ac  
45 festiyus amplexabere. Vale.

VERG. G. S. II  
146.

Ferrariae nonis decembris 1440.

## 765.

(Vallicell. F 20 f. 39; Marc. lat. XIII 71 p. 220; XIII 72 f. 79; XIV  
120 f. 58; Bologn. Universit. 1490 p. 214; pubblicata dal Querini in  
Fr. Barbari *Epist.* p. 104).

Franciscus Barbarus eloquentissimo Guarino suo sal.

Delectarunt me laureate littere tue in quibus et graviter et  
ornate de meo felici in patriam reditu gratularis ....

Venetiis X kal. ianuarias MCCCCXL.

31 *rel* et divine pred - *codd.* | 31-33 Qui c'è o guasto o anacoluto;  
si compia il periodo: *Quod autem.... dixerim <illud est quod> ...*  
*exercueris* | 40 *rel* virere *codd.* | 44 *rel* et *codd.* | 45 *rel* Vale et me ut  
soles ama *codd.* | 46 *rel* ex Ferraria *codd.*

765. 2 Vehementer delect - me laur - t - litt - Bonon.

## 766.

(Harleian 2570 f. 175).

Guarinus suo Karolo Brugnolo sal. pl. d.

Etsi mihi dubium non erat me abs te amari, quia te a me amari scis, cum gratissimus sis, tamen hodierno die apertum et ut dicitur « sole clarius » testimonium exhibuisti me primas apud te partes in amore tenere; nam, quod benvolentissimae signum 5 est mentis, tuas mihi res iocundas et honorificas sic communicare instituisti, ut eas tum denique tibi laetitiae ac laudi fore tibi crederes, cum in earum quasi partem ac societatem devocatus essem. Quod profecto non fecisses nisi me tibi teque mihi caritatis vinculo conciliatum intelligeres: cuius proprium est amici 10 bonis ut suis exhilarari diffundi ac denique florere.

Gratulor itaque mihi cui obtigit tam insignis tam integri tam nobilis amicitia viri; gratulor et tibi cui volente deo Simeonis prudentissimi et liberalis et primarii hominis oblata est affinitas, cuius splendor vel magnificam nobilitare civitatem potest; gratulor et Simeoni amico singulari, quoniam probe ac feliciter ac fauste factum est ut, cum mea omnia pro amicitiae iure Simeonis quoque communia sint, tu quoque qui meus es Simeonis etiam factus sis. Felix itaque sit utrique connubium istud, ut et tibi filios et Simeoni nepotes et patriae cives optimos procrees, qui 20 ad decus laudemque vel patris vel avi exemplo ferventius anhellenent. Vale et hac breviuscula contentus sis epistula; plura scrip- sissem, si maius daretur otium.

Ex Ferraria XXVIII novembris <1440 c.>.

Commenda me viro doctissimo m<agistro> Victorino et 25 mihi respondeat ora ad ea quae de Homeri commento nuper ad eum scripsi.

---

766, 11 ut] et cod. | 16 quam cod.

## 767.

(Laur. Ashburnh. 278 f. 13; Vicenza G 7. 26 f. 85<sup>v</sup>; Vindob. 3330 f. 171; Corsin. 33 E 27 f. 54; Arundel 70 f. 114<sup>v</sup>; Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607; cfr. *Memorie* V, II p. 49 dal cod. A f. 113 « militem strenuum hac tempestate nostris in castris sub Perusino Raynero merente in crimen coniurationis devocatum »).

Guarinus Veronensis cl. v. Leonardo Aretino sal. pl. d.

Tam diuturnum nos silentium tenet, ut non iniuria —  $\chiωροί$   
 $\tauισι\; νομιζώμεθα$  — nostrorum ignaris negotiorum et occupationum immortalium, quibus destinemur, tu quidem publicis, ego  
5 vero privatis. Hoc autem ipsum rupturus eram saepe silentium, sed dicendi aliquod argumentum expectabam, quod in praesentia iniocundum sane oblatum est, sed necessarium, nisi amicitiae desertor esse malim, quae ut laetis gratulari, ita et moestis condolare. iubet amicorum rebus. Est mihi stricta quaedam familiaritas  
10 cum generosa hinc familia Arriosta, cuius oriundus est miles sane strenuus Hieronymus Arriostus, hac tempestate vestris in castris sub Perusino Rainerio merens. Huius sinister et acerbus nuntius totam familiam Arriostam et amicos universos consternavit, ipsum Hieronymum in crimen coniurationis esse devocatum  
15 et ut aiunt insontem, cuius periculo laborant et  $\lambdaειποψυχοῦνται$  πάντες. Ego igitur quantum in me situm est huic tanto moerori medelam adhibere conatus ad te configio et ipsum Hieronymum tuae humanitati commendo, quantum et honor et tua patitur existimatio, ut hominis saluti studeas. Quantum in ea re pro tua  
20 sapientia et auctoritate possis, nemo nescit; quantum etiam in te possim pro amicitiae nostrae iure cum nulli ferme obscurum sit, nisi δραστηρίως aliquid hac in re coneris, vereor ne aut negli-

---

767, 2-3 Il greco è omesso dai codici; iniuria p. \*\*\* seu portioni nostrorum *Ar.*, *Vind.*, iniuria \*\*\* nostrorum *Ash.*, iniuria muti a non-nullis iudicemur nostrorum *Vic.* | 11 *vel* nostris *codd.* | 12 Ramerio *Vic.* | Huius] Nunc? | 13 *vel* tantam *codd.* | 15-16  $\lambdaειποψυχοῦντας$  τάντες (*in marg.* idest animam exhalant universi) *Ash.*,  $\lambdaειπο$  id est animam exhalant universi ψυχουντας ταπτες *Ar.*, idest (et) animam exhalant universi (*gr. om.*) *rell.* | 22 δραστηριος (*in marg.* strenue) *Ash.*, αρξε strenue pie *Ar.*, *om. gr. rell.*; strenue *Vic.*, strenue pie *Vind.* (pie è nato dalla falsa lettura della finale *ρισ*).

genter ad te scripsisse videar aut abs te pro hominum opinione non amari, quod ad decus laudemque meam vehementer attinet. Te igitur oro ut, modo μετὰ τιμῆς σου queas, et me tibi novo 25 quodam vinculo devincias et amplissimam familiam tibi immortaliter obliges. Vale splendor humanitatis.

Ex Ferraria nonis iuliis <1440 c.>.

Salvus sit dulcissimus Mariotus noster.

### 768.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 54; Ottob. 1153 f. 26; Class. 271 f. 27<sup>v</sup>; Kremsmünster 10 f. 249; cfr. *Memor.* V, II p. 31 dal cod. A p. 116; pubblicata dal Mehus in Leon. *Aret.* Epist. X 16).

Leonardus Aretinus Guarino Veronensi s.

Si vales bene est ego quidem valeo.

Cavitellum sese michi dedentem ex antiqua formula suscepi, tu autem fuisti in hoc tanquam pater patratus. Ago tibi gratias ingentes pro singulari lucro quod a te michi comparatum est; 5 neque enim cum suavitate amici thesaurum ullum existimo conferendum. Nec tu magis illum michi quam me illi comparasti: siquidem reciprocus amor est et amantes non possumus non amare, quod inhumanissimum non respondere in amore iis a quibus provocare. Tu vale et splendidissimo Leonello commendatum 10 facias. Iterum vale.

<Firenze 1440 c.>.

25 μετὰ τιμῆς του (*in marg.* cum tuo honore) *Ash.*, μετα τιμνατου idest cum tuo honore *Ar.*, *gr.* *om.* *rell.*, idest cum tuo honore (*vel* cum tuo honore) *rell.*

768, 1 Leonardi Aretini epistola ad Guarinum Veronensem *Ott.* | 2 est equidem *Ott.*

## 769.

(Ottob. 1153 f. 35<sup>v</sup>).

Guarinus V<sub><eronensis></sub> Bartholomaeo sal.

Cum amicorum communia sint omnia, vellem tibi amicum meum facere communem. Is est singulari virtute ac disciplina ornatus et cancellarius illustris domini Borsii d. Iohannes Tuscanella. Eum et tua benivolentia complectaris oro et honore prosequaris ut intelligat quam amabiles sint civitatis nostrae viri sui similes. Id mihi erit ad laudem in primis et tibi ad laetitiam talis hominis amicitiam vendicasse. Bene vale.

<Ferrara 1440 c.>.

## 770.

(Ottob. 1153 f. 38<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis.

Scio quantum in clarorum hominum amicitiis et capiendis et conservandis delecteris pro generosa animi tui sententia. Itaque statui huius hominis familiaritate donare te, compater dilectissime.  
 5 Est d. Iohannes Tuscanella magister epistularum, quem cancellarium appellant, illustris domini Borsii Estensis. Hominem affirmo inter doctos annumerari posse; cum sit etiam virtutis ingentis homo, huic homini te totum dedas velim eumque honore prosequaris et omni amicorum officio. Id mihi erit gratum in primis,  
 10 tibi ad laetitiam singularem. Vale mi dulcis compater.

<Ferrara 1440 c.>.

769, 6 tui?

770, 2 amicicias cod. | 6 appellatur cod. | 9 omnis cod.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 226 f. 7).

Guarinus Veronensis R.<sup>o</sup> patri domino Scipioni Mainenti episcopo Mutinensi dignissimo <sal. pl. d.>.

Animum superioribus diebus adverti, pater optime et omni reverentia dignissime, quam Luciani delecteris ingenio. Nec mirum; est enim cum dicendi suavitate et dictionis proprietate 5 spectabilis, tum rerum varietate atque cognitione mirandus, nec minus iocis ac facetiis amoenissimus et in carpendis vitiis vehementis et mordax. Quarum quidem rerum testimonio sunt non modo grandiora illa sed etiam tenuiora quaedam et nugae ferme vulgares. Tu vero cum pro acutissimo iudicio tuo et lectione crebra 10 cognoscas quam necessaria sit ad sacrarum litterarum intelligentiam multiplicium rerum notitia, cupere te nonnunquam innuisti faceta quaedam sive ridicula hominis illius in latinam converti linguam. Quod cum immortalia negotia et crescentes in dies labores optanti mihi denegarent, casus tulit ut fieres voti compos. 15 Nuper enim inter versandum scendas nonnullas amoenum quoddam occurrit opusculum, quod dum linguae graecae rudimenta pridem exercere coepi, iuvenilis quondam lusit aetas: inscribitur autem Muscae laudes. Res eo tibi acceptior esse debet, quo

6. Verg. Geo. II

« spumante plenis vindemia labris », mustorum pariter et muscarum tempestivitas est. Nec illud Domitianus Caesaris factum probabis, qui aliquando intra secretum clausus muscas ita stilo quasi tumultuaria pugna pungens insectabatur, ut interrogantibus quibusdam, essetne quispiam intus cum Caesare, cubicularius responderit: « ne musca quidem ». Tu vero, venerande praesul, sic 25 in Musca Lucianum suscipes et suspicies, ut non expungas sed inter manus legendo conteras; erit enim in re levi admirationis occasio nec tam muscae quam laudantis laudatio.

Suet. Domit. 3.

&lt;Ferrara ottobre 1440?&gt;.

*Muscae collaudatio vel explicatio. Lucianus scripsit, Guarinus ludens convertit.* Musca quidem adeo inter volucres pusilla est | elephantem e musca fecisse videar.

## 772.

(Marc. lat. XIV 221 f. 99<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Ludovico sal. pl. d.

Non mediocrem mihi dolorem inflixerunt litterae tuo nomine  
 mihi nuper allatae, quibus obitum parentis viri prudentissimi et  
 singulari integritate praediti nuntias. Ut autem tibi vera fatear  
 5 ingenue, non tam illi quam tibi condolui; illi nanque virtus sua,  
 cuius per omneū vitam periculum fecit, réditum pollicetur in  
 caelos, quo ex hac mundi faece ac miseriārum sentina tranquillo  
 fruiturus aevo devolavit. Tibi vero non dolere non possum, me-  
 mor quam perito currus tuus sit destitutus auriga, quo auriga tu  
 10 securus tutusque suis, ut dici solet, dormitabas oculis. Unum ta-  
 men consolatur me ipsum, tuum videlicet ingenium, cuius vi pa-  
 trem effingere, si advigilaveris, licebit et <si> ad eius ima-  
 ginem perinde ac speculum temet compones ac instrues; indues  
 virum cum intelliges non modo rei familiaris sed et paternae  
 15 probitatis heredem te esse decere. Magnum illi ac suis in tali re-  
 solatium esse debuit, cum exactam iam aetatem et extremos an-  
 nos, post tot exagitationes, in patria et natali solo perinde ac  
 portu deposuerit et inter cognatorum complexus supremum deo  
 spiritum reddiderit. Gratum vero effecisti magnopere cum huius  
 20 acerbi casus participem <me> esse voluisti, qui et mihi pro  
 amicitiae nostrae iure communis est; declaras etiam paternarum  
 successionem amicitiarum tibi iure optimo esse relictam; te vero  
 invicem non minori quam patrem caritate complector tuisque com-  
 modis et honori promptus inserviam. Vale et de tuo statu non-  
 25 nunquam scribe, ut vel sic absentes praesentes simus.

&lt;Ferrara 1 ottobre 1441&gt;.

## 773.

(Mare. lat. XIII 71 p. 231; XIII 72 f. 84; Bologn. Univers. 1490 p. 224;  
Vatic. 5911 f. 99; pubblicata da me *Centotrenta lett. ined. di F. Barbaro* 110).

Franciscus Barbarus eloquentissimo Guarino s. d.

Quotienscumque litteras tuas accipio, et studiis humanitatis et doctrine gratias habeo et benivolentie et pietati tue. Tanta enim gravitate sua condita comitas est, ut asperse tuo sale me quoque Barbarum non mediocri afficiant voluptate; et tu mea 5 laude ita delectaris, ut nullum locum pretermittas amplificande existimationis mee. Quod autem illustrissimi illi principes ita honorifice de me sentiant et loquantur, sicut debeo magni facio et suo iudicio et tuo testimonio delector, quia ab ineunte etate a summis et amplissimis viris non minus amari volui quam probari. 10 Congratulor igitur et tibi et mihi quia sic nos bonis artibus ornasti et excoluisti studiis tuis, ut deo auctore vel optimi cuiusque amicitiam facile consequi vel partam possim retinere. Vale.

Verone idibus octobris 1441.

## 774.

(Class. 121 f. 86<sup>v</sup>; Ferrar. 151 NA 5 f. 38<sup>v</sup>).

Guarinus suo Martino Rizonio sal. pl. d.

Cum magnopere scire cuperem ubinam aetatem ageres, magna eram in sollicitudine, quia certi nihil afferebatur. Quanquam non ignorarem magno ubique pretio virtutem aestimari solere, tamen cum viderem quid hoc acerbissimo bello pollerent insidiae, 5 quid vanitatis ubique pullularet, quantum ad maledicos aures ipsae panderentur, non suspirare pro te non poteram, quem concivem, quem affinem, quem litterarum commilitonem diligo amo

amplector. Quocirca cum optata de te sentiam, magis litterarum  
 10 tuarum contemplor adventum, quam superioris temporis silentium  
 accusem. Quod autem Leonardum egregiae indolis adulescentem  
 commendas et mihi in sinu committis, non erit crede vulgaris  
 aut imbecillis ista commendatio, potissimum tot causis adiuta:  
 patre patruo amicis, tot hominibus sane primariis, cum mea etiam  
 15 in huius generis iuvenes fides diligentia et caritas sponte mea  
 semper exardescat: res ipsa indicabit. Iube igitur Petrum virum  
 optimum omnem pro tali filio curam deponere, cum ei nulla in  
 parte defuturum sit patris et matris officium et sane pium.

Iter tuum sive potius redditum in patriam magis probarem,  
 20 si meliorem rem publicam nostram cernerem et pacem cernerem  
 certam stabilemque; scis autem pacis amicas esse musas.

Ex Ferraria XXIII octobris <1441>, cum tuas XXIII  
 septembris accepissem.

### 775.

(Guarner. 140 f. 133; Marc. lat. XIV 7; XIV 45 p. 169; XIV 221 f. 141<sup>v</sup> da  
 un cod. Fontanini; Vatic. 5144 f. 101).

Guarinus Veronensis cl. v. Angelo sal. pl. d.

Constitui saepenumero mecum, vir amplissime, aliquid mea  
 rum ad te litterarum dare, quae tuam de me recordationem re-  
 fricarent et benivolentiam excitarent, quam tuis incohata méri-  
 5 tis mea servat et auget observantia. Ceterum cum nullum scri-  
 bendi occurreret argumentum teque bellorum negotia crebraeque  
 castrorum mutationes submoverent, longiora silentia capiebam.  
 Accedebat quod armorum strepitus inter quae versabaris antea  
 meas terrere ac propulsare videbatur epistulas, ne propius accedere  
 10 auderent, ut quae sunt in umbris et in otio natae ac educatae.  
 Nunc autem cum tantus odor nuptiarum, quibus Franciseus duc-

---

9 ex sententiam corr. Class. | 12 intimo codd. | credo codd. | 13  
 ta (?) causis adiuta Ferr., tot causis adiutis Class. | 14 et Class. | 16  
 iudicabit Ferr. | 17 cui codd.

775, 5 servet codd.

tor vere fortissimus et illustris Blanca copulantur sonusque suavissimus aures et sensus omnes excitet et ad scribendum invitet, iam in tempore tecum habendus est sermo, quem pro tua in omnes humanitate non repudiabis, quo vobis gratuler et patriae, 15 quam tuam quoque licet appellare, immo vere et universae prorsus Italiae, quoniam ex istis tam magnificis sane ac felicibus nuptiis fructus ille certe primarius exoritur, quod longae ac expatae spes tranquillitatis miserandis illucescit civitatibus, quas belli saevitia in profundo cladium immerserat; eas autem immor- 20 talis dei munere et Francisci ductoris illustris opera e tantis emergere posse malis confidunt et exploratum habent. Igitur isti tantis expetito votis tam fructuoso tam glorioso coniugio non Hymenaeum quidem gentili de more sed verum et aeternum invocabimus deum, qui pacem tranquillitatem otium suis elargiatur 25 gentibus et elargitam custode Francisco imperatore tueatur et perpetuam huius inclyti Comitis auspicio sapientia fortitudineque conservet.

Equidem cogitantibus universis huiusce rei coniugalis decus magnificentiam dignitatem, personarum claritatem commoditates- 30 que per maximas tanta simul animis laetitia et splendor oboritur, ut omnium obstupescat oratio sintque oculis tenebrae per tan- tum lumen obortae. Nam quis est qui magnificentissimum Franciscum Sfortiam ignoret, cuius nomen et gloria propter res for- 35 titer et splendide gestas ab solis ortu ad occasum usque disse- minatur et in dies magis magisque floret? Hic ipse prudentia et animi magnitudine agrum Picenum suae potestati subiectum regit in pace felicemque conservat. Quam illustre facinus illud, quod rem quoque Florentinam suis stabilivit armis et tutam ab hostium et inimicorum reddit impetu! Terras castella oppida sic Veneto 40 restituit imperio, ut serenissima Venetiarum dominatio vere dicere valeat: « Unus homo nobis cunctando restituit rem ». Quid ecclesia sancta dei? nonne huius signiferi consilio ope opera fulta non collabitur et quamvis agitata « mole tamen sua stat »? His atque aliis fortiter ac magnanime confectis eo perventum est, 45 ut Franciscus ductor gloriosus cunctas Italiae res suo, ut dicitur, pugillo continens, pacis quietis et otii vastatis turbulentis et ca-

Verg. Aen. VI  
846.

Ib. X 771.

lamitosis populis spes unica sit et expectatio salutaris. Haud indignaretur Sfortia quamvis celeberrimus imperator talem sese  
 50 genuisse filium, qui paternis eruditus artibus genitorem virtute ac nominis claritate superavit, sicut Priamum Hector, Pelleum Achilles, Philippum Alexander et parentem denique C. Iulius Caesar, « imperium oceano, famam qui terminat astris ».

Verg. Aen. 1  
287.

Huic tam gloriose digna marito Blanca uxor copulatur, cuius  
 55 laudes et ornamenta si quis amplecti cupiat universas, dies prius quam verba defuerint; ob tantam se iactant alumnam antiquus Vicecomitum sanguis et generosa prosapia, e qua tot clarissimae feminae, tot illustres viri sunt exorti, ut Italiam mirificis illustrant ornamentis. Tacebo Galeaz, Bernabovem, Iohannem, excell-  
 60 lentissimos sane principes et eximiis laudibus celebrandos. Quid inclytus Mediolani dux Philippus Maria huius splendor aetatis, quem plurima et ingentia facta non modo apud viventes, verum etiam posteros sempiterna commemoratione decantabunt? Ex hoc principe « per tot ducta viros antiquae ab origine gentis » pe-  
 65 rinde ac benignissima stella et humano propitia generi Candida nascitur, cuius pudicitia fides moderatio prudentia reliquaeque virtutes non solum muliebrem sexum et matronale decus, verum etiam Vicecomitum progeniem ac viri sui nomen ornat et amplificat; huius ope atque fulgore bellorum portenduntur exitus, pacis  
 70 almae ac quietis exordia referuntur.

Salve igitur cunctae salutaris Italiae, salve divinitus Blanca demissa veluti Sabinarum una, quarum interventus armatos hinc parentes, hinc maritos in concordes mutuo colligavit amplexus; salve iam vera Caesaris Iulia, quae in alternam ruentes perniciem  
 75 socerum atque generum mutua caritate coniunxit et in pristinam gratiam reconciliavit. Vestro munere ac beneficio rapinae incendia, improborum minae, maledicorum insidia, caedes fugabuntur restinguuntur frenabuntur, tutus iam colonus arva repetet, tecta resarcientur, ad restaurandam sobolem novis iuventus matrimonii  
 80 indulget et post calamitosam tempestatem quasi reducto iam sole tristitiarum ac suspriorum nebulae dissipantur, aetas redire videbitur aurea. Haec sunt magni viri officia Herculis de more, publicis inservire commodis, malis levare terras, non sibi soli sed « toti genitum esse mundo », quibus ex rebus, cum communis  
 85 invitet utilitas, et gaudere et gratulari necesse est et faustum ac

Verg. Aen. 1  
642.

Lucan. I 114-18.

Lucan. II 383.

felix optare matrimonium istud, quo tantorum finis malorum affertur et pristinae felicitatis exordium; utinamque firmorem id tribuatur in spem quasi pacis pignus, ut ex illustri Comite et Blanca Vicecomite filios nominis et gloriae successores elucere gratulemur.

90

Vale vir amplissime et si ad tam eximum splendorem te nebras meas aspirare fas est, illustri Comiti me servum commendam.

Ex Ferraria 2 novembris 1441.

Vincentium virum primarium et amicum intimum salvere 95  
verbis meis iube.

Amplissimo et sapientissimo viro d.  
Angelo Simonetae illustris Comitis  
Secretario maiori honorando.

## 776.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 35; Class. 121 f. 81).

Guarinus Veronensis Vincentio sal. pl. d.

Quonam pacto tuae in me liberalitati parem gratiam referam prorsus ignoro. Nam cum re ipsa tua opera tuis denique manibus, ut dicitur, pedibusque opem rebus meis feras, nullis verbis grates tibi referre dignas modo posse video. Quae enim verba, 5 qui<s> sermo quis orationis splendor tuis in me rebus tuae liberalitati tuae in agendo strenuitati satis esse possit? Qua in re non parvus me tenet moeror, quod, cum neque tua in me officia superare, ut beneficentiae regula iubet, neque tantundem saltem reddere liceat, ingratus videar et eo magis, quod prisci vitae magistri praecipiunt ut «agros imitemur fertiles, qui multo plus reddunt quam accipiunt». Verum enim vero res una me conso-

Cic. de off. I  
48.

94 vel 20 codd.

776, 5 modo] me?

latur, quod soletis vos, hominum benefactores, vestra benefaciendi  
 voluntate et rectae mentis conscientia contenti esse. Quod vel  
 15 satis vobis est praemium et officiorum merces egregia, quo in  
 loco imitaberis dominum tuum, in celum inquam ductorem ma-  
 gnificumque bellatorem, « quo iustior alter nec pietate fuit nec  
 bello maior et armis ». Is quam in bello terribilis est, tam in  
 pace benignus quamque timendus hostibus, tam suavis et colen-  
 20 dus amicis. Id romano sanguini tributum est: « parcere subiectis  
 et debellare superbos ». Sic facite, huic rei studete, hanc ad lau-  
 dem et nominis immortalitatem anhelate, ut quantum secunda  
 vobis fortuna dedit ut possitis, tantum virtus vestra efficiat ut  
 prodesse velitis quam plurimis, moestos consolari afflictis opitu-  
 25 lari implorantibus opem afferre beneficiaque conferre. Memoriae  
 tradita est praedicanda illa et memorabilis Titi Caesaris vox, qui  
 adeo impertire beneficia solitus erat, ut cum die quadam nullum  
 praestitisset officium: « amici, inquit, diem perdidisti ». Ne tamen  
 pro tuis in me meritis indonatus omnino sis et muneris expers,  
 30 accipe me, accipe meos, quos sic tuae condono potestati, ut et  
 usu et possessione tuos teneas.

Vale et viro insigni domino Angelo me commenda; et nisi  
 praesumptuosus ego nimis videar, dicerem oraremque ut illustris-  
 simo Comiti et ductori magnanimo me totum traderes, qui magni-  
 35 ficentiae sua servitor humilis sum. Vale iterum.

Ex Ferraria <1445 ?>.

### 777.

(Ambros. I 28 sup. f. 1; L 69 sup. f. 45; Cibrario nell' Archivio di Stato  
 di Milano p. 267; Monac. lat. 504 f. 261; 7612 f. 164; Regin. 777 f. 77;  
 1555 f. 94; Arundel 138 f. 102; Tioli XXII f. 7; alcuni passi pub-  
 blicati dal Rosmini *Guarino* I 117; integralmente da K. Müllner  
*Reden und Briefe ital. Humanisten*, Wien 1899, 226).

Ad ill. et exc. dominum d. Leonellum marchionem Estensem  
 funebris oratio. Guarinus Veronensis.

<Guarinus Veronensis illustri et excelso Leonello marchioni  
 Estensi sal. pl. d.>.

5 Nuper in isto tuo vel hoc nostro potius casu et sane acer-

Verg. Aen. I  
544.

ib. VI 853.

Suet. Tit. 8, 4.

bissimo conantem me tibi verba proloqui, quibus dolorem meum  
communicando tuum quasi partita sarcina levarem seu lenirem,  
adeo suspiria lacrimae singultus interrumpebant, ut voces animo  
deessent et lingua velut hominis somniantis suum recusaret offi-  
cium. Nam cum tuos per dilectissimi genitoris pietatem attritos 10  
oculos et ab eis fontem ad colloquentium sermones quasi stilli-  
cidio manare « largoque flumine vultum humectare » cernerem,  
videbar mihi ipsi et tuam aucturus aegritudinem et meam ex-  
acerbaturus infantiam. Itaque inter tot condolentes segnis mutus-  
que permansi et pia inter officia forte iudicabar impius, ubi 15  
credo etiam ipsa me natura commonebat, ut in praesentia tacitus  
aliud in tempus consolationem meam reservarem et pro medico-  
rum more medicamenta utilius fortassis adhiberem, quae immatu-  
ture adhibita nequaquam medicantis manum audiunt. Quod igitur  
Quintil. II 2, 8. antea « vivae negatum est voci » et coram loqui non lieuit, nunc 20  
magis inverecunda audebit epistula, quae et occasionem nacta  
sermonis longiuscula fieri non erubescet.

Non sum, princeps illustris, qui pias istas incusem lacrimas,  
quibus genitoris obitum decoras et funus perinde ac suavissima  
libatione celebras. Sunt enim ista caritatis et amoris munera et 25  
quasi patriae benivolentiae victima, quam ad paternae recorda-  
tionis aram humanissimus et dilectione plenus filius offers. An  
non ipse talem amissum lugeas parentem, quem praesentein me-  
tuebas ut dominum, verebaris ut patrem, colebas ut magistrum,  
amplexabar ut filium, cum eum omnis ordo, omnis aetas, omnis 30  
sexus planctu prosequatur et lamentis, optimo patrono, fidelissi-  
mo tute, sapientissimo consiliario, principum splendore desti-  
tuti desolati orbati restincti? In eo Alberti patris humanitas, Ni-  
colai patrui sapientia, Aldobrandini providentia et Obizi avi ma-  
gnanimitas ac Estensis prosapia fulgor revirescebat et ita revi- 35  
rescebat ut quae in singulis floruerant quondam virtutes Esten-  
sibus, in hoc uno cunctas viguisse reperias. Quanta in homine

777, 10 *vel* tuos dulcissimi gen - pietate (tuos per d - gen - pietatem)  
*codd.* | 11 *vel* eloquentium *codd.* | 16 commovebat *codd.* | 26 *vel* patris  
(*vel* parentis) *codd.* | 29 *vel* venerabaris *codd.* | 30 *vel* amplectebaris  
*codd.* | 31 *vel* prosequebantur (persequantur) *codd.* | 34 *vel* Aldrovandini  
*codd.* | *vel* prudentia *codd.* | *vel* Opicis (obicii, obitu) *codd.*

prudentia fuerit, qui cum eo vitam egimus testes sumus egregii. Per eam non modo praesentia intelligebat, verum etiam perinde  
 40 ac ab excelsa specula ventura prospiciebat et ut vates diuinus agnoscebat, bellorum non tantum ortus, sed etiam exitus praedicebat, ut non futura praemonuisse, sed praeterita narrasse videatur. Quotiens se consulentibus ita rerum eventus in conspectu ponebat, ut quemadmodum dicitur « Apollinis oraculum » se au-  
 45 disse dictitarent. Eius fructus ille vel amplissimus atque beatissimus, quod circumfrementibus <armis> et ferro ignique vastatis finitimorum agris Nicolaus pater suum ab bellorum detrimenis incolume et ab hostili impetu tutatus est imperium. Quid clementia et mansuetudo paene divina? unde in sermonibus et  
 50 colloquio nemo magis affabilis, accessu facilior, vultu amabilior, ut in eo ore vel gratiae potissimum inhabitarent. Quantum quis dicere voluit et quotiens, tantum ab eo totiensque attentis et benignis acceptus est auribus; finem sermonum suus cuique pudor aut satietas fecit, non audientis asperitas aut impatientia.  
 55 Admiranda et illa in principe nostro virtus, qua ad irrogandas poenas mitis erat, ut peccantibus poenitendi causam et ad bonos mores redditum pararet et recte vivendi principium, infelicibus misericordiam impertiret, legum duritiam et, ut poeta dixit « ferrea iura » mitigaret, afflictos et iacentes attolleret, supplicia le-  
 60 niret et vitam postremo donaret. Sic scitum illud Senecae Nicolai patris instituto congruebat: « sanguine humano abstine quicunque regnas »; intelligebat enim id quod profitebatur, sese ad bene faciendum hominibus esse natum nec minus hominem <es> se quam hominibus praeesse meminerat. Teneo memoria, cum quidam e purpuratis suis saevitiam aliquando principi necessario exercendam esse dixisset, verbum illud a marchione nostro non secus exceptum esse, quam si draconem oculis intulisset; proinde emendato sermone, « dic meliora, inquit: nobis saevitiam nunquam, severitatem nonnunquam, clementiam semper exercen-  
 65 dam ». Quanobrem quam libens praeclarum illud Pauli Aemilii  
 70

Cic. ad Br. VIII  
(II) 6.

Quintil. X 1, 82.

Verg. Geo. II  
501.

Herc. f. 745.

---

45 Eius] scil. prudentiae | 46 vel circumferentibus codd. | rel igneque codd. | 51 in eo rose mel gratie (in eo rose mele gracie) codd. | 53 rel sermonibus suis (rel sermoni suus) codd. | 62 vel illud quod (vel idque) codd.

Val. Max. V, 8.  
Isoer. ad Nic. 7.  
Plut. Alex. 15.

facinus audiebat, qui cum devictum a se Persen, Macedoniae regem, licet hostem, videret adduci, misericordes tulit amplexus, lacrimantes habuit oculos et bonam ad spem exhortatus regium illi habitum honoremque servavit. Cum magnis ac permultis virtutibus pater ornatus extiterit, liberalitas in eo vel prima floruit, 75 princeps suarum et regina virtutum. Ipsa vero sibi tam vel a natura insita vel studio comparata vel usu confirmata fuerat, ut liberalitatis « laus in eo desierit esse laus », quae tam vulgaris fuit, ut nullum genus hominum reperias, in quo non suam exerceuerit munificentiam. Cogitabat enim reges ipsos dei instar in 80 terris esse, qui ad conferenda mortalibus beneficia paratum se praestat, ad reposeendum minime. Testimonio mihi oculis atque animo cuneta lustranti sese offerunt cives ac mortales alii innumerabiles, quorum divitiae, latifundia, opes ac patrimonia a genitore tuo perinde ac liberalitatis fonte vel flumine potius emanarunt; nec aerarium suum exhaustire formidabat, ut suos locupletiores redderet. Ditatis a se civibus, licet pauperior factus esse videretur, « tamen quantum universi possiderent, sibi tantum adesse dicebat »; regum nanque divitias ex amplis subditorum facultatibus constare sibi ipse persuaserat, Alexandrum illum vere magnum 90 imitatus, qui, belligeraturus in Persas, cum amicis et aequalibus universas distribuisset opes, rogatus a Perdicca quidnam sibi reliquum fecisset, « spem ipsam, respondit, amicorumque benivolentiam ». Animi vero magnitudinem cum alia permulta, tum magnifica declarant aedificia, quae et impensa et elegantia ut gemmas per agrum Ferrariensem ac urbem inspersit. Quo in loco non inconcinne illud quadrat epigramma:

Quam celsos animos Nicolaus marchio gestet,  
cum vaga fama canat, haec alta palatia monstrant.

Taceo res varias atque pecunias quotidie ad inopiae et mendicitatis subsidium erogatas. Laboris inediae sitis pluviarum caloris frigoris mira in hoc principe patientia, qua aequales omnesque ministros superavit, quas quidem ad res ab iuvenilibus usque annis sese conformaverat, dum militaribus rebus membra atque animos instruit. Eorum omnium testis est Verona Patavium 105

---

75 *vel* plurima *codd.* | 90 *vel* ipse sibi *codd.* | 100 inopiam *codd.* |  
105-6 *vel* Patavinum bellum *codd.*

Bell<un>um Parma Regium et postremo bonarum artium ac studiorum parens Bononia, quam imperator gloriosus e draconis faucibus evulsam romanae reddidit ac restituit ecclesiae, cuius commodis ac dignitati patronus indefessus semper excubuit, quo  
 110 effectum est, ut quam trux primis annis fuerit in bello, tam amabilis posterius fuerit in pace. Quibus ex causis cum iam ubique principis nostri fides auctoritasque floreret latissimeque spargeretur, iam commune ad sedandas discordias pacemque componendam refugium habebatur et spectatus contentio<so>rum inter  
 115 pres. Harum gratia rerum quotiens per aestus ac frigora longa suscep<er>it itinera rupesque discursaverit asperas qui nescit, ignorans est, qui tacet, ingratus aut tanto viro invidus.

Haec tanta principis nostri bona ea potissimum ratione commemoranda duxi, ut iustum dolendi ac lugendi causam ostende  
 120 rem, cum tam venerandi domini tamque patris optimi et tam mirandi principis praesidio destituta civitas, desolati subditi et orbatus ipse sis; nec minus, ut, tanquam speculo proposito patris exemplo, ad id te conformares, cumque ante oculos constituas, quam magnanimo succedas genitori, iam siccatis lacrimis suspi  
 125 riisque repressis virilem revoces animum, quem regni curae arduaque flagitent negotia, meminerisque, sicut vita functum lugere parentem pietatis laudatur obsequium, ita in eo pertinaciter manere molle nimis ac muliebre fit. Quocirca in complorandis suorum mortibus congruus ille Lyciorum mos comprobatus est, qui  
 130 femineas inter lacrimandum indui oportere stolas edixerant, quo <sup>Val. Max. II 6,</sup>  
<sup>13.</sup> per ipsius habitus deformitatem homines intelligerent dolori nimium indulgendum non esse, cum is muliercularum magis usus esset, et recte sane. Haud enim sapientis est; mortuum lugere mortalem, sicut nec labi flumina nec solem occidere nec diei noctem succedere quisquam vel mediocri praeditus prudentia dolet. Sunt enim naturae munera, cui repugnare stultum iudicatur, cum id sit « more gigantium bellare cum diis ». Quanta illa tibi nobisque in hac casus acerbitate consolatio laetitiave reminisci,

---

110 quam trux] quantus *codd.* | 112 nostri] *vel* noinen *codd.* | spargentur (*vel* spargere) *codd.* | 114 *vel* contentionum *codd.* | 123 *vel* eumque *codd.* | 126 *vel* flagitant *codd.* | 128 *vel* sit *codd.* | 138 reminisci] deum (dium) innasci (debet innasci) *codd.*

quod in ipso vitae exitu ad extreum usque halitum servata  
 prudentia adeo contritum, adeo humiliatum deo spiritum reddidit 140  
 comitantibus lacrimis, quas devoti cordis indices fundebat, su-  
 spiriis intimis gemitibus ex imo pectore erumpentibus, ut nemo  
 heremita vel monachus maiore unquam contritione migraverit ad  
 caelos. Satis sibi satisque naturae vixit, prope sexagesimum vitae  
 pervenit ad annum. Quid autem paucorum annorum illum iuvare 145  
 potuisset accessio, ingravescentibus in dies membris? simul cum  
 aetate graves morbi et mors infelicissima non corporis modo, sed  
 etiam animi videbatur incumbere. Cogitabis praeterea, magnani-  
 me marchio, populum hunc cunctosque tuae ditioni subiectos tuis  
 ex oculis, tua ex fronte pendentes habere animos, ut ad laeri- 150  
 mas defleant, ad risusve laetentur. Igitur ut hactenus privato  
 indulsti desiderio, sic deinceps communi serviendum est commo-  
 ditati. Humanitatis et mansuetudinis saepius fecisti periculum,  
 nunc patienter tolerando fortis et magnanimi viri praestabis exem-  
 pla, quae prima nuper initi principatus auspicia feceris; hoc pacto 155  
 cum fortunae ac regni, tum vero virtutum et gloriae dignus heres  
 successorque vocabere, idque genitoris tui et bonorum omnium  
 iudicio tibi obtigerit, quod de Alexandro traditur. Quaerentibus  
 enim amicis impendente iam fato, cui regnum relinqueret, re-  
 Plut. Alex. 75. spondit, « ei qui optimus esset ». Quod ita esse ac fore compro- 160  
 babunt actiones tuae, quas egregia et senili cum laude per omnes  
 vitae partes edidisti. Primum quidem cum christiani principis  
 officia et divinam rite colas maiestatem, dominum Iesum Christum  
 Psalm. 33, 23. et angelos sanctos eius, qui « non relinquunt sperantes in se »,  
 tuum in favorem viarum tuarum gubernaculum adducere debere 165  
 quis dubitei? Subinde cum sic iustitiam observaveris, ut, quan-  
 tum in te fuerit, sine personarum discrimine ius dici volueris  
 semper aequabile, iacta regni tui fundamenta et quidem incon-  
 cassa vaticinor; cumque rebus in agendis te ipsum audieris matu-  
 raque fidelissimorum procerum consilia tibi coniunxeris, paci tuorum 170  
 Verg. Aen. IV 49. tranquillitatique consulueris, Ferrariae « quantis se tollet gloria  
 rebus! » Bonorum etiam et spectatorum hominum comitatum per-  
 petuum intimamque familiaritatem lateri adhaesuram retenturus

---

139 habitum (aditum) *codd.* | 143 *vel* migrarit *codd.* | 165 et viarum  
*codd.* | 171 te *codd.*

cum sis, quis non te quasi « caelo demissum » amabit colet ob-  
 175 servabit praedicabit? Est nanque per doctos vulgatum illud :  
 « pares cum paribus facillime congregantur ». Haec atque alia  
 tua sponte animo fixa tenebis, cum considerabis, quam sit one-  
 rosum principi bono succedere; nisi enim superare contendas,  
 falli expectantium videtur opinio, eo magis, quia regum vita sub-  
 180 ditorum fit censura: ad hanc diriguntur ad hanc spectant ad hanc  
 convertuntur. His exemplo magis opus est, quam imperio: exemplum  
 amant, imperium reformidant; « malus est diuturnitatis custos me-  
 tus, amor vero perpetuus » et reverentia advenit ultro. Documento  
 est, quod post patris obitum regiam ipsam cernimus non armis.  
 185 sed civium caritate defendi. O admirandum imperii genus, ubi  
 dominus sine servis agnoscitur. Cum sis dominus libertati saluti  
 securitatique delectus, idcirco non telis stipatus spectaris, non  
 satellitum manu, non exercitus terrore, sed civium benivolentia,  
 primatum flore et cunctorum denique laetitia circumfusus, quam  
 190 pridiē iuenum senum virginum nuptarum salutatio, gratulatio et  
 « sublatus ad aethera clamor » et raucae puerorum voces ac in-  
 fantium examina testabantur. Vota vidimus omnium qualia pro  
 suis quisque liberis factitare solent, tua pro salute duplicari. Una  
 cunctos tenet dubitatio, prudentiorne fuerit, qui tam bene delegit,  
 195 an felicior qui sit delectus. Es bis genitus, primum filius, secun-  
 do princeps, illud casu, hoc iudicio, illic ignotus, hic spectatus;  
 in nascendo ad paucos, in imperando ad universos gaudia redun-  
 darunt. Quanquam hoc et tibi novum admirandumque tua ex  
 moderatione contingit, quod non solum successor imperii, sed par-  
 200 ticeps etiam sociusque placuisti. Nam successor vel invito, socius  
 non nisi volenti fuit habendus; quod alii necessitate vel annorum  
 vel temporis invadunt, tu obsequio pietate oboedientia consecutus  
 es. Cui tandem dubium esse debet, te potius ad regendum natum,  
 quam factum, quem immortalis dei munere et magistra natura nobis  
 205 attributum contemplari licet? Nam et ea, quae ad maiestatem com-  
 ponendam necessaria sunt, tecum orta tecumque aucta cernimus,  
 formae nanque dignitas, « laeta frons », oculorum hilaritas, statura  
 proceritas, « aurea caesaries » ad spectantium benivolentiam vene-

177 *vel sponte tua* *codd.* | 181 *vel eis* *codd.* | 195 *vel sic* *codd.*

Cic. p. leg. Man.  
41.

Cic. de sen. 7.

Ioc. ad Nie.  
8.

Cic. de off. II  
23.

Verg. Aen. II  
338.

Verg. Aen. VI  
862, VIII 659.

rationemque conducunt, sicut in aliis corporis deformitas, torva facies ad terrorem.

210

Verum ne dicendi laetitia longius provehar teque qui maximis regni negotiis impeditus es, ultra destineam, primum quidem laudo, quod patrem, quem nobis natura eripuit, suarum imitatione virtutum restituas crebramque illius recordationem pie amabiliterque conserves. Dehinc isto tuo nuper inito principatu 215 tibi pro mea in tuam maiestatem fide et tuis immortalibus in me ac meos officiis atque meritis gratulor et gaudeo ac deum omnipotentem et sanctos eius supplex oro, ut qui felicem patri optimo vitam felicemque praestiterunt obitum, tibi perpetuam cumulatamque ad senectutis tempora usque salutem praebeant in qua 220 et nostram repositam esse cognoscimus; tum salutaria suppeditent consilia, quibus pacem foveas, subditorum fortunas commoda statumque tuteris, te finitimi caritate studio ac dilectione complectantur, longinqui postremo per gloriam et nominis immortalitatem allecti bona tibi ac sibi comprecentur et optent. Vale 225 felix et excelse marchio.

Ferrariae VIII idus ianuarias 1442.

### 778.

(Cappon. 3 f. 119; pubblicata da K. Müllner in *Wiener Studien* XXII 289; cfr. Baluzius *Miscellan.* III 160).

Ad Leonellum Estensem Ferrariae principem Guarini Veronensis praefatio in Isocratis orationem ad Nicoclem.

<Guarinus Veronensis Leonello Estensi Ferrariae principi  
sal. pl. d.>.

Divinus ille Plato atque omnium philosophorum clarissimus, 5 praestantissime princeps, cum multa graviter sapienterque dixit, tum hanc sententiam non solum veram, sed etiam gravem ac

---

212 vel distineam *codd.* | 215 vel deinde *codd.*

778, 3 Guarinus Veronensis ad Leonellum Estensem Ferrariae principem *cod.* | 6 *ex multis corr. cod.*

Leg. p. 762 E.

paene divinam asséruit: « Neminem bene imperare posse, qui aliquando non ipse paruerit ». Quibus verbis omnes, qui alicui rei publicae praefuturi sunt, satis admoneri puto, ut, antequam ad gubernacula imperii accedant, iam a pueritia, ea nanque aetas maxime tractabilis atque mollis est, viris usu prudentissimis, studio sapientissimis, moribus sanctissimis adhaereant ac omni studio cura diligentia ac sedulitate philosophiae operam tradant, ut illorum monitis parere assueti sanctissimiisque praeceptis instructi in omnibus tempestatibus ac fluctibus rem publicam iuvare, tegere ac denique servare valeant. « Hoc enim modo res publicas beatas fore accepimus, si sapientiae studiosi eas gubernarent ». I Cic. ad. Q. fr. 1, 29.

Quanto autem usui domi militiaeque viri sapientes regibus futuri sint, iam multo antea Agamemnonem illum Homericum non latuit. Nam cum longo diutinoque bello defessus ac defatigatus esset Troiamque ullo modo posse capi desperaret, non aurum, non comaeatum, non denique peditum legiones aut equitum turmas; sed decem duntaxat viros, qui consilio et sapientia Nestori pares essent, a diis optavit. Id enim si sibi contingenteret, facile Priami urbem perituram arbitrabatur. Quod nonnulli reges viri que praestantissimi admirati, debiles se quodam modo atque mancos ad tenendum imperium tractandasque res publicas arbitrati sunt, nisi antea doctissimis viris obtemperassent eorumque praeceptis essent imbuti. Itaque non solum Thebanus Epaminondas Pythagoreo Lysidi, Alexander ille magnus Aristoteli, philosophorum acutissimo, sed etiam innumerabiles alii quos narrare minime necesse est, se doctissimorum virorum praeceptis erudientes tradiderunt. Quam ob rem, clarissime princeps, quanquam non essem ignarus te quam plurimis et egregiis domesticorum exemplis abundare tamque acri ingenio esse praeditum ut facile per te omnia prospicere ac dijudicare posses, haud tamen dubitavi te hortari ut ea quae Isocrates, omnium oratorum suavissimus ac philosophiae studiis peritissimus, ad Nicoclem Cypri regem de imperio scripsit non solum ut legeres verum etiam memoriae mandares.

II 371 ss.

Cic. de off. I  
155; de or. II  
139-41.

Ea enim oratio, quanquam brevis sit, gravitate tamen sentiarum ac pondere permagna existimanda est; quod tibi facile

10 prefacti cod. | 31 Lysie cod.

per me suasumiri speravi. Etenim non voluptatibus, non inanibus studiis ac delectationibus, quemadmodum plerique qui imperio 45 potiti sunt, te deditum cernebam, sed nihil appetere nisi sanctum nisi pium nisi denique quod honestum decorum splendidumque esset. Sciebam praeterea tuum clarissimum iustissimum sapientissimumque patrem, qui nuper ad caelum, ut ex eius vita ac moribus conicere possumus, evolavit, quamvis acerrimo ac paene 50 divino esset ingenio, nullam tamē bonam artem nullam scientiam nullum denique studium aut divinum aut humanum, quod modo ad bene beateque vivendum pertineret, intentatum reliquisse. Quibus rebus instructus non solum magnum illum animum atque invictum in periculis assecutus est, sed etiam semper cum suis 55 tum alienis iustissimum se praebuit, rebusque divinis pietatem coluit, fortitudinem in bellis ac periculis exercuit, denique rebus omnibus temperantiam modestiamque servavit. Idcirco illius mortem non tantum haec civitas, quae adhuc in squalore tota ac lugubribus luctuosisque vestibus induta moerore paene confecta est, 60 nec tantum peregrini qui illius praeclara facinora admirabilesque virtutes accipientes multis cum lacrimis eius discessum prosecuti sunt, sed immanes ferae ipsique etiam agri tam humanum tam iustum tam sanctum denique ac sapientem principem lugere videntur. Quapropter cum te illius facta summopere mirari cerne- 65 rem atque studio incredibili eniti ut illum onnibus in rebus effingeres, haud veritus sum quin eodem honore apud te haec futura essent, quo apud illum fuissent si inter mortales vitam degeret. Itaque hanc sive orationem sive admonitionem appellare mavis, quam nuper lucubratiunculis nostris e graeco in latinum transtuli, 70 ad te mittimus ut illius aureis divinisque monitis cum tibi tum tuis prodesse possis. In qua si quod ineleganter dictum reperies, non Isocrati eloquentissimo ac suavissimo, sed mihi tribuendum putaveris.

<Ferrara gennaio-febbraio 1442>.

75

Isocratis oratio ad Nicoclem a Guarino Veronensi in latinum translata. Omnes qui vobis regibus.

## 778 A.

(Vatic. greco 1507 f. II autografo).

Ad Herodotum Alicarnasiensem historiographum et Hesiodum  
Ascraeum poetam celeberrimum ut Guarini Veronensis viri doc-  
tissimi et eloquentissimi domum repetant et ab eo Platonis vo-  
lumen nomine suo poscant.

Est domus in media longe spectabilis urbe:  
Concilium Phoebi Pieridumque vocant.  
Suspicit hinc crescens augusta palatia regis,  
Parte alia urbanus atria praetor habet.  
5 Huc Alicarnaeae properes o gloria gentis,  
Herodote, antiqua « primus in historia ».  
Quique rudes acuis per dulcia rura colonos,  
Docte senex Ascrae plurima fama tuae.  
Caesaris hic nostri et divisorum cura Guarinus  
10 Incolit: huc vestra est iam repetenda domus.  
Et ne forte graves artus via longa fatiget,  
Vestra per alternas scripta referte vices.  
Illi magnorum reseres exordia regum  
15 Intulerint Asiae funera quanta sua  
Et quid in Europam deduxit barbara primum  
Agnina diversas implicuitque manus.  
Fluminaque et populos numeres habitusque locorum,  
Multa comes liceat credere posse neget.  
Ille tibi econtra referat quo sidere aratro  
20 Conveniat tardos apposuisse boves,  
Sidere quo cultis fruges iacentur in agris  
Ponat et hirsutas vinea laeta comas;  
Et quodcunque novum seu vir seu femina ponat,  
Quae sit fasta homini quaeve nefasta dies.  
25 Talibus ac aliis vario sermone laborem  
Fallendo impositum perficietis iter.

Postquam vos hilari, quo caetera conspicit, ore  
 Excipiens proprios duxerit ille lares,  
 Haec illi patria dicetis carmina lingua : .  
 Illa quidem nulli notior est Italo : .  
 Πολλὰ Ἱερώνυμος σοὶ χάρματα πολλά τε ἐσθλὰ  
 Εὑχεται ἡδὲ πολὺν, διε Γουαρίνε, βίον.  
 Καὶ τοι λιτανεύει συγγράμματα θεῖα Πλάτωνος  
 'Ως αὐτῷ δοίης ἤματα παῦρα κρατεῖν.  
 Ἱερώνυμος ὁ σός. . . . .  
30  
35

<Ferrara 1442 c.>

Ad clarissimum et eloquentissimum aetatis  
nostrae virum Guarinum Veronensem prae-  
ceptorem suum ac benefactorem observan-  
dissimum.

779.

(Querin. C VII 8 f. 57; Monac. lat. 78 f. 84; Balliol 135 f. 123; pubblicati alcuni periodi da me *Storia e critica di testi latini* 343).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. serenissimo Alphonso regi  
Aragonum.

Plurimi sunt, serenissime princeps, qui cum proelia victoriasque tuas fama buccinante didicerint, tibi tuaeque fortunae gratulentur; et recte sane, caelestem etenim sic mereri favorem, ut 5 deus omnipotens tua secundet vota, memorabile profecto beneficium est munusque primarium, pro quo ingentes et quottidianae immortali deo gratiae decantentur. Ceterum licet ea tanta tamque excelsa sint, ut pro dignitate nequeant explicari, tuae tamen maiestati propria assignari non possunt. Milites nanque ductores- 10 que pro robore ac prudentia sicut in bello diversa sortiuntur munia, ita suam sibi laudis partem vendicant; adde quod ea huiusmodi sunt ut non sic hilari vultu et laetis auribus excipi valeant, quin per armorum strepitum, adhortantium voces, tubarum

779, 4 vel didicerunt codd. | 12 vel huius generis codd.

15 clangores, morientium gemitus aliquis aboriatur terror animis.  
 Alia igitur veriore commemoranda praeconio tibi propria sunt,  
 si quando resonantiorum nactus fueris oratorem: virtus scilicet,  
 quae tanta de te longe lateque disseminatur, ut cum cetera tibi  
 regis potentissimi appellationem comparent, ex hac ipsa rex  
 20 praediceris optimus.

Ea vero multiplex est nec unam in faciem, quam ne grande  
 quidem volumen exponeret. In primis mirifica sese fides offert,  
 quae iussit ut quaecunque facturum te praedixeris, certissimum,  
 ut prisci dicerent, habeatur oraculum, nec minus in hostem quam  
 25 in amicum promissa constanter serves; intelligis enim inter mor-  
 tales vetus illud vigere proverbium: « regale verbum est ». Quid  
 vitae sanctitas veraque religio? qua ita deum et Creatorem ve-  
 neraris aeternum, ut eius nomen ludibrio aut contemptui haberi  
 non secus ac mortem abhorreas. Itaque effecisti ut tui castrenses  
 30 homines ab blasphemis et spurcissimis in deum vocibus linguas  
 cohibeant, qui sic impietatis cultores esse gloriari solent; ut eò  
 fortiores et ferociores putarentur, quo magis in deum sanctosque  
 suos labra aperirent impia: et sane quid de se homines sperent  
 qui fas deumque calcaverint, ipsi viderint. Quid iustitia? cuius  
 35 tanta vis tantusque splendor eminet, ut cum ex fortitudine ter-  
 ribiles, ex prudentia vafri, ex moderatione frigidi plerunque vo-  
 centur, sola iustitia bonos integrosque dicamus, quantumque illos  
 timemus suspicamur desperamus, tantum hos amamus, eis confi-  
 dimus, bona expectamus omnia, hos veneramur amplexamur co-  
 40 limus. Hac igitur duce atque regina tutior est in solitudine et  
 tuo in exercitu permansio et commeatum ac rerum reliquarum  
 importatio, quam apud multos in mediis eorum urbibus habitatio.  
 Liberalitas et munificentia praecipuum de se locum et longam  
 quidem exposceret orationem. Ea fecit ut in frequentissimo ad  
 45 te mortalium concursu Virgilianum sectoris illud: « nemo non  
 donatus abibit », tecum siquidem recte putasti reges in terris  
 quasi quosdam deos vel verius dei esse vicarios. Cuius proprium  
 munus et officium est, bene de hominibus mereri paratiorem ad  
 tribuendum quam ad reposendum; qua virtute iam per omnium

Aen. V 305.

---

16 vel veriori codd. | 24 vel hostes codd. | 38 desideramus Quer. |  
 vel eos codd. | 48 parationem enim Monac.

ora volitas, nec mirum : ea splendidi animi vel prima testificatio 50  
et ad gloriam simulque caritatem consequendam via facillima.  
Innumerabiles sunt quibus Alexandri Magni nomen cognitum et  
celebratum est, rerum tamen ab eo splendide gestarum prorsus  
ignari, cum interim illius liberalitate ac munificentia regem ip-  
sum praedicent, ut qui liberalissimum principem laudare cupiat, 55  
sub Alexandri cognomento diffiniat. Alios itaque tunicis, quosdam  
armis, nonnullos equis, aliquos argento donatos remittis, complu-  
res tuis honestatos insignibus ; quas quidem ad res tubicinem  
quendam habes virum strenuum Hieronymum Anconitanum tua-  
rum disseminatorem actionum laudumque paeconem. Animi ma- 60  
gnitudo in te praedicatur incredibilis, qua sublimia et supra ce-  
terorum consuetudinem ardua intrepidus appetis, inferiora quae-  
que et homine indigna despiciens ; cuius tam eximia in te potestas  
viget, ut paterno nequaquam regno contentus, licet amplissimo,  
tamen augere vetustum illud et avitum aggressus sis imperium ; 65  
ad id autem quaerendum mira quadam usus industria, laborum-  
que caloris incommodorum tolerantia vel gregarios adaequasti  
milites.

Non dicam de perseverantia consilio diligentia, invicto pror-  
sus animo, quibus adversariorum pervicaciam fregisti, urbe vero 70  
Neapoli et Virgiliana potitus Parthenope tantam in hostes beni-  
gnitatem mansuetudinem, omnis generis donationes, misericordiam  
exercuisti, ut qui se captivos fore et extrema omnia pertimesce-  
rent, nunc demum libertatem ei salutem se adeptos esse expe-  
riantur. Isto tuo sane triumpho divinum Iulium Caesarem imita- 75  
ris, cuius flagrante pugna in media victoria frequentissima vox  
illa sonabat : « parcite civibus, parcite civibus, cives ». Cives  
tuos omnes existimas qui tuam in fidem regiamque gubernationem  
perventuri sunt ; suam itaque tarde et paene sero cognitam dam-  
nant pertinaciam ut, qui dudum felices esse poterant, per erro- 80  
rem et consiliorum caecitatem in miseriis cladibusque se suosque  
mersissent ; nunc igitur qui sua culpa peribant, victoris humani-  
tate renatos esse gaudent et sub optimo principe et patre patriae

---

56 difiniat vel definiat codd. | 58 tuis bene Quer. | 59 str- vir-  
Quer. | 65 rel ingressus codd. | 66 laborum Monac. | 75 vel divum vel  
om. codd. | 78 vel omnes tuos vel omnes codd. | 83 sese renatos Monac.

reflorescunt. Tanta derepente rerum omnium copia tuae sapientiae  
85 ac felicitatis auspicio nuper affluxit, ut nunc demum illis aurea  
revexisse saecula videaris.

<Unum> non reticebo nec tuam celabo maiestatem, sere-  
nissime rex: quorundam sermones hominum externum et a fini-  
bus orbis alienigenam dominum Apuliae regnum invadere et re-  
90 giones suas intercipere murmurant. Quibus respondens, non dicam  
vulgatum illud: « iuglio posuit deus omnia campo » et omnia  
esse virorum fortium. Primum quidem quas mihi dabunt urbes  
non Italiae modo sed ubique terrarum, in quibus primores civi-  
tatis non suam alieno e sanguine ducant originem? quis ignorat  
95 tot quondam ex toto orbe deductas quaquaversum fuisse colonias  
in Hispanias praesertim, ubi tot italicae nationis olim civitates  
floruere, unde et in hanc aetatem latinus sermo et cognata illis  
lingua nostram redolet prosapiem, ut in Italiam suum potius genus  
revocare, et redire verius quam venire videaris? Praeterea Nu-  
100 mam Pompilium scimus omnes, qui « e Curibus parvis et paupere  
terra missus in imperium magnum » secundus Romanorum re-  
gum et nullo alio inferior ingenti gloria celebratur. Tarquinius  
Priscus Romanum adeptus regnum nonne tusca venit ex urbe,  
quem corinthius creavit pater? Quid tam vetusta commemo-ro?  
105 origo imperatoris Hadriani ab Hispaniensibus manat; Antoninus  
Pius e Gallia transalpina Caesar factus est; Theodosius, chri-  
stianissimus imperator, Marcus Antonius cognomento Verus ex  
Hispania genus ducunt; huius id praeclarum divinumque praeco-  
nium ad posteros usque perdurat, quod « de malis bonos, de bonis  
110 fecit optimos ». Haud opus est exteras fastidire progenies. Veluti  
siquis gravi et periculo laborans morbo, si sapiat, alienigenam,  
modo peritum, undecunque ut convalescat accerset medicum, te  
quoque, magnanime et sapientissime rex, ut intestinis medeare  
vulneribus amplectendum colendum adorandum tua virtus faciet,  
115 simul et pacis spes optatae et auxilium Ecclesiae sanctae dei:  
quibus duobus si omni cura vigilantia ope studueris, primum  
quidem Dominus noster Jesus Christus, cuius rem tutaberis, tua

Lucan. VII 348.

Verg. Aen. VI  
811.Jul. Capit. M.  
Ant. phil. 12, 2.

---

90 *vel* respondes *vel* respondeas *codd.* | 93 *vel* primiores *codd.* | 97  
latinis *Ball.*

consilia diriget fortunasque firmabit, tum homines te velut de caelo virum missum extollent intuebuntur observabunt.

Talia sunt per quae tibi magis quam fortunae tuae meo quidem gratulandum sit iudicio. Haec autem cum pro mea humilitate tuae maiestati libens offeram, peto abs tua serenitate non pro mea quidem causa sed pro tua professione mercedem, non arma non equos non vasa pretiosa, sed unius liberationem captivi, qui olim mea ex familia, cum sit ingenio singulari, doctrina eximia, scriptis eloquentissimis honorandus, indignus est qui serviat et priori invitus privetur domino. Is est Plautus, latinae linguae decus, quem cum viro claro Antonio Panormitae rogatus anno iam septimo commodassem, ille meum contra fas fidemque poetam usurpat et poscentem me ludificatur. Sit ergo huius epistulae qualiscunque illud mihi a serenitate tua pretium, si meas de te laudes non abhorreas, ut tuo iusu Plautus meus tam longam servitutem serviens ad me ex tam diurno remeet tandem postliminio, ut regiae maiestatis opera tuus vocari libertus mereatur. T. Q. Flaminium gloriari solitum accipio, quod ex servitute tot

<sup>Val. Max. IV  
8, 5.</sup> cives Romanos in pristinam libertatem e Graecia Romam revocatos suis restituisset: in quibus quanquam nullum fuisse poetam memoriae proditum sit, magnae tamen de illo laudes ferebantur et innumerandaes grates agebantur. Nec vero committendum est ut poetas scriptoresque contemnas et ab honore musarum abhorreas; nam licet negotiorum magnitudine numero et excellentia Alexandrum, Hannibalem, Marcellum, Caesarem superares, nisi litterae fideles rerum gestarum custodes et conservatrices accesserint, istam tuorum laborum et tot dimicationum immortalitatem aut mox delebit oblivio aut ea sensim contabescet, parvo duratura tempore. Quid reges principes populos nationes ad memoriam posteritatis adduxit, nisi scriptorum industria, ut quorum opera urbesque non extent, vetustate cuncta vastante, tamen illorum nomina famae et aeternitati consecrata permaneant tamque diu permansura sint, quoad vivax litterarum caritas decusque constiterint? Nonne vides lauream imperatoribus vatibusque deferri, ut eadem merces et illis reddatur, qui gesserint, et qui gesta

---

136 R. *vel* rursus *codd.* | 139 *vel* gratiae *codd.* | 140 *vel* et ut ab *codd.* | 148 *vel* extant *codd.* | 151 deberi *codd.*

suis ingeniis et arte vitae quodammodo consecraverint? Igitur,  
 rex optime et futuri providens, litteris servi ut bonas colas artes  
 155 et post te in phoenicis morem reviviscas. Cuius quidem rei  
 Plautus tua benignitate ad me revocatus testimonio sit et eo  
 quasi de te loquente universis in te spectantibus spes fias et  
 dubia nequaquam expectatio. Vale, flos regum.

E Ferraria kal. octobribus MCCCCXLII.

780.

(Berlin. lat. 4.<sup>o</sup> 226 f. 29; Wolfenbüttel Aug. 2.<sup>o</sup> 83.25 f. 92<sup>v</sup>; Krems-  
 münster 10 f. 271; Bergam. A II 32 f. 96).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. Alphonso serenissimo regi  
 Aragonum.

Solent plerique vel angustis animis vel tacita reverentia vi-  
 rorum illustrium, magnorum principum tuique similium reformi-  
 5 dare conspectum. Quod quibusdam cum Augusto Caesare nonnun-  
 quam obvenisse traditur; nam cum ei libellum quispiam humilior  
 aliquando porrigeret et ut est trepidantium mos nunc dextram  
 tenderet nunc retraheret, « quid trepidas? inquit Augustus, as-  
 semne putas te elephanto porrigere? » Quosdam etiam cum eius  
 10 oculos intuerentur, prae illorum fulgore quem ferre nequibant  
 vultum submisso constat. Id mihi quoque tuae splendorem maie-  
 statis contemplanti si usuvenit, haud sane mirandum, cum tuis  
 in rebus animo recensendis praeclera omnia oboriantur. Ab regi-  
 bus antiquis rex ipse procreatus incertum posteris reddidisti plus-  
 15 ne laudis et gloriae tuis ex maioribus acceperis an illis ipse red-  
 dideris, quod praeclearissimarum in te virtutum cumulus effecit, li-  
 beralitatis magnificentiae sapientiae aequitatis; quid dicam caesa-  
 ream animi tui magnitudinem, qua ardua cuncta complectens

Suet. Aug. 53  
79.

---

780, 1 vel G- V- ser- r- A- Siciliae etc. etc. s. p. d. codd. | 4 con-  
 similium Krem. | 8 assemne Berg., assem non (assem num) rell. | 9 ele-  
 phanto te Krem. | 11 vel quoque mihi codd. | 13 vel abor- codd. | 15 ipse  
 Berg., om. rell. | 17 magnificentiae Berg., magnitudine vel om. rell. | 18  
 complecteris Berg.

humilia contemnis, ad labores et pericula tutus, in secundis modestus, in adversis sublimior? quid in pedestribus maritimisque 20 pugnis sudores, pectus infractum, providentiam fidem vires? Quibus ex rebus id tuae maiestati laudis vendicare visus es, quod de Agamemnione seripsit Homerus, regale sane praeconium: ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, quod hunc in modum latine converti potest: « hic utrumque fuit, bonus et rex miles 25 et acer ».

Verum enimvero cum tua facilitas et mansuetudo quasi dexteram timori praetendere videatur et frontis hilaritas invitare, 30 ultro invitatus non verebor accedere, praesertim cum id Titi

Suet. Tit. 8, 3. Caesaris tibi probari intelligam, « non oportere quenquam a sermone principis tristem discedere ». Subinde peculiare nobis adiungitur vinculum et litteraria quaedam necessitudo, quae, quamvis hispano sanguine creatus venias, latino tamen te addicit ordini.

Mart. I 61, 7. Quod et priscis multis obvenit, non modo « utrique Senecae, Lucano » et Quintiliano, sed etiam Traiano Adrianoque Caesaribus, 35 quos aliena et longinqua productos origine et tibi conterraneos Italia nostra per studia et bonas artes adoptasse non doluit. Magnificum tibi quiddam profecto, serenissime princeps, regia evenit progenies; tot etiam imperitare populis et tantas dicione urbes tenere non minus certe splendidum est; verum si recte pro tua 40 perpendere sapientia volueris, ea vel aliorum collaudatio est vel fortunae munera. At musarum consuetudo bonarumque artium studia et quaesita vigiliis sapientia, inter regni curas, inter arma strepitusque bellorum nunquam intermissa, tuae laudi tuae gloriae tui nominis immortalitati tribuendum est. Haec propria tibi possessio, nullum hic socium habes, nullam hinc maiores tui partem sibi vendicant, hinc laetari hinc gloriari hinc triumphare licet; nam ut gentilis tuus inquit: « regem non faciunt

Sen. Thy. 344. opes, non vestis tyriae color, non frontis nota regiae ». Haud 45 igitur iniuria Alexander Magnus tam praceptorum Aristotelem 50 quam Philippum genitorem revereri et colere solitus traditur: ab

25 verti Krem. | 29 id Titi] vel factum tui Berg. | 34 vel quo codd.  
| 35 Traiano Krem., Troiano Berg., atraiano (a Troiano) rell. | 38 quidam Krem., Berg., quidam (quedam) rell. | 39 dicione Krem., Berg., ditiones rell. | 41 sap - perp - Berg | vel aliorum Berg., om. rell.

hoc enim vitae duntaxat, ab illo autem honestae ac regalis vitae rationes accepisse. Adde quod quae non fecimus ipsi, vix ea nostra voco; ea vero tua sunt quae in effingendo rege praeclaris-  
55 simus poeta Virgilius cecinit: « rex erat Aeneas nobis, quo iu-  
stior alter nec pietate fuit nec bello maior et armis ».

Plut. Alex. 8, 3.

Aen. I 544.

Haec cum tam eximia in te sint regis insignia, non verebor  
- tamen ad tuam maiestatem pusillus homuncio serpere, nequa-  
quam ignarus quam ab illustribus et in excelso dignitatis fastigio  
60 collocatis, ut tu, foveri potius quam repudiari soleat humilitas.  
Tua mihi serenitas instar solis erit; qui obscura quamvis loca  
radiorum splendore illustrat et limosas valles redolentibus herbis  
ac florum varietate vestit. Nam cum excellentissimorum hominum  
dicta et facta latere aut taceri nequeant, tot in eos oculis con-  
65 iectis per ora virum volitare me facies. Praesentes enim et po-  
steri in tuae testimonium humanitatis ac facilitatis, cum tuos fa-  
miliares ac notos decantabunt, scriptis aut sermone testabuntur,  
quanta benivolentia inter ceteros Guarinum complexus sis et in  
tuorum numero collocaris. De his hactenus.

70 Reliquum erat ut ad studiorum meorum, quantulacunque sint,  
opem et solatium tuam invocem vel humanitatem vel severitatem.  
At enim quid sit, planius et opportunius coram explicabit ma-  
gnificus Campibassi comes Iohannes, quo legato et patrono apud  
te utuntur Plautinae musae, ut illae tuo patrocinio tandem post-  
75 liminii iura consequantur. Vale.

&lt;Ferrara 1442&gt;.

---

55 nobis *Berg.*, *om. rell.* | 60 collocatis *Krem.*, *Berg.*, - catus *rell.*  
| 61 que *Krem.*, *Berg.* | obscura vel obscena *Krem.* | 62 illustrat *Krem.*,  
lustrat *rell.* | 67 scriptis] qui scriptis *Krem.*, *Bergol.*, qui scripto *Wolf.*,  
*om. Berg.* | 73 Campibassi *Berg.*, Campinassi *rell.* | 74 tandem *Berg.*,  
*om. rell.*

## 781.

(Vatie. 3372 f. 2 di mano del Panormita; pubblicata da me *Guarino e gli archetipi di Celso e Plauto* 58 e *Storia e critica di testi latini* 345).

Sapienti et eruditissimo viro domino Antonio Panhormitae amico praecipuo Guarinus Veronensis sal. pl. d.

Etsi parum apud te meas in re mea preces et amorem pristinum valuisse sim expertus, tamen in aliena novas adhibere preces constitui; idque facio vel eo consilio, ut tuo prospiciam 5 honori. Nam si roganti amico defuero, vereor ne fama vulgetur te mei odium caepisse, qui tibi fui quondam carissimus; id vero quantum ad vitae constantiam hominisque gravitatem pertineat quis non videt? Rem itaque Federici Veronensis conterranei mei tibi intime commendabo sic ut testis sit tuae de me voluntatis non 10 mutatae. Cui si operam tuam ac diligens studium adhibueris, ut pro amicis solebas, laetabor mihi tibique congratulabor; sin neglexeris, contra ingenium tuum liberalitatemque naturae, non falso putasse me testimonium facies. Hac in re si amico meo studioque 15 meo morem gesseris, audebo et me tibi commendare, ut Plautum postliminio tam longo redire suos ad penates iubeas, ne illum qui amico quondam animo commodatus erat, inimica usurpes iniuria, et quae amicorum communia esse debent, propria surreptaque fiant. Si eum remittere tandem statueris, isti Federico credere poteris, quem salvum ad me mittet aut reportabit. Id 20 facias oro et Guarinum tibi qui olim fuit, eundem velis et in posterum fieri, quod utrique honorem pariet.

Vale et quam tibi carus sim et libro remittendo et amico bene tractando demonstres oro.

E Ferraria VIII decembris 1442.

25

## 782.

(Palerm. Comun. 2 Q q. D 71 f. 107).

Leonardus Aretinus G<uarino> Veronensi sal. pl. d.

Longo sane intervallo litteras tuas accepi plenas me<h>er-  
cle mutui fraternique amoris, que michi summe fuerunt volup-  
tati. Negotium igitur illius quem michi per eas litteras commen-  
5 das diligenter curabo ; quanquam consuevi equidem nullam eiusce  
modi procreationem suscipere propter incertas hominum virtutes,  
quas et laudare necesse est procuranti et sepe contingit ut ne-  
quaquam laudibus respondeant. Sed ego te uno teste confisus,  
cui ego plus credo quam centum milibus aliorum, negotium amici  
10 tui suscipiam et prestare curabo cum venerit comitiorum tempus,  
nam nunc quidem preventi sumus.

Tu velim de tuis studiis michi signifiques, quibus operibus  
insudes : ingenium quippe tuum otiosum esse non solet. Haec  
haec hactenus ; ceterum attende que secuntur. Proficiscitur ad vos  
15 egregius dominus Franciscus Aretinus, etate quidem iuvenis ac,  
ut veteres loquebantur, adolescens ; scientia vero rerum usque  
adeo abundans, ut mirabile protinus videatur tam multa ac tam  
varia in eodem homine consedisse. Summa est in eo iuris civilis  
scientia ; ad hanc pontificii quoque cognitionem adiunxit nec eam  
20 parvam, sed precipuam et reconditam. Poetas vero et oratores  
et philosophos et quicquid litterarum est conspicuum ita tenet,  
ut in quecumque sermo inciderit, ea et leguisse recenter et tenere  
memoriter videatur. Hunc igitur iuvenem tibi commendando, nam  
est dignus cui a te favor impendatur, ut tu ipse iudicabis. Vale.

25 Florentiae k<alendis> octobris <1443?>.

782, 14 actendo cod. | 15 at cod. | 17 mirabilem cod. | 24 impe-  
da cod.

(Vatic. 3372 f. 1<sup>v</sup>, di mano del Panormita).

Ardentis ingenii vati et v. eruditissimo d. Antonio Panhormitae ut fratri dilecto Guarinus Veronensis sal. pl. d.

Cic. ad fam.  
x 3, 3.

Saepenumero tuae virtuti ac fortunae gratulor: « illi quidem duci, huic vero comiti » ad famam ad decus ad amplitudinem consequendam, unde fit ut in regiae maiestatis familiaritatem benevolentiam intimamque caritatem non incideris sed veneris. Is autem cum animi magnitudine sapientia liberalitate et aequitate singulari regum splendor fiat et dignitas, maximam tibi laudem praestat et nomen immortale, cum tam subtilis iudicij principi placuisse praediceris; cui et ipse tu magnis pro musis tuis et doctrina pariter et ornamentis ingentibus non mediocrem reddis fulgorem. Hisce de causis non tibi gratuler pro vetusto amore nostro, qui fecit nostra omnia esse communia? ceterum et mihi gaudeam opus est, cum ad eam rem quam paro tu ipse adiutor sis proinde optimus ac patronus efficax.

15

Ecce enim filium meum dulcissimum Hieronymum istuc mitto eo consilio et spe, ut ductu et auspicio sapientissimi et integerrimi domini Iohannis Olzinae aliquam exercendae virtutis et studiorum suorum viam ineat et laudis capessendae sumat exordia, fide caritate diligentia ac vigilantia comitante, simul et filiali quadam in patrem Olzinam oboedientia et veneratione. Tuum erit me sic in filio vel in me filium sic amare amplecti fovere, ut quantum tuam in me benivolentiam praedicare verbis soles, tantum eam re ipsa nunc declares unaque simul opera patrem filiumque immortaliter tibi devicias. Hoc maxime testimonio eluceat quam virtutes Italorum spem suam et ut ita dicam anchoras firmiter in regia maiestate iacere debeant; haec ipsa facient ut tam dulcis filii desiderium et absentiam aequiore feram animo, cum clarissimum Olzinam patrem et te sibi patronum factos vestra virtute sensero. Vale musarum decor.

30

Ferrariae nonis octobris <1443>.

---

783, 10 magnum cod. | 22 suum cod. | 23 favere cod. | 25 testimonium cod.

## 784.

(Bologn. Universit. 662 f. 273; pubblicata in *Epistolae principum*, Venetiis 1574, 356 e Amstelodami 1644, che è una contraffazione, e da me in Barozzi-Sabbadini *Studi sul Panorm. e sul Valla* 93).

Laurentius Valla Guarino Veronensi s.

Litteras equidem libenter, filium vero tuum libentius vidi; nihil illo vel totius habitu corporis elegantius vel sermone eruditius vel moribus liberalius. Vera Guarinia progenies, quippe et 5 paterni corporis decorem, venustatis pariter ac dignitatis plenum, reddit et praceptorum eloquentiae ac sapientiae refert, licet non modo te praceptorum sed et patrem, a quo multa traducuntur in filios, exhibet, ut in te illud virgilianum decentissime cadat: « o felix nati virtute bonisque ». Quod si ceteri filii, quorum ma- 10 gnus tibi proventus est, vestigia patris imitabuntur, ne Metellus quidem ille felix te felicior fuisse dicetur. Hunc ego filii loco accipio amplectorque tum suo ipsius tum paterno merito. Apud Olzinam vero nostrum, etsi per se est commendatus, tamen commendatiorem facere laborabimus. Haec hactenus.

15 Quandam orationem Plinianam non dico eloquentem sed admirabili eloquentia haberi aiunt; eam si tu vidisti, velim per litteras certiorem facias. Est autem de laudibus Nervae apud ipsum Nervam; de qua ipse Plinius meminit in prima epistola, ubi ait se imitatum esse Calvum quasi latinum Demosthenem; 20 tametsi miror quod prope tota sit in contentione dicendi, ut ille testatur, si in laudibus tota versatur. Eam si penes te habes ad meque mittes, mittam ego tibi vicissim meam orationem quae etiam ipsa prope tota in contentione versatur: de falso credita et ementita donatione Constantini. Dices: « pacisci-mecum vis ». 25 Minime; sed nisi orationem meam non videris,mittendam esse non puto tibi. Rescribes igitur an Pliniana Laurentianaque oratio

Aen. III 480.

Val. Max. VII  
1, 1.

12, 2-3.

784, 4 vere Guarino cod. | 13 Olzinam] Regem ed. | per se om. cod. | tamen om. cod. | 14 laboravinius ed. | 15 orat- quand- cod. | Pli. nium cod., ed. | 16 hanc cod. | 17 enim cod. | 21 in laudibus si tota ed. | 22 ad me mictas, micto cod. | orat- meam cod. | 24 vis mecum cod. | 26 tibi non puto cod. | rescribe cod.

in manus tuas venerit. Si utraque, tu Plinianam ad me mittes; si neutra, ego ad te meam Laurentianam mittam; si Laurentiana, neuter ad alterum aliquam orationem mittet. Sed quid versutiis tecum ago, homine probissimo? Vale et me ama.

30

Neapoli 8 calendas novembres <1443>.

### 785.

(Ambros. I 11 sup. f. 51; T 12 sup. f. 50; Laur. 90 sup. 54 f. 81; Est. 1099 f. 1; Ventimiliano di Catania P C E XI f. 40<sup>v</sup>; Laur. Ashburnh. 1702 f. 116; Balliol 135 f. 50; Ferrar. 110 NA 4 f. 107<sup>v</sup>; 135 NA 5 f. 70; 151 NA 5 f. 68; Harleian 2560 f. 50; 2586; 5411 f. 146<sup>v</sup>; Class. 186 f. 85<sup>v</sup>; Marc. lat. XI 108 f. 187; XIV 7 f. 51; Magliab. XXI 151 f. 17; Casanat. D V 43 f. 40; Vatic. 4510 f. 1; 6898 f. 88; Regin. 678 f. 13; Ottobon. 1153 f. 68<sup>v</sup>; Bergam. A II 32 f. 121; Escorlal a. IV 26; Canon. lat. eccl. 223 f. 310; cfr. Hagen *Catal. cod. Bern.* 257, dal cod. 211 f. 17; Librairie ancienne T. de Marinis et C., Florence 1911, XI cod. 9 f. 1; Maffei *Verona illustr.*, Milano 1825 III 162-3; Rosmini *Vita di Guarino* I 119-123 da un cod. Ambros.; stampata « Urbini die XIII martii MCCCC nonagesimo tertio », Coloniae 1493, da F. Strano *Catalogo della bibl. Ventimill.*, Catania 1830, 579 e da K. Müllner *Reden und Briefe ital. Humanisten*, Wien 1899, 232).

<Guarinus Veronensis suo amantissimo filio Hieronymo sal.  
pl. d.>.

Tandem tuas accepi litteras, fili dilecte Hieronyme, quarum adventus eo iocundior fuit quo expectatior; nam postea quam a nobis profectus es, ne minimam quidem reddi abs te mihi contigit epistulam, nisi nunc cum e Capua Severus tabellarius rediit. Accumulavit autem earum laetitiam quod velut « ex umbra in lucem » et e ludo in palaestram te descendisse, ut semper optasti, video, ubi ea quae legendo didiceras, exercendo prae te feras et

Cie. Br. 37.

27 mictas cod. | 28 neutram cod., ed. | 29 mictes cod. | quid verbis uti hiis cod. | 30 ego ed. | 31 La data manca nell' edizione.

785, 1 Guarini Veronensis ad Hieronymum filium hypothesis in cipit. Hypothesia idem est brevis admonitio (ossia da ὑποθήση) *Vat. 6898*. Soscrizione: Guarinus pater edidit, Manuel filius exscripsit; εντυχει. Perciò questo codice ho posto a fondamento del testo, sebbene anche gli altri abbiano in generale lezione corretta.

10 ex prisorum monumentis verum in certamen prodeas ; quo effectum iri vaticinor ut quantam ab illis ingenii laudem tibi tribui contingebat , tantam ex his virtutis famam praedicationemque vendices et insignem certandi coronam referas. Amplissimum nanque tibi campum non mediocris de te paravit opinio, cui et  
 15 fortuna comes iam nunc, ut appareat, belle satis arridet, ubi cum tirunculus decertare incipias, non erit incommodum si, ut pugiles sibilis vocibus ac nutibus adhortamur, sic te « currentem veteranus ipse iuvero », fallendi aut inferendi ictus rationes ostendero et, qui per aetatem « mores hominum multorum et urbes vidi »,  
 20 viam quam tu quidem ingrederis, ego vero iam ferme emeritus exeo, monendo consulendo adhortando commonstravero aut certe confirmavero. Ita fiet ut longinquus tecum sim et Virgilianum interveniat illud : « absentem absens auditque videtque ». Licet autem iter ipsum « bonis », ut dicitur, sis auspicatus « avibus », prop-  
 25 tereaquod, eodem referente Severo, omnibus carus gratus acceptus es cunctique uno te ore collaudent probentque, tamen legenti non erit inutile si vel te vel alios per te iuniores senior instruxero ut, quod facere instituant sponte sua, vel invitatu meo confirmatus audentiusque factitent atque incohent.

30 Igitur ne longius evager observatum est, Hieronyme fili, non minus apud priscos quam minorum nationem ut quotiens res novas invadere contingit, divino innitantur auxilio. Unde illud : « dii, coepitis aspirate meis » et : « in primis venerare deos »; et Hesiodus ipse in operis sui primordio : « Huc ex Pierio resonantes vertice musae Ferte pedem et cantu vestrum celebrate parentem ». Xenophontis quoque tui documentum est, ut cum in parvis tum in magnis incohannis negotiis ab diis primi motus perducantur. Quanto id magis cum vero, immortali et omnipotenti complectendum est deo, qui « vias tuas dirigat et pedes tuos a  
 35 lapsu custodiat » ! sic illi servies, ut tuas in ipsum cogitationes spem opera iacias et illud poetae deo nostro dicas : « a te principium, tibi desinet ».

Postea regem tuum et principem serenissimum, in quo tanta religio fides integritas munificentia fortitudo magnanimitas eluet,

Cic. Phil. III  
19.

Horat. A. P.  
142.

Aen. IV 83.

Verg. Aen. IX  
325; Geo. I 40,  
338.  
Op. 1-2.

Mem. 14, 17.

Psal. 90, 11.

Verg. Ecl. III  
60.

14 paruit Vatic. 6898 | 31 rationem Vatic. 6898 | 39 vel amplectendum codd.

quasi terrenum deum sic coles observabis intueberis, ut in eo 45  
deum vel in deo eum colere observare intueri studeas pergas.

*n. II 443.*

Scis enim Homerum illum poetarum principem reges διοτρεφέας appellare solitum, quasi divinitus enutritos et ad gubernandos mortales eximum decus gradumque sortitos esse: proinde non minorem regum ac principum quam rerum nostrarum curam amplexari oportere vel ea ratione quod regnantium ruina reliquorum etiam cladem secum trahat est necesse, sicut in eorum incolumitate rerum publicarum status salusque reposita est. Ipsum itaque sic ames, ut studium omne cogitationem operam suis commodis honori laudi gloriae dicasse videare, tuorum oblitus commodo- 55 rum; ita enim amare dicimur, cum alicui bona velimus ipsius gratia quem amamus, etiamsi nullam consequamur utilitatem, immo vero labores incommoda incurramus et discrimina: quae cum factu difficultia putentur, facilia consuetudo reddet et amor vel ipso affirmante poeta: « omnia vincit amor ». Id quoque fixum 60 tenebis animo, care fili, non minus famulantibus principes quam principibus famulantes commendatos esse debere, quippe cum principum fama laus decus et gloria non mediocri ex parte de familiarium fide castitate abstinentia taciturnitate vigilantia pendeat; nam quotiens imperatorum gesta tolluntur in caelum, quae 65 dormientibus illis administratorum prudentia studio et probitate gubernata et absoluta fuerant! Sic Iulium Caesarem Gallia saepe numero praeconiis decantavit, cum Labieni strenui militis et duc toris fortissimi auspicio quippiam fortiter gestum extiterat.

*Caes. B. g. I  
22 etc.*

Post me natura tibi genitorem alter tibi virtute tributus est 70 pater, virtutem intelligo Olzinae viri primarii et humanitatem, cui, si recte perpendes, non parva debere te intelliges, cum iste non casu sed iudicio, non inscitia sed sponte filium delegerit, delectum vocaverit, vocatum amplexus sit. Huic ut gratitudinis vices referas, tota mente omni opera summo studio enitendum 75 tibi erit et sic enitendum ut nulla tam abiecta pro eo tibi res offeratur quam dederis, nulla tam ardua quam reformides. Quin digna omnia et non laboriosa sentias ac invadas; ne solvendos aspernere calceos; non lavare non abstergere fugias: haec

---

47 diotrepheas *codd.* | 57 vel etsi *codd.* | 66 ab ministrorum *Vatic.*  
6898,

80 parva sane, sed magnae caritatis indicia, quibus ita devinciatur suscipientis animus, ut inde captivum, ut dicitur, ducas hominem ; sicut enim est apud Sophoclem, « gratiam gratia parturit ». Tuuni  
Ai. 322.  
 repeate memoria Xenophontem, apud quem cum Astyages adversa teneretur valitudine, Cyrus ex filia nepos, puerulus adhuc, nulla  
 85 vel viliora recusans ministeria et cunctos strenuitate ministros superans, mirum in modum avi conciliavit animum, adeo ut qui Cyrum hactenus diligebat, porro amare coepit.

Et quoniam coepi quae adolescentis tui laudi vitaeque conduceunt proponere, non gravaberis quae velut extemporaria incidunt accipere, quibus et prudentior fias et ornatior. Quicquid 90 igitur principantis edicto constitutum fuerit, nulla cum molestia aut susurrim captandum erit sed aequis animis et hilari fronte comprobandum ; hi nanque sunt qui regentibus cari se suosque magnis locupletant opibus et honoribus ampliores efficiunt. Quis 95 enim ignorat quaedam occulta ratione persaepe regnis incidere quae occulta quoque ratione ac medicina curanda sunt ? prouinde tacitis ea mentibus capessere conveniet.

Velim praeterea ut, cum regis aulam frequentes, multiloquentiam vites, ad auscultandum promptior et rumorum minimus 100 vel nullus potius aucupator nullusque « alieni sermonis interpolator ». Naturam vitae magistrum optimam contemplare, quae dies noctesque patulas nobis formavit aures, linguam vero geminis labiorum ac dentium muris circumvallavit, perinde ac maior in tacendo quam dictando linguae usus ostendatur ; quocirca non illepidi ad mortalium vitam Hesiodi versus illi sunt : « Optimus 105 est linguae thesaurus ad omnia parcae. Sin modus est illi, tum gratia provenit ingens ». Illud etiam ad moderandae linguae pertinebit officium, ut de absentibus nec male dicas nec male dicentibus adsis ; malum nanque, « si detur optio », ut de indignis 110 bene dicas quam de dignis male ; hoc etenim aptum ad conciliandas amicitias initium est, si de absentibus ad praesentes laudem proferas, qui cum abfuerint de se quoque idem sperare poterunt. Quoniam vero non semper silendum nec pythagorica taciturnitas tenenda est, quin in coronis sermonem habere convenit, danda

*Cyr. I 4, 1.*

*Rhet. ad Her.*  
II 16.

*Op. 719.*

*Cic. P. Caec.*  
64.

---

92 vel susurris codd. | 103 maiorum *Vatic.* 6898.

erit opera ut colloquentium sermonem attentius captes et magni 115 facere videare. At cum loqui cooperis, cavebis, o fili, ne solum tuis de studiis verba faciens, ceterorum artificia nihili pendas, quod ii faciunt qui se nimium ac sua vehementius amant, sicuti nonnulli philosophantes venatorum, militum, rusticantium mores vitamque contemnunt. Eo fit ut verbosi quasi sua in possessione 120 constituti reliquos excludant, unde et res eorum invidiosas faciant et odia ceterorum incurant. Sit ergo tuus sermo serius aut iocosis quidem de rebus, verum honestis et ab omni obscenitate remotis, ne verba ullum prae se ferant animi vitium; est enim lingua mentis interpres ac nuntia; nam qui vehementius aut crebrius in vini laudibus perstiterit, quis eum valde sobrium iudicare poterit? qui in pecuniae aut quaestus crebra commendatione versatur, difficile est hunc non avarum suspicari.

Illud etiam et prudentis et integri fuerit adulescentis documentum, ut quicquid dicturus facturus sis, id ad principis et 130 heri tui aures perventurum esse credas; longas nanque regibus aures atque oculos esse nescius non es. Ipsa autem facienda sic librato, ut si quis negotio adiunctus est metus, desistas: sin ubi in lucem venerit probatum iri speraveris, illius actio tibi fugienda non erit. «Praeterea unum tibi praeque omnibus unam moneo», 135 si quem primas inter ministros et familiam partes habere et regi gratiorem esse cernes, non modo non indigneris aut ulla mordearlis invidia, verum illum honorificis prosequare verbis et omnibus observantiae modis obsequere. Ad haec ipse contendet, ut dicitur, «manibus ac pedibus», enitere, ut probitate, morum suavitate, fide ac diligentia excellentioribus adaequeris, quos non solum verbis ornare, sed etiam actionibus imitari studebis. Hoc enim pacto et maioribus acceptus commendatusque fies, cum eorum iudicio assensor magis quam censor esse noscitareris. Animo iam advertisse te non dubito ut varios mortalium mores regalis aula, 145 sicuti mare pisces feras silva, suscipiat; ubi singularis fuerit prudentiae sic te omnibus offerre ut alium vultu. alium verbis, non nullos arrisione aliisque modis vendices tibique concilie. Ceterum inter homines sic distingues, ut cum reliquos quidem non

Verg. Aen. III  
134.

Ior. And. I 1,  
134.

150 asperneris, bonis convictu et consuetudine utaris: illos nanque non adversantes habebis, hos autem adiutores ornatoresque comparabis. Quod si nonnullos asperiores aut propter novitatem elatiores reperire videberis, cogitare ac nosse debebis nulla re alia tantopere leniri ac mitigari asperitatem et elationem solere, quam

155 obsequio et submissione, quam plerique humilitatem nominant.

Audisti quanta sit leonum, ut sic dicam, magnanimitas, cum obvius illis venator, telis abiectis, humi se prostraverit; sic ille fervens relanguescit ardor, ut « subiecto parcere » conspiciatur, qui « superbū debellaturus » irruerat: tantum in elatiōes ani-

160 mos mansuetudo potest.

Cum vero iuvenilis aetas effervescente per id tempus sanguine pronior sit ad iram, eam dico quae rationis perturbatrix est atque consilii, huic quasi antidotum praecipiendum est ne vel eam colligas vel collectam in aliquid poenitendum evomas. Pri-  
165 mum quidem antea frequentius animo vertes et quasi venientem praeconspecies; subita nanque et minime praevisa fortiores habent impetus. « Quid igitur facies, Hieronyme? » tecum inquires, « quoniam modo te occursanti fervori et animorum ardori offeres? » Tete adversus eam velut aegide armatus obicies. Haec nanque

170 tibi facienda sunt: primum quidem ut praevisum compescas animum, « qui nisi parere discat imperat », tum animi nuntiam refrenes et contineas linguam, quae tua magis in potestate quam animus ipse fiet. Quam quidem ad rem conduceat scitum illud Athenodori clari imprimis philosophi, quem carissimum eximie  
175 praceptorē Octavianus Augustus habuit. Is e Roma patriam repetens in ipsius discessus cardine munus quoddam principe dignum relinquere statuens, « Auguste Caesar », inquit, « cum aliquorum improbitas te ad iram impellet, suadeo ut priusquam

180 illum emittas verbum, sic te ipsum compares ut prius tecum ta-

citus alphabetum referas ». Haud enim ignorabat gravis homo quod « ira furor brevis » est, cuius cum primi franguntur impetus, inanes porro ceteri conatus efficiuntur. Quod si non animum compescere, non linguam frenare fas fuerit, adeo imperiosa ple-

Verg. Aen. VI  
853.

Horat. Epist. I  
2, 62.

Plut. Reg. et  
imp. apoph. Aug.  
7.

Horat. Epist. I  
2, 62.

176 *rel* ingressus *codd.* (*an* digressus?).

motum conducibile fuerit, ut tono vocis leniore et frontis hilari- 185  
tate et ridibundo vultu ipsius asperitatem tristitiamque mitiges.

De manu lucris ab illicitis continenda praecipere fortasse supervacuum duxeris, praesertim qui ab ineuntibus annis « virtuti <magis> quam auro serviendum esse » geris in ore. Illud tamen proponere non erit ab re, in omni actione suscipienda 190 laudis reportanda quam « argenti corradendi » rationem potiorum haberi debere: hoc nanque vel improbis sceleratisque commune, illam autem solis duntaxat castis honestisque peculiarem esse. Non dicam comicum illud « apprime in vita utile »: « pecuniam in loco negligere interdum magnum est lucrum ». 195

Plura hoc tempore scribere volenti tabellarius iter properare nuntiat; quod cum molestum esset, ita me ipsum consolor, quod si omnia unis effudero litteris, mutus dehinc mansurus sim. Verum ut dicendi argumentum reponatur in posterum, finem scribendi faciam, si paucula quaedam de fide subiecero. Ego, fili, 200 quae tuae fidei commissa fuerint sic in pectoris recessu condenda esse arbitror, ut nulla vis nulla iniuria nulla solertia nulla denique iactantia res tibi creditas excutiat. Plerique sunt qui iuvenili quadam gloria et levitatis aura ducti ne parum multa scire videantur, quae norint effundunt et, ut ait comicus, « pleni rimorum hac atque illac perfluunt », cum salutarius eiusdem fuerat documentum: « si sapis, quod scis nescis ». Occulta igitur et tacenda hisce viis optime continebis: primum quidem si de his ratiocinantibus aliis sermonem suppresses aut aliorum derivaveris, ne te inescantes, ut dicitur, aucupentur; tum laetitiam ac tristitiam moderaberis, ut in re moesta « spem vultu simules », in laeta frontem gravitate sustineas, nam plerunque fit ut in labiorum silentio oculi manus gestusque loquantur.

Verg. Aen. III  
461.

« Haec sunt quae nostra liceat te voce moneri », quantum una lucubratiuncula et quidem tumultuaria permittit. Quae si 215 sponte tua ut soles et monitione nostra sectaberis, brevi conspicies adeo virtutis et laudate vivendi exercitatione confirmatum animum, ut nullus in agendo labor sed summa potius delectatio non mediocrem Regis optimi benvolentiam, amplissimi viri Olzinae patris pietatem, cunctorum caritatem, famam laudemque tibi 220

---

209 *vel* rationantibus *vel* rationibus *codd.*

pariat fructusque laetissimos. Horum autem bonorum et quidem excellentium gratia nullae molestiae nullae defatigations nulla postremo pericula pertimescenda sunt. « Ito animis contra mentemque per ardua tolle »; illud de Ascanio in te dicere licebit: « macte nova virtute puer, sic itur ad astra ».

Verg. Aen. XI  
438; IX 641.

<Ferrara 1443>.

## 786.

(Pubblicata da A. Luzio *Cinque lettere di Vittorino da Feltre in Archivio veneto XXXVI*, 1888, 337).

<Iohannes Franciscus de Gonzaga> Guarino Veronensi.

Clarissime etc.

Longo atque vehementi desiderio tenemur habendi in greco sermone Iosephum de antiquitate iudayca totum et integrum, nec non eundem de bello iudayco et nonnullas eius invectivas contra detractores gentis iudayce ad Epaphroditum seu contra Manethonem et Cherimonem et quosdam alios. Et quoniam habemus egregium Dominicum Grimaldum, amicum nobis precipuum, Constantinopolim usque profecturum esse, scripsimus ad eum rogantes ut operam dare velit et diligenter de libris ipsis inquirere, ut si fieri possit voti nostri compotes efficiamur. Vetere ergo amicitia nostraque erga vos singulari benvolentia usi vos rogamus plurimum ut eundem Dominicum, qui vos adibit, monitus a nobis, instruere ac informare velitis de libris ipsis et ubi aut quomodo facilius illos invenire possit et ad nos deferre, quod profecto nobis erit gratissimum. Parati ad vota queque vestra.

Mantue XXI iulii 1444.

225 Qualche codice aggiunge: Vale, fili mi dilecte Hieronyme. La sostanza di questa lettera è attinta al *Demonicus* e al *Nicocles* di Isoerate.

786, 9 Segue a p. 338 la lettera del marchese al Grimaldo, invitandolo a intendersi con Guarino « lì in Ferrara ».

## 787.

(Berl. Hamilton 495 f. 155<sup>v</sup>).

Guarinus claro adulescenti Tito Strozae sal. &lt;pl.&gt; d.

Tanti tua studia facio, quibus pro mea in familiam vestram  
 caritate faveo, ut illa vel meis anteponam. Ceterum cum illu-  
 strissimus princeps vitas illas a me poposcisset (si mentior, « sit  
 oculis lux ista novissima nostris »), non potui non abs te illas 5  
 repetere, ut suo parerem imperio. Ceterum ubi reddiderit, iam  
 nunc illas expecta; quod si alium quempiam e libris nostris ha-  
 bere optas, pete: « nulla<m> patiere repulsam ». Vale decus  
 musarum.

Ovid. Met. 1  
772

ib. II 97.

Ex Ferraria XVI kal. octobris 1444.

10

## 788.

(Pubblicata in Strozii poetae pater et filius, Ald. f. 147).

&lt; Titi Vespasiani Strozii &gt; ad Guarinum de phasi ave.

Siquis Apollineum miratur Ariona quondam  
 Caeruleo inventum delphine stupentibus undis  
 Dulcibus illectos pisceis tenuisse querelis,  
 Siquis et aerios monteis et saxa ferasque  
 Et nemora et volucres et verso flumina cursu  
 Mollia Bistonii properasse ad carmina vatis 5  
 Confisumque lyra sicut cinxisse canendo  
 Thebanam subitis Amphiona moenibus urbem  
 Credibile esse negat, nostri miracula secli  
 Audiat et quicquid cecinit veneranda vetustas  
 A falso distare procul verumque putabit.

5

10

787, 8 patrem cod.

788, 6 *Bistonii vatis*, Orfeo

Quam ferus accipiter captam me teste peremit  
 Ecce iterum fruitur vitali lumine phasis  
 Atque novam induitur formam farique diserte  
 15 Novit et ad dominum defert mandata priorem.  
 Non tamen hanc ullis vates Epidaurius herbis,  
 Ceu quondam extinctum Hippolytum, mandante Diana,  
 Rettulit in lucem nec carmine dira potenti  
 Phasias aetherium rursus revocavit in orbem,  
 20 Verum illi hoc tantum magni nova musa Guarini  
 Muneris attribuit dumque altum lucida coelum  
 Astra colent dumque Adriacis Padus influet undis,  
 Dum Borsi ducis extabit venerabile nomen  
 Laudibus egregiis ac dextro numine partum,  
 25 Immortalis erit longumque manebit in aevum  
 Nostra Guarineo celeberrima carmine phasis  
 Assyriaeque parem volucri mirabitur aetas  
 Postera, vivacem innumeros durasse per annos.  
 At cui permissum est tristi data corpora laeto  
 30 Spiritibusque animare novis mortemque fugare,  
 Humanum alitibus sensum dare, verba docere  
 Pierios imitata sonos, hominumve deumve  
 Hunc rear esse? deus, certe deus ille putandus.  
 Ergo sibi vitam poscens a te, optime vates,  
 35 Altera phasis adest, animam cui Martius ales  
 Abstulit atque suam sortem ne sorte sororis  
 Peiorem rogat esse velis instructaque sacris  
 Artibus huc a te mitti legata, Guarine,  
 Flagitat, ut charo tua carmina reddat alumno,  
 40 Divitiis Croesi atque Mydae quae paeferat auro.

<Ferrara 1450 c.>

---

13 *phasis*, fagiano. | 15 *dominum*, T. V. Strozzi, che aveva regalato il fagiano a Guarino | 17 Cfr. Verg. *Aen.* VII 765-9 | 19 *Phasias*, Medea | 27 *Ass. volucri*, la fenice | 32 *hominemve?* | 39 *alumno*, lo Strozzi.

## 789.

(Lollin. 16 p. 188; Bergam. A II 32 f. 108v; pubblicata in parte da me in *Museo d'antichità classica* II 413 e integralmente da B. Feliciangeli in *Giorn. stor. d. letter. ital.* XXIII, 1894, 57, di sul Lollin).

Guarinus Veronensis excelsae dominae Constantiae Cameriniensi sal. pl. d.

Credo, generosa virago, te nonnihil miraturam cum hanc suimes in manus epistulam eiusque novitate movendam esse, quidnam sibi velint ab homine ignoto litterae; et cum plures in 5 te ipsa causae sint, quae scribendi materiam suppeditent, quaenam praeципua sit, tecum ut videor videre discuties atque apud animum tuum propones. « An idecirco Guarinus ad me scribit, inquies, quia cum intelligat clarissimis me ortam maioribus virisque principibus, in tali dignitatis et fortunae fastigio positam perinde ac 10 quandam in terris deam me salutatum veneratumque hac ratione venit? Legisse penes Homerum profecto debet regiam stirpem regesque ipsos διοτρεψέας appellari solitos et ισόθεος φώς et Δαι μῆτριν ἀτάλακντον. Quocirca non modo Herculem ceterosque eiusdem tempestatis heroas, verum etiam inferiores alios admirandae 15 virtutis et generis maiestate divinos honores meruisse. Eapropter Virgilius noster de Augusto idem sensisse dicitur: « Nanque erit ille mihi semper deus; illius aram saepe tener nostris ab ovibus imbuet agnus ». Scipionis quoque Africani maiestatem tantopere longe lateque diluxisse memoriae traditum est, ut olim 20 Val. Max. 10. 2. 11 piratarum principes magno suorum grege stipatos ad se eximia quadam veneratione adorandum quasi quoddam numinis simulacrum allegerit. Haec una scribendi causa. Nunquid et alia exarandi ratio? Guarinus hisce liberalibus disciplinis et humanitatis artibus ornatus atque eruditus, quibus suam omnem consumpsit 25 vel verius consummavit aetatem, cum me illis deditam, scriptorum meorum qualiuncunque testimonio, non ignoret, scribere aggressus est, ut litteraria quadam affinitate et studiorum similitu-

---

789, 3 virgo B | 5 vellent B | 8 tuum om. L | 26 consumavit codd.

dine concilietur? « Pares enim cum paribus veteri proverbio, ut est  
30 apud Ciceronem, facillime congregantur ».

*de sen. 7.*

Hanc veram, licet non solam nec primariam, litterarum mea-  
rum causam fuisse non infitiabor, virgo memoranda. Legi plera-  
que abs te scripta singulari cum laude tua et delectatione mea,  
in quibus latini sermonis diligentem elegantiam vel elegantem  
35 diligentiam in primis contemplari soleo, tum in pingendis verbis  
sicuti non apparatam nimis, ita in ponderandis sententiis accu-  
ratam, adeo ut dicere soleam: haec mulieris, non muliebris, oratio  
robur prae se virile fert et ingenium, ut iure meritoque canere  
liceat ad ignavos: « Vos etenim iuvenes animum geritis mulie-  
40 brem, illa virgo viri ». Effecisti proinde tuarum testimonio scrip-  
turarum ut non modo praesens illustres saeculum, verum etiam  
probabilem illam facundiae famam reddideris, quae prioribus  
saeculis primarias quasdam feminas orationis suavitatem ac splen-  
dore floruisse refert, « Corneliam, Laeliam, Mutias duas et utran-  
45 que Liciniam », quae mirificos litterarum fructus edidisse priscis  
etiam oratoribus admirandos praedicantur. Quod idem in te laudo,  
probo simul et admiror et ut perseveres moneo incendo et ani-  
mo: « perge modo et qua te dicit via dirige gressum », cum  
hinc bene vivendi rationes et immortalitatis comparandae propo-  
50 sitas cognitas perceptas noscites. Nec vero sentio cum Iuvenale,

*Cic. de off. 1  
61.*

qui plerunque per illum maledicendi fervorem virusque satyri-  
cum etiam benefacta carpit ac mordet. Is cum feminas vehemen-  
tius insectetur, et bona eis invidet: « Illa tamen gravior, quae  
eum discubere coepit Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elisae,  
55 Committit vates et comparat inde Maronem Atque alia parte in  
trutina suspendit Homerum », quasi doctrinam, quae omne homi-  
num genus, omnem sexum, omnem decet aetatem, unde et hu-  
manitatis nomen accepit, in muliere vituperet et sanctas proinde  
feminas redarguere cogatur, quas eruditissimas et rerum divina-  
60 rum studiosas extitisse sacrae testantur litterae.

*Cic. Br. 211.*

*Verg. Aen. 1  
401.*

VI 434-37.

Post longiusculum sermocinationis diverticulum redeamus,  
virgo regia. Miraturam te nonnihil initio dicebam inusitato litte-

---

29 concilietur *L* | 38 ingenuum *L* | 40 illaque *B* | 46 item *B* | 49  
bene] tantum *B* | 51 fervorem *om. L* | 53 eius *B* | gravior ait *B* | 59  
eruditissimas *L* (*an* eruditissimas disertissimas?).

Verg. Aen. VIII  
 50. rarum mearum adventu, quarum causam « paucis adverte docebo ». Si quis cum Achille verba facturus adventasset, de curribus de hastis de praeliis omnem futurum sermonem quis non arbitra- 65  
 Horat. A.P. 122. retur, ut « nihil non arroget armis » ? Si quis item pastorem quem-  
 piam adiret, non nisi de lacte caseo agnis ceterisque id genus orationem habiturum iudicares et tua pro sapientia praesagires. Itidem cum mea haec ad te, quae una musarum es, allata erit epi-  
 stula, cogitare poteris litterarium afferre nuntium et studiorum opem 70  
 efflagitare, ad quam quidem consequendam tuae humanitatis munus invoco. Id huius est generis. Dudum odoratus sum, nisi me fal-  
 lunt vestigia, commentarium Cornuti in Iuvenalem satyrum, quem ob vetustatis opinionem, nondum visum, cupio et habere vehe-  
 menter aveo ; cuius voti ut me compotem facere valeas, virgo 75  
 primaria, tibi datur occasio, qua me tibi devinctum reddas im-  
 mortaliter. Nam istic esse viros eximios et excellentes cives tuos  
 audio, sive doctrinam sive virtutem considero, Advenantium et  
 Marianum physicos celeberrimos, qui desiderati a me codicis do-  
 mini sunt et possessores, a quibus ut exscribendi codicis faculta- 80  
 tem et copiam exorare possim, tua mihi opus est intercessione  
 ad exemplar non longo tempore consequendum ; cuius hospes cum  
 fuero fidus tutusque depositarius, incolumē remittam mille gratiis  
 refertum, ut me suorum dominorum captivum tanto illorum me-  
 rito allagatum referat. Ne mireris autem nec dedigneris si tuae 85  
 intercessione magnificentiae ad hanc rem arrogantior usus sum ;  
 velim nanque vel mundo teste intelligi te studiorum et revivi-  
 scientium litterarum patronam esse, cum sitis illae tibi, tu illis  
 ornamento non mediocri laudique praecipuae. Praeterea cognitum  
 fieri cunctis mortalibus concupisco, quanti facturus sim hoc ma- 90  
 gni munera instar, ad quod vendicandum tanta uti voluerim in-  
 terprete ; id autem tantopere celebrabo, quod « semper honos  
 nomenque tuum laudesque manebunt ».

Verg. Aen.  
609.

<Ferrara metà del 1444>.

---

65 arbitretur *L* | 68 orationis *L* | 70 studiorum *om. L* | 71 manus  
*codl.* | 78 adventantium *B* | 83 incolumē *L*, incolumem *B* | 92 cele-  
 brando *B*.

## 790.

(Marc. lat. XIII 71 p. 250; XIII 72 f. 92; Padov. Seminar. 692 f. 99; Bologn. Universit. 1490 p. 241; Vatic. 5911 f. 108<sup>v</sup>; pubblicata da me *Centotrenta lett. ined. di F. Barbaro* 118).

Franciscus Barbarus eloquentissimo Guarino suo s. d.

Proximis diebus accepi litteras tuas, in quibus de Paulo illo iocaris. Ego cum claro Leonardo nostro ero et secum constituam quid mihi sit faciendum; nam cum iam tot annos peregrinatus sim, ex sententia sua gravius deliberabo quid sit agendum. Ego vero pro fortunis tuis ac pro Emanuele sic mihi laborandum puto, sicut confiderem te pro liberis nostris esse facturum.

Que scripsisti < $\pi\epsilon\rho\iota\tau\omega\varphi\iota\lambda\omega\zeta$ > ad me mitte: est enim res digna cognitione, et privatim et publice conduceat, ut nec domi nec foris huiuscemodi error discrimen adduceret. Opto tamen ut qui cum fortuna mutare fidem volunt, redeant ad sanam mentem et secum de communi salute potius quam de se consulendum sit. Vale.

Venetiis XV kalendas ianuarias 1444.

## 791.

(Trivulz., Appendice, un fascicoletto cart. staccato. sec. XV, assai guasto dall' umidità, f. 4<sup>r</sup>).

Guarinus Veronensis clarissimo iurisconsulto d. Albrico sal. pl. d.

Cum habeam cognitum et « ad unguem », ut dicitur, perspectum iam dudum amorem in me tuum, nova tamen in dies 5 testimonia tua profert humanitas. Rediens nanque nuper M. Severus tabellarius noster renuntiavit tuam de meis rebus recordationem perpetuamque diligentiam. Qua in re imitabile cunctis

---

790, 6 *rel. elab. - coll.* | 8 de amico et adulatore (*rel. om. in lac.*) *coll.*

exemplum aperis: veram caritatem non ipsis in oculis sed in animo, qui vel longinquus propinquus est. fixam et locatam esse; pro quibus quidem meritis non modo mercedem nullam habeo 10 quam tibi dignam praestem, sed et laborem labori superaddam. Primum quidem te oro atque obsecro ut vulpem illam diutius latitantem tuo<sup>m</sup> canum odor indaget et omni diligentia eruat et erutam includat. Deinde tua mihi opus est ope atque opera; nam cum a d. A. Basso aliquid negotii gesti fructuose expectarem, is mihi renuntiavit confessionis debitum instrumentum sibi delapsum fugisse; unde armis nudati non modo vincere sed ne certare quidem possumus. Itaque conveniendus est denuo tabellio et ipsius confessionis stipulator et transcribendum instrumentum. Quam ad conficiendam <rem> quicquid fiat expensae, restituam. 20 Id autem sic rescriptum fidum per nuntium ad ipsum Bassum remittendum erit. Res tua agitur, honorande compater; eam et fratri tuo commendes rogo; sic autem occule atque caute agendum erit, ut in vulpem vulpes utenda sit.

Ut etiam longiore tecum oratione sim, ad rem litterariam 25 tua mihi opus est diligentia. Cupio habere Donatum in Terentii conoedias, quem Mediolani esse fama est. Thomas igitur bononiensis vel Candidus noster auxilio erit. Quod si non integer haberri potest, at saltem pars quaedam comparanda erit. Viro insigni domino Iohanni Marco me totum trade, cuius virtuti et amplitudini sum diutius ante dicatus. Vale vir amplissime et compater honorande. Salvus sit et Bechetus meus. 30

Ferrariae VIII februarii 1445.

### 792.

(Canon. misc. 169 f. 76v).

Serenissime rex.

Supervacuum non aliter videtur esse regi munificentissimo fidelem commendare servitorem, quam optare ut sol ilucescat;

---

792, 3 elucescat corr. in ilucescat cod.

ut tamen patris officium faciam, filium Hieronymum tuae maiestati commendo. Suae necessitati succurrere opus est, non mea quidem ope quae parva est, sed liberalitate regia. Nam cum filius spem regiae maiestatis secutus parentes patriamque reliquerit, peto et supplex oro ut filio saltem salarium tribuatur, quo suis satisfaciat necessitatibus dum regiae servit maiestati. Id non solum filio commodum erit, sed etiam maiestati regiae gloriosum, cum me divulgante praedicabitur Italos tuae maiestati gratos et per filii testimonium et exemplum regaliter commendatos esse.

Ferrariae VII aprilis 1445.

15

Regiae maiestatis servitor  
Guarinus Veronensis  
Serenissimo regi Aragonum domino meo  
singulari.

### 793.

(Vatic. 3372 f. 1 di mano del Panormita; pubblicata in parte da me *Guarino e gli archetipi di Celso e Plauto* 58 e *Storia e critica di testi latini* 346).

Eruditissimo et ingenii florentis vati d. Antonio Panhormitae amico intimo Guarinus Veronensis sal. pl. d.

Vix explicare calamo possem quam laetus extiterit Augustini viri sane primarii reditus, cum aliis de causis tum quia salutis tuae ac fortunae optatum attulerit nuntium, cui pro mutuo amore nostro faveo et ~~rum~~ in modum gratulor. Felix etiam de rege optimo cunctis afferat augurium, accepto vel de ipso testimonio, quod mortalium laudes et diversae rerum disciplinae sub acutissimo virtutum aestimatore florere et sua consequi praemia sperent. 10 Et vere quaquaversum ac celebrante fama tanta ingenii subtilitas, tam admiranda animi magnitudo, tam immensa virtutum multitudine per hominum aures et ora volitat, ut inauditus hac aetate homo seu divina quaedam «. e caelo progenies demissa » credatur <sup>Verg. Ecl. IV</sup> 7.

---

13 1449 cod. Nei codici le cifre 5 e 9 si scambiano facilmente.

793, 10 et nequaquaversum cod.

ametur veneretur et ipse sit qui hac tempestate camenas respi-  
ciat, in quibus unica rerum praeclarissime gestarum tutela con- 15  
servatio et incrementa permanent.

Accedit quod, ut tua pro amicitiae nostrae iure communia  
esse declares, Plautum eidem ad me deferendum dederis, in quo  
autem perlegendo sic nostram recreo et instauro memoriam, ut  
non sine te ipsius poetae lectio suscipi possit. Ut etiam caetera 20  
inter nos participantur, tuum erit; si quid habes ex hisce studiis  
aut novum aut eximium natum vel resurgens, quod ad tuas per-  
venerit manus, me quoque voces in partem, vel prisco te invi-  
tante proverbio τὰ τῶν φίλων κοινά; musae nanque ut scis hospi-  
tales sunt et munificae. Vale et ut soles me ama. 25

Ex Ferraria nonis maiis <1445>.

### 794.

(Magliabech. Conv. soppr. I IX 10 f. 239v ).

Porcelius vates Guarrino vatum et oratorum parenti s. d.

Hunc Guarine meum, titulo sine, sume libellum,  
Cuius erit nomen quale, poeta, dabis.  
Hic cecini egregias laudes vatunque ducumque  
Cumque iocis cecini spicula certa dei.  
Ludo iocorque sacras inter, mea numina, musas 5  
Et stricto interdum spiritus ense furit.  
Iudice te properent et te censure legantur,  
Tartarei aut flamas ad Flegetontis eant.  
Dii faciant sint digna tuis mea plectra lyrique  
Laundibus, et divo principe digna meo.  
Emeritas olim laudes moresque severos 10  
Cantabo et generis inclita gesta sui.  
Sentiat ille sacri quid possint arma poete  
Marchio, seu vicii seu mage laudis erunt.

15 utrica cod.

794, 4 dei. Cupido | 10 principe, Leonello d'Este | 16 extensis cod.

15 Mordebit musas divino carmine nemo,  
     In quibus Estensis gloria lauta dei est.  
     Si quisquam egregios audet mordere libellos,  
         Deprecor aut taceat aut meliora canat;  
     Sentiat aut claris quantum experiamur in armis,  
 20     Proposito si sit durior ille suo.  
     Iamque vale, o rerum censor Guarrine mearum,  
         Et vatum doctor et pater Aonidum.

<1445 c.>

### 794 A.

(Bergam. A II-32 f. 87).

Guarinus sal. pl. d. magno viro P<etro> Nuxeto.

Cum ingentia de nobis merita tua, vir amplissime, ante oculos pono, gratulerne an doleam magis dubito. Nam cum tanta in nos beneficia nullis tua pro dignitate prosequar praemiis, ingratia  
 5 hominis argumentum est, et eo amplius quod in referenda gratia agros imitari iubemur, « qui multo plus reddunt quam acceperint ». Subinde cum egregiam animi tui magnitudinem <animadverto> et in conferendis benefici<i>s alacritatem, scio, tu non tam aliena benefactorum praemia quam beneficam voluntatem  
 10 tuam perpendis et animo vertis; plusque valet apud te « mens sibi conscientia recti », quam redditis fructus et opus. Quam quidem ad generosam institutionem tuam te invitat T. Flavii imperatoris romani consuetudo, qui pro innata magnitudine tristari solebat quotiens referentes sibi gratiam ullos aspiceret, cum accipientes suaे benignitatis campum et misericordiam appellaret.  
 15 Accedit dei nostri immortalis imitatio, cui non tam hecatombae et victimarum holocaustorum magnitudo, quam devoti ac supplicis thuris granula placere creduntur. Quae cum ita sint non verebor hunc tenuem libellum gratae magis mentis quam fortunae locu-  
 20 pletis indicium tibi offerre, recordationis « monumentum et pignus

---

794 A, 10 propendis cod. | 12 T. flanni cod. | 18 sunt cod.

Verg. Aen. VIII  
364-5.

amoris ». In quo quidem hilari fronte suscipiendo tacite tecum dices: « aude hospes contemnere opes et te quoque dignum finge deo rebusque veni non asper egenis ». Utque beneficium beneficio accumules, pro innata tibi liberalitate exaudies virum amicissimum d. Ant<oniu>n Mariam pro d. mar<chione> oratorem 25 ut datum impetraret, opera tua utens, officium.

Vale et nos ut facis ama <1445 c.>.

### 795.

(Marc. it. X 349, autogr. di A. Zeno, dal cod. Sambonifacio; cfr. A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 80).

Guarinus Veronensis comiti magnifico Ludovico comiti S. Bonifacii sal. pl. d.

Ecce effectum epithalamium, tota quod mente petisti. « Accompania con questa lettera l'epitalamio di Girolamo suo figliuolo ». 5

< Ferrara 27 gennaio 1446 ».

### 795 A.

(Bergam. A II 32 f. 98).

Guarinus Veronensis comiti magnifico et ductori fortissimo d. Federico sal. pl. d.

Cum nonnulla nostris a maioribus inventa seu divinitus monstrata mecum verso ac mente revollo, praeclarum sane et omni commemoratione celebrandum inventum illud admiror, litterarum 5 videlicet instrumentum et commodam adeo supellectilem: cuius cum infinitus ad omnes vitae partes sit usus et omnium bonarum artium et liberalium disciplinarum thesaurus, tum vero eam se-

---

21 tacite] tantae cod. | 25-26 Mariam pro te man oratorem ut datum impetratum opera tua uteris officium cod. (lezione scorrettissima).

cum affert gratiam peculiaremque commoditatem, ut absentes fa-  
 10 ciat esse praesentes, longinquos propinquos et, quod dictu maius  
 est, mortuos loquentes. Unde Ciceronem, Livium, Virgilium, Pla-  
 tonem, Plutarchum, Homerum reliquosque scriptores magna ex  
 parte nobiscum sermocinantes videmur audire. Quid longius  
 15 exempla repeto? cum tuas nuper ad me tanta humanitate scrip-  
 tas lego litteras, tanta mihi per aures et ora suavitas insonat et  
 dulcedo, tam « inhaerent infixi pectore vultus verbaque », tam tua  
 4. <sup>Verg. Aen. IV</sup>  
 venerabilis offertur imago, ut tu tecum, ego tecum, ambo simul  
 esse videamur; ut ubi sum, ibi non sim, ubi non sum, ibi sit  
 animus meus. Ut autem mutua fiat haec voluptas et tam amoena  
 20 inter nos vicissitudo ac mea tuae magnitudini repraesentetur effi-  
 gies, haec ipsa vicaria mea impetrabit epistula, quae si tempe-  
 stiva, ut mandavi, venerit teque vacuum observaverit, eam tuae  
 magnificentiae non iniocundam fore vaticinor, tuo maxime ad  
 scribendum ductus invitatu, qui quod sponte mea facio, precibus  
 25 extorques. Quod mea scripta concupisci, facis amice, ut libenter  
 audias quem diligis; quod me pro bonitatis opinione diligis, si-  
 gnificas te in aliis amare quod ipse es: hoc nanque natura com-  
 paratum est, ut in alio quisque suum colat et amplectatur inge-  
 nium. Eadem in primis iussi ut breviloqua fiat nec nisi abs te  
 30 iussa loquatur, sic et abs te iussa taceat. Primum quidem ampli-  
 tudini tuae me commendet oretque ut Guarinum tuum fixum me-  
 morie teneas et post regni negotia de me cogites. Decet enim  
 principem crebram suorum sibique deditorum, licet absentium,  
 usurpare memoriam, ut documento sit praesentibus et his quibus  
 35 cum vivit recordationem eorum assiduam, si forsan abfuerint, re-  
 tenturum. Ipsa quoque tuae dignitati renuntiabit ut tuam crebro  
 benignitatem sapientiam integritatem cum familiaribus decantem  
 et ante omnia prudentissimi ducis excellentiam, fortissimi militis  
 strenuitatem, in consulendo perspicientiam, in exequendo diligen-  
 40 tiam, in confiendo perseverantiam, in dictis factisque moderatio-  
 nem. Quibus in rebus cum te maximi faciam, non te amare non te  
 colere non te praedicare non possum; utque perpetua invicem re-  
 cordatione vigeamus, tu me dilige, ego te observabo. Convenit nan-  
 que ut qui ab omnibus amari et cunctis carus esse debes, omnes

ames omnesque caros amplectaris et quem dominum metuant universi, eundem te patrem vereantur et diligent; quique terribilis hosti sis in armis, idem in toga fias amabilis. Eo pacto sicut Federici Guarinus, sic Guarini Federicus praedicabitur: dominus quidem tu, servitor autem ego; ita nomina nostra ad posteritatem usque perdurabunt tuoque in splendore mea illucescat obscuritas. Idem 50 luminum pater sol efficit, qui radiorum virtute e percusso saepius caeno flores et bene olentes herbas elicit. Sic Lucullo et Metello carum Archiam et intimum fuisse didicimus; sic Theophanem Pompeio, sic Ennium Fulvio atque Scipioni, sic Virgilium Octavianum, sic Ovidium et Flaccum Maecenati, sic alios aliis. Nec 55 vero me illis aequalem esse praesumpserim, inter quos sum velut « anser inter holores » et inter philomenas cicada; sed tuum in musas amorem extollo pariter et admiror nec doctrinam meam, quae nulla est, sed iudicium tuum aperio. Nec ideo me magnis et illustribus viris, sed te illorum amatoribus priscis comparo. Perge vero et non modo me sed etiam peritos complectere et honora; sic enim ad studia calcar et praesentibus incuties et ceteros ad imitandum tuo animabis exemplo, « honos nanque alit artes », et, quod contemnendum non est, in eorum vita vives. Ne autem breviloquentiae terminos, quae cum principibus tenenda 65 est, transgrediar, plura non dicam. Vale generose princeps.

Cic. *Tusc.* I 4.

<Ferrara 1444?>

### 795 B.

(Bergam. A II 32 f. 97).

<Guarinus Veronensis comiti Urbini magnifico d. Federico sal. pl. d.>.

Magnifice ac potens domine.

Cum expectarem nuper ad me venturum amicum intimum Tobiam conterraneum meum et magna cum laetitia festum homi- 5

---

795 B, 1 Guarini Veronensis ad Federicum Urbini comitem epistola commendaticia pro Tobia Burgo Veronensi captivo cod.

nis praestolarer adventum, sinister de illo nuntius praeter spem  
 et aures et animum percussit, eum scilicet captivum advectum  
 esse Augubium. Sic fortuna praeter opinionem consilia nostra et  
 res humanas versat. Res una moerores meos et afflictiones animi  
 10 consolatur, quod in tuam potestatem, idest ad clementem victo-  
 rem redactum esse audio, quem novi facilitate ac mansuetudine  
 non minus quam statu et dominationis celsitudine principem. Nec  
 dubito fortuna ita volente institutum esse ut Tobias meus tuae  
 fieret benignitatis exemplum et testimonium, quo buccinante  
 15 tuam per aures hominum famam volitare sentias. Meum autem  
 dixi, cum sit et patria et affinitate et contubernio et litterarum  
 studio mihi coniunctissimus, ita ut nemo magis. Tune qui doctrina  
 et bonis splendes artibus patieris hominem eruditum, immo vero  
 musas ipsas apud te esse captivas? cum romani principes, quo-  
 20 rum benefacta tibi sunt imitanda, innumerabiles libertate donarint  
 non alia ob merita nisi quia litteris instructos fuisse cognoverant.  
 Velim; magnifice domine, hominem istum « intus et in cute »  
 cognoscas, ut cognitum ames, amato fruaris. Vir est moribus in-  
 tegris, ingenio quam suavi, eruditione singulari spectatus inpri-  
 25 mis. Eius scripta cum videris vel metro vel oratione soluta, si-  
 cuti paucos illi eis in rebus comparaveris, ita nullum anteposueris.  
 Quibus auditis pati non poteris, si benignissimam naturam tuam  
 probe novi, ut virum talem, seu potius musas ipsas, in vinculis  
 habeas; quae ubi libertati per te restitutae fuerint, cerues ut  
 30 tuum sublime ferant ad sidera nomen. Antiochus cum Scipionis  
 filium in castris captivum audisset mox patri remittendum cura-  
 vit: homo fere barbarus ingenuum adulescentem apud se servire  
 noluit. Federicus princeps humanitate et litterarum studiis cele-  
 berrimus musas italas liberas non emittet? Sylla crudelis impe-  
 35 rator poetam hispanum crasso ingenio quia de se laudes ediderat  
 magnifice donatum emisit: Tobiam eruditissimum optimumque,  
 qui te immortalitate donare potest, captivum tenebis? potissimum  
 cum tuae liberalitati decus et laudem afferre valeat. Praedicabitur  
 quideam tua fortiter parta victoria: sed quia commilitonum ope-  
 40 quaesita dicetur, laus tua tota non erit, cum sit ipsis quoque au-  
 xiliariis communicanda. At vero e carcere virum eduxisse prae-

Val. Max. II 11.

2.

Cic. ad Att. 25.

stantem, carum omnibus, tua propria laus et clementiae tuae sine socio et adiutore commendatio futura est. Quamplurimis viris illustribus gratiam et beneficium conferes, uxori miseranda, matri aetate confectae, filiolis patre orbatis et Guarino tuo singulare 45 nunquamque delebile, qui iussus quondam a te onnia vel magna de tua benignitate sperare ecce supplex dexteram tuam implorans et genua complectens beneficium petiturus et promissa poscens advenio. Tolerabis Guarinum, tuum inquam Guarinum, inexandum abs te redire? Non reddo causas multas cum apud 50 dominum liberalem atque clementem plus virtus propria et innata benignitas quam preces valere debeant et, ut Titus Vespasiani filius, quem hoc in negotio imitari non gravaberis, dictabat: « non oportere quenquam a sermone principis tristem discedere ».

Suet. *Tit.* 8.

Vale, magnanime domine, et vel meum mihi redde Tobiam 55 aut me sibi coniunge captivum.

<<Ferrara 1445-46?>>.

## 796.

(Lollin. 16 p. 145; Magliabech. VIII 8. 7 f. 94v; Harleian 2586 che non ho veduto).

Guarini Veronensis de historiae conscribendae forma.

<*Guarinus Veronensis Tobiae amico carissimo sal. pl. d.*>.

Cum permulta sint, Tobia carissime, quibus huic condendum est aetati, vel una res tantis ex malis offertur, qua hisce gratulemur annis, quibus sepultam quidem dudum antea, nunc 5 vero resurgentem rem militarem vidisse contigit et reiectis iam pridem alienigenis Italia satis superque suo marte valet. Et, modo ne morbo laboraret intestino ferrumque exerceretur in hostes, tanto gloriari licebat ornamento ac felicia vocare tempora, quibus tanquam e Thebanis sulcis ductores inclyti, praefecti strenui, 10 imperatores instructissimi quaquaversum pullulavere. Eos quom

Ovid. *Met.* III  
102 ss.

46 et nunquamque *cod.* | 48 periturus *cod.* | 51 dementem *cod.*

796, 1 *vel* praeceptis *codd.* | 11 *vel* cum *codd.* (e così spesso).

tantopere laudi honori et nominis immortalitati servire cernam,  
 ut labores incommoda sudores pericula vulnera mortes pro illis  
 comparandis parvi ducere soleant, non mirari profecto non pos-  
 15 sum et vehementer incusare quod incautos minusque providos  
 sua illos fallat opinio et spes expectatioque frustretur. Nam splen-  
 dor iste recens negotiorumque bellicorum longe lateque dissemi-  
 nata praedicatio quantillum per tempus duratura mox evanescet,  
 ubi linguae refugescent aut consciii praesentes et quasi testes a  
 20 vita discesserint.

Huic tantae laborum iacturae et obscurae nominis oblivioni  
 res una futura est remedio, modo ne homines tenacitas et im-  
 provida mens occupet, si scriptores eius generis parentur, qui  
 negocia litterarum monumentis mandent et scriptis illustrent suis,  
 25 ne cum hominibus pariter et hominum memoria deleatur. Eam  
 ad rem hac praecipue tempestate idonea praestatur occasio, qua  
 tantus disertorum hominum numerus, tanta facundiae studia tam-  
 que florens humanitatis elegantia demum ad nostrates longo tot  
 saeculorum postliminio revocata diffunditur. Quis enim eam lit-  
 30 terarum vim simul et vitam esse non intelligat? per quas fideles  
 ac perpetuas gestorum custodes senescentia iuvenescunt et mo-  
 rientia reviviscunt et ut auctor tibi non ignotus quodam in loco  
 cecinit: « Quae urbes populosque superbos et gentes mediis ex  
 morsibus eripiunt mortis: sic dignos laude viros aevo donarunt  
 35 perpetuo ». Id Alexandrum illum magnum et Iulum Caesarem  
 aliosque viros clarissimos non latuit, qui poetis scriptoribusque  
 ceteris eorum res domi forisque factas dicari curaverunt, ut ipsi  
 cum omni posteritate suis operibus adaequari possent. Quod Ale-  
 xander ipse sensisse prohibetur; nam quom in Asiam traieciisset  
 40 « ad Achillis sepulcrum assistens: o fortunate, inquit, adulescens,  
 qui tuae virtutis paeconem Homerum inveneras ». Et vere; nam  
 nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus qui corpus eius contexerat,  
 nomen etiam obruisset.

Horum aemulum ac imitatem principem magnanimum Si-  
 45 gismundum Malatestam et militem fortissimum et ductorem sa-  
 pientissimum collaudari magnopere fas fuerit, qui cum per patrum

Cic. P. Att. 24.

30 *an* naturam? | 35 Sono versi di Guarino, 154 I 16 - 20 | 37 *di-*  
*cari*: lezione guasta? | 42 Ilias] illi ars *codd.*

suorum vestigia via virtutis ad gloriam capessendam enitatur, doctos atque eruditos homines colit foveat et grandioribus praemiis allicit, quorum ope opera et opere ea sibi conservetur nominis immortalitas, quam per egregia belli facinora adeptus est et in 50 dies vendicare laborat. E quorum numero quom te quoque, eruditissime Tobia, delegerit suisque familiaribus atque domesticis non mediocri cum laude annumeraverit, tuum erit pro tuae mentis gratitudine factorum suorum ornamento famaeque disseminandae adesse et quicquid ingenio studio et bonis artibus vales in istum 55 ipsum principem celebrandum extollendumque conferre; cui quidem muneri si quid adiumenti pro mea virili tibi tribuere possim, libens tentaverim suaserimque, ut aliquod historiolae seu annalium corpus ordiaris. Tentanda via est « qua te quoque possis tollere humo victorque virum volitare per ora ». An ignoras res 60 gestas laudari non posse quin et earum scriptor suam in primis laudem etiam reportet? Per hoc igitur ludorum tempus dum civitas lasciviis et saltibus personata sudat, paululum nactus otii quaedam ad eam rem contexendam tibi praecepta collegi, quae quom tibi subsidio fore sperem in quoddam commentarioli corporu- 65 sculum ante oculos redigere constitui.

Ceterum quoniam historiae annaliumque orta mentio est, non erit absurdum utriusque vim aperire, « ut intelligatur quid sit id de quo disputetur ». Historia, ut plerisque placet auctoribus, earum rerum et temporum descriptio est, quae nostra vidit aut 70 videre potuit aetas; quod et vocabulum eiusque derivatio monstrat, siquidem *ἰστορεῖν* « videre » Graeci dicunt et *ἰστορίαν* « spectaculum ». Annales autem eorum annorum expositio qui a nostra remoti sunt aetate; licet alii aliter et sentiant et proferant et usus haec ipsa confundat. 75

Principio conduceat operi ut committendarum memoriae rerum summam quandam confusamque veluti massam conficias, prout extemporaria excogitatio indigesta suppeditaverit et inelaborata conceperit: quod *ἀποστεδίασμα* recte dici potest. Totum quodammodo indistinctis adhuc commixtisque partibus in pectore prius, 80 deinde in tabulis reconditum maneat; qui nos statuariis est, qui

---

58 vel historiae codd. | 59 vel quo codd. | 78 vel cogitatio codd. |  
79 vel tot codd. | quoddam codd. | 81 vel reconditis codd.

equum ante vel taurum dolare solent, quam aut caput aut humeros crurave designent: « Ut quaedam sic non manifesta videri Forma potest hominis, sed uti de marmore copta Non exacta satis rudibusque simillima signis », quemadmodum ingeniosus poeta depinxit. Magnum siquidem levamen ingenii comparatur, posito ante oculos acervo, dehinc pro locis temporibusque, prout usus tulit, sibi quasi e cella penaria res ipsas depromere, depromptas distribuere, distributas ornare.

Tum negotiorum argumento primum quidem tecum, dein in commentariolum confecto facilius animo advertes quae in eo genere sint evitanda, quae sequenda. Nonnulli habita gestorum incuria, quae prima fuerant, principum ducunque laudes ingressi maximum immorantes tempus terunt, ubi sic suos extollunt in astra, ut factionem alteram ad manes videantur abstrudere; ut ille qui regem suum Achilli, adversarium vero Thersitae comparavit: quanto praestabat Hectorem ab Achille, quam Thersites dixisse superatum! Qua in re videntur ignorare minimam in historia conscribenda partem in personarum collaudatione considerare.

Id quom importunum sit, tum vero turpe et absurdum est, si falsa commendent, in historia praesertim, quae nuntia veritatis est. Sit illud in animo in ore in re scriptori fixum, « primam historiae legem esse ne quid falsi audeat dicere, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis », ut Cicero monuit. Ubi scriptor animadvertat oportet plurimum ab historia differre poetam. Haec enim vel intempestive laudare et plusquam verisimilia licenter *<proferre>* profitetur et alatos equos effingere et in deos mortales vertere nil veretur: « pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas ». Nec in tanta licentia ullus vel invidiae vel odii vel mendacii timor incuinbit, etiamsi in laudem dictum sit: « Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina nec teneras cursu laesisset aristas ». At historia veluti matrona pudica nil quod arguas quod improbes quod mendax obicias proferre audet; in se omnium oculos linguasque connectas putat, ut sicut oraculum testisque religiosus in medium

Ovid. Met. I  
403-6.

*de or. II 62.*

Horat. A. P. 9.

Verg. Aen. VII  
803.

90 *vel* deinde *codd.* | 96 *vel* comparavit *codd.* | 97 Thersitem *codd.*  
102 *vel* commendet *codd.* | 112 *vel* dicendum *codd.*

A. P. 265.

ab iis produci valeat, quibus ea legenda porrigatur, dicitque se-  
 cum Horatianum illud : « scribamne licenter an omnes Visuros  
 peccata putem mea ? » Primus nanque historiae finis et unica est  
 intentio utilitas, scilicet quae ex ipsius veritatis professione col- 120  
 ligitur, unde animus ex praeteritorum notitia scientior fiat ad  
 agendum et ad virtutem gloriamque imitatione consequendam in-  
 flammatiōr aliaque huiuscemodi ; nisi si qua praeter sribentis  
 institutum lectori contingat et comitetur oblectatio : sicuti robu-  
 stissimo saepius athletae inter certandum in vultu color oriri solet 125  
 ad gratiam. Nec vero prohibitum esse crediderim laudes ab hi-  
 storiographo personis attribui, modo id mediocriter fiat et in tem-  
 pore, sicut et vituperationes interdum ; alioquin laudes laudato  
 quidem fortasse pergratae, auditori autem permolestae, immo ne  
 laudato quidem, si quid virilis inest ingenii : mavult enim testem 130  
 de se severum quam assentatorem dulcem audire.

Haud parum ad rem explicandam pertinebit si non dedi-  
 gneris quandoque a rerum bellicarum peritis struendae aciei for-  
 man ordinem magnitudinem, montes plana fluvios percunctari,  
 quis locandorum castrorum, quis insidiarum modus, quod pabu- 135  
 landi praesidium, quae fodiendi, quae obsidendi ratio, quae ma-  
 chinamentorum forma, ne si quando earum rerum mentio facienda  
 sit, rudis omnino imperitusque dicare. Quod si cernere dabitur,  
 certior planiorque sermo fieri poterit ; sicut enim Flaccus ait :  
 A. P. 180. « Certior aure arbiter est oculus ». 140

Verg. Aene. III  
435.

« Illud autem unum praeque omnibus unum » praeceperim,  
 ne sit mens ullis affectionibus vel capta vel inlecta, at adeo li-  
 bera ut nec res adversas enuntiare formides nec vera tacendo  
 spores nec adversariorum profligatione gaudio effundare. Quod si  
 fuga dicenda, si vulnus explicandum, si inertia proferenda aut 145  
 tale aliquid, audacior calamus eloquatur ; si fusus exercitus, si  
 caedes, si somnus, si capta castra, securus eat per singula stilus  
 nec utris magis faveat aut studeat usquam manifestus appareat.  
 Sit enim scriptor intrepidus incorruptus liber licentiosus verus,  
 non odio non amori non misericordiae quicquam tribuens, non 150  
 pudibundus, iudex aequus, cunctis benivolus, hospes in libris,  
 nullis adscriptus civitatibus, suis vivens legibus. Hoc unum a-

---

118 rel dicamine codd. | 123 rel scriptoris codd. | 142 intellecta codd.

species, ut veritatis legatum et ad viventes transmittas et ad posteros; nam si quid temere aut infeliciter gestum commemorandum fuerit, prudens lector nihil scriptori succensendum iudicabit, modo id caveas, ne de hoste loquens obloquare; pluris autem veritatem quam inimicitiam fecisse te ostendes.

Haec quidem ante in universo praemeditanda scriptori precepta. Sic autem rem « deduces in actum »: prohemis utere, duabus potissimum utilitatibus adiectis, attentione videlicet ac docilitate, quibus magna necessariaque proponas utilitate coniuncta et iis, qui lecturi auditurive sint, attinentia. Benivolentiam non magni facies cum te quasi dicendis externum atque hospitem magis habeant velim, quin et hostem, cum res ipsa postulaverit. Longum autem ac breve pro rei propositae *<pro>*portione, ab ipsa fere materia et propria causa semotum, fieri prohemium licet. ut Salustiana videmus.

Subinde cum narrandum erit, in ipso tractandarum rerum, praesertim bellicarum, primordio vehementer auditori probatum iri dixerim, si negotiorum causas et discordiarum originem aperueris, quae diversae obvenire consuevere: interdum ambitio, nonnunquam avaritia, plerunque perfidia, alias timor, aliquando invidia ceteraque generis eiusdem; quod apud poetas etiam historiographosque celebres invenire potes; hinc illud: « Musa mihi causas memora » et « Fert animus causas tantarum expromere rerum ». « Etiam in rebus magnis memoriaque dignis, ut ait Tullius, consilia primum, deinde acta, post eventus expectantur ». « Consilium quidem intelligitur aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio »; uti cum suadet Hannibal Antiocho in Italia milites esse conducendos ut Romanos expugnet, dicat *<quo>*que Italiam Italiae arnis esse vincendam; ubi scriptor ipse significare debet quid probet improbetve, ut, si exponendum sit fortiter in hostem arma suscepisse Romanos, addat: « idque recte sane. nam viris fortibus pro tuenda libertate mori satius est quam barbarorum servos aetatem agere ». In rebus actis non satis est quid actum sit declarari, sed etiam quo modo. Verbi causa, exponendum est scriptori imperatorem arce potitum esse: nudum quidem id et insipidum; idcirco subdit: « cinxit enim obsidione

Horat. A.P. 129.

Verg. Aen. 19.

Lucan. 1 67.

de or. II 63.

Cic. de iur. 1  
36.

Liv. XXXIV 60.

184 nam] cum *codd.*

oppidum, castella complura circumaedificavit, quo spem omnem  
subsidiī obsessis adimeret, cuniculis factis suspensos reddidit 190  
arcis muros, ut iniesto igni et incensa materia ruerent; quod  
timentes oppidani imperatori nostro se dediderunt ». Quom de  
eventu dicatur, causae explicitur omnes vel casus vel sapientiae  
vel temeritatis; ut cum exponendum sit longa obsidione arcem  
in hostis potestatem venisse, id quoque explicetur evenisse, ut 195  
sine pluviis siccum fere totum hibernum tempus effluxerit, quo  
diutius obsidentes in obsessos perdurarent: « interim imperator un-  
dique frumenta conquirens nulla ingruente inopia obsidionem pro-  
ducere securius evaluit; obsessi vero quom initio aequis disce-  
dere conditionibus possent, eo per hostis contemptum et inanem 200  
spem et vanam expectationem perducti sunt, ut vita donati iner-  
mes abire contenti fuerint ».

Hominum quoque ipsorum non solum res gestae, sed etiam  
qui fama ac nomine excellant de cuiusque vita atque natura di-  
cendum, ut: « Comium et reliquos fere commilitones omnis vo- 205  
luptatis expertes, armis quidem egregie ornatos, sagulo vero hir-  
to vestitos, vigiliae famis laboris supra omnem gregarium mili-  
tem patientissimos; cum reliqui sopiti stertant, imperator Comius  
excubias circumire » aliaque huiusmodi. Montes flumina silvae  
valles exponendae, non quidem ad satietatem atque fastidium, 210  
sed quantum rei gestae usus postulat; locorum enim descriptio  
magna lectorem oblectatione afficit, quasi et praesens rem geri  
cernat. Inter pugnandum manusque conserendas non unam tantum  
partem spectet nec in una solum immoretur, at modo illam modo  
hanc percurrat ut in utraque versari videatur; ducum operam 215  
studium strenuitatem adhortantium, submittentium fassis integros,  
*< fugientes >* revocantium, moras castigantium ante oculos con-  
stituat; cum his fugiat, cum illis insectetur et instar trutinae  
vicissim sese gerat instabilis.

Dictio sit crebris per approbatos *< scriptores >* lectionibus 220  
inculta, aperta, virilis, quae rem insigniter effingat et exprimat  
verbis non forensibus non operariis non occultis non inusitatibus  
sed apertis dignis gravibus, ut cum omnes intelligent, tum periti

---

192 cum *vel* quum *codd.* | 204 *vel* excellunt *codd.* | *vel* ac *codd.* |  
221 *civilis codd.* | *vel* ut *codd.*

laudent et admirentur ; gravia sensa cerebraeque sententiae ; stilus  
 225 historico, non tragicò non causis fori conveniens. Et quoniam accidere plerunque solet ut ineredibilia quaedam supraque morem et supra naturam memoranda sint, ut ea probabilia fiant res haec remedio erit. Praeoccurredum est enim contrariae dubitantium menti, ut ipse quoque quomodo aut qua ratione factum sit mirari  
 230 videare, vix auditori aut lectori credibile. sed verum et maius ac maius proinde habendum ; quae figura graece siquidem περιηγήσ, latine vero praeoccupatio recte appellabitur. Cuius rei hoc sit exemplum : « Nostrae legionis incursu vehemens est hostibus terror injectus et primo tubarum clangore terga omnes fugae ver-  
 235 tere, nemo nostrorum sufferre impetum, equi se in fluvium praecipites dare. Quis non obstupescat ? quis, nisi qui videre, credat ? res sane divinitus potiusquam humanitus facta ».

« Haec sunt quae nostra liceat te voce moneri ». Ea si tibi accepta esse dixeris, non mediocrem industriae meae tribui mer-  
 240 ecadem intelligam ; sin frustra sumpta fuerit opera, nihilominus gratus mihi labor extiterit, qui quantum reliqui in larvis iudicis et cupiditatibus hoc tempore consumpserint, tantum per meliorem otii partem ad recreandum animum distribuero.

<Ferrara carnevale del 1446>.

## 797.

(Parig. lat. 5834 f. 129v).

Guarinus Veronensis cl. equiti d. Centio sal. pl. d.

Anno superiori rediens e Neapoli Hieronymus filius suavissimus quoddam attulit a te manuscolum, hui ! quid dixi munusculum ? munus ingens et praeclarum debui dicere. Nam quid in  
 5 eo non eximum non gratum non acceptum non praecepua laude refertum habetur sive afferentis, sive mittentis personam, sive

---

231 *vel om. siquidem coll.* | 243 La sostanza di questa lettera deriva dal *De historia conseribenda* di Luciano e particolarmente dai §§ 7-10, 14, 37, 41, 43, 44, 48, 53.

codicem ipsum ante oculos propono? Cum enim alioquin Hieronymi desideratus et amabilis futurus esset adventus ab longinquis oris et ignotis hominibus remeantis, in quo deliciae meae repnuntur et perinde ac in amoenissimo diversorio fatigatus acquiesco, longe <maiore cum laetitia accipiendus erat quod> tali praeditus dono ad penates patrios revehernetur, qualis ab Hesperidum hortis aurea secum mala referens in Amphitryonis amplexus reveniens exceptus perhibetur Hercules. Quid muneric autorem dicam? «cui non dictus» est Centius? cui non praedictus? cui tua ignota liberalitas moderatio gravitas prudentia? omnibus spectata fides, magnarum rerum exercitatio seu in belli sen in togae negotiis. Eorum testimonium et documentum affert amplissimorum in te virorum, principum, regum caritas, intima benivolentia creditaque consilia. Quibus ex rebus cum maius muneri pretium et amplior accedat honos, magis atque magis laeter oportet. Id olim obvenisse Metello traditur, qui cum a tribuno militum ob rem bene gestam armillis donaretur, dono ipsi tristis renuntiavit; malle enim minusculum ab imperatore praemium adipisci dixit, a quo et fama perennis, decus eximum splendorque singularis accederet. Non dicam Nicolai Picenini ductoris inclyti praecipuam in te caritatem, quem si priscis nasci saeculis contigisset, talibus bellandi artibus praeditus in Marios Metellos Sertorios enumeratus esset.

Additur ad muneric gratiam et pretii cumulum facies ipsa litterarum vetusta quidem ac omni ex parte integra, blaesa nusquam lingua, suavis adeo ut vel fessos et obtusos ad legendum alliciat. Admixta est vel ipso aspectu veneratio et dignitas, sicuti mortales quosdam cernimus in quibus tantum continentiae ac sobrietatis norma ex initio yaluit, ut in longaevo corpore membra valida, recta cervix, sicens nasus, purus oculus, manus firmae, pes stabilis pristini roboris vestigia preeferant. Alia quoque contemplanti laus offertur, qua non parva caritas crescit pietasque succenditur, sermo scilicet graecus et nostrae dictionis origo. Non ignoras pro tua bonarum artium cognitione et familiaritate nostras e gracco fonte litteras effluxisse, ad quas consequendas

---

797, 24 munusculum *cod.* | 32 et] vel *cod.* | 38 parum? | 39 succedit *cod.*

cum studiosos invitaret Horatius, inquit: « vos exemplaria graeca nocturna versate manu versate diurna ». Huius igitur codicis imaginem tanquam litterarum nostrarum parentem saluto contem-  
plor et mille per amplexus et oscula benedico et laudo, quia secreto*r*iori quodam modo et quasi remotis arbitris, graeca interpre lingua cum deo loqui liceat.

A. P. 268.

Quod autem ad summam doni tui laudem admirationem gloriamque pertinet, inter legendum sancta quaedam occurrit memoria eius, qui primus apud patres nostros genus ipsum cantionis et tam insigne canticum invenerit et deo vero cantaverit, idest psalmum excogitaverit et canendi tam praesentibus quam posteris auctor et monstrator extiterit. Cuius rei magistrum Moisen fuisse sacrae testantur litterac. Nam, ut beatus Augustinus affirmat,  
percussa decem plagis Aegypto et persecutore tribuum Israelis Pharaone demerso intra Rubri maris aquas, cum populus per insueta maris itinera ad deserta gratulabundus esset egressus, dux multitudinis Moises distinxit in utroque sexu classes; et institutos ordine choros, cum ipse simul ac soror praecinerent, cantare deo cantieam triumphale praedocuit, dicens: « cantemus Dominum, gloriose enim magnificatus est ». Subsecuti deinde complures tam viri quam feminae, huius placiti deo ministerii servatores, in quibus et propheta David, quia a pueritia, ut idem inquit Augustinus, in hoc munus a deo spiritualiter electus, et cantorum princeps et carminum thesaurus esse promeruit. Haec, cum abs te missum librum legere contigit, summa cum pietate mentem subeunt. Tum psalmorum virtus occurrit et utilitas ad humani generis et nominis christiani aedificationem et incrementum faciens sive conditionem sive sexum sive aetatem consideres.

E. cod. 15, 21.

« Habet in psalmis, Augustino dicente, infans quod lactet, puer quod laudet, adulescens quod corrigat vitam suam, iuvenis quod sequatur, senior quod praedicet, femina discit pudicitiam, pupilli inveniunt patrem, viduae iudicem, pauperes prospectorem, advenae custodem, audiunt reges iudicesque quid timeant, psalmus tristes consolatur, laetos temperat iratosque mitigat, pauperes recreat, divites ut se agnoscant admonet et ne superbiant increpat »; utque magnus ille Basilius de virtute psalmorum inquit:

Augustini Mil-  
telogium, Paris.  
1645, II 331.Op., Paris. 1618.  
I 126; II 11 Ap-  
pend.

48 summi cod. | 58 in] ut cod. | 59 preicerent cod.

« hi psalmorum cantus per harmoniam nobis excogitati sunt, ut cum aetatem pueri, morem iuniores per suavitatem canere videantur, re vera mentes instruant » ; « psalmus enim tranquilitas animorum, pacis praemiator, effusarum nimis cogitationum repressor, mentis iram mitigat, intemperantiam castigat, daemones fugat, angelorum opem invocat, deum conciliat, nocturni timoris arma, diurni laboris requies, infantibus tutamen, vegetis ornamentum, senioribus consolatio, aptissima mulieribus exornatio ». 85

His atque aliis accumulatum laudibus munus a te mibi redditum *< dum mecum >* ipse revollo quae tibi reddam praemia prorsus ignoro, quoniam omnia tuis inferiora meritis videntur. Ceterum cum ad dei immortalis exemplar animi magnitudinem perpendas in primis, qui offerentem magis quam oblata respicit, animum suscipe et ita suscipe, ut « et usu et possessione » me tuum agnoscas. Nunquam libellum ipsum perlego, quin in eo perlegendendo tota mente te ac praesenti recordatione complectar et « absentem absens audiam atque videam » ; sic meam cernendi tui cupiditatem sitimque consolor, donec dabitur aliquando « vi- 95 vas audire et reddere voces ». Interim tuum tibi commando Hieronymum, cui pro sua in te pietate non minus quam filio debes omnia, quae adulescentis laudi commodis et honori pertinere intelliges, sicut eo referente diu te fecisse cognovi. Vale.

Verg. Aen., IV  
§ VI 689.

Ex Ferraria kal. iunii 1446.

100

## 798.

(Casanat. D V 43 f. 39).

Guarinus cl. equiti Feltrino Boiardo sal. pl. d.

Serz a me litteras accipis, splendidissime, postquam tristem de Pyrrho nuntium accepi; nam etsi fama varie illius ad nos disseminaret obitum, fidem tamen adhibere non poteram: quae enim : horremur aut nolumus, difficile et sibi suadet animus. 5

---

78 excogitata cod. | 79 aetatem e morem sono accusativi di relazione.

798, 3 pirro cod. | 4 cosem - cod. | hahibere cod.

Nunc autem cum certior factus sim et indubitata mors allata est, doleo tam egregiae indolis adulescentem, qui praeclara omnia de se pollicebatur, acerbo nobis funere interceptum esse. Qua in re vel ea potissimum causa doleo quod tam graviter moleste-  
10 que moerore tuo sum affectus, quod te ut par erat consolari non possim, quia consolandus ipse sum. Tamen quae cogitanti occur-  
runt non praeteribo, licet ea ipsa pro tua sapientia et longioris  
aetatis usu melius intelligas, sed dolore domestico perturbatus  
inpraesentiarum forsan animadvertere nequeas.

15 Ante omnia ut adulescentis mortem doleas non sum qui reprehendam idque tuae humanitatis est, qui pro ingenii tui benignitate alienum etiam cum audires defunctum esse filium, non tristari non posses. Aeneas cum monstrante « pictura inani » cer-  
nit Hectorem morte affectum, lacrimas non tenet « largoque hu-  
20 mectat flumine vultum ». Ceterum postquam filium lacrimis et gemitu prosecutus es et patris et hominis officium absolveris, ut deinceps viri fortis munus perficias consul: primum quidem ne naturae nostrae conditionem ignorare videaris, quae omni aetati omnibus horis mortem insidiari iussit; deinde filios ea ratione  
25 hominibus a deo concessos esse memineris, ut cum velit repetat repetensque ad se advocet; denique qui casus nobis in horas in-  
cumbant, quot incommoda quot crudeles neces fortuna minetur:  
quae si filio advenissent, nulla consolatio mitigare dolorem posset,  
quin luctu lacrimisque contabesceres. Aspice quaquaversum bellum  
30 incendia minans, inopiam captivitatem orientiumque <in> dies malorum semina, quae qui liber evas<er>it <et> ex tanta calamitatum faece ac sentina ad caelos, sicut adulescens noster, evolaverit, felix et fortunatus potius quam lugendus iudicabitur.  
Cogita miserabilem generis humani legem et conditionem, quam  
35 sapiens poeta collegit: « optima quaeque dies miseris mortalibus  
aevi Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus Et labor et  
durae rapit inclemencia mortis ». Haec ipsa tot impendentia mala  
veluti tempestatem si quis effugiens portum intraverit, quis nisi  
vecors dolebit? Eius generis morte propinquos defunctos cum

Verg. Aen. 1  
461-63.

Verg. Geo. III  
66-68.

---

6 Hunc cod. | 8 pollicebat cod. | 18 pectora animo cod. | 19 lacri-  
mis cod. | 20 vultu cod. | 24 morte cod. | 26 ineubant cod. | 32 fere  
cod. | 37 impellantia cod. | 38 nisi nucondolebit cod. | 39 mortes cod.

Val. Max. V 10 gentiles aequo animo fortiterque tulerint, ut Xenophon et Ana- 40  
 ext. 2-3. xagoras qui filiorum obitus virili quodam et invicto tolerarunt  
 animo, quid faciet christianus homo, cum christianae vitae docto-  
 rem audiat « cupere sese dissolvi et esse cum Christo ? » Hunc  
 Paul. ad Phi- imitari libet et bene actum esse cum nostris dicere, quos ad se  
 lipp. I, 23 deus noster de saeculi miseriis evocavit. Tu quoque pro viri 45  
 Verg. Aen. I 93. fortis officio « geminas tendens ad sidera palmas » piam illam  
 lob 1, 21. effunde vocem : « Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino  
 placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum ».

Vale et Tadeam primariae feminae Viduciae tanquam matri  
 commenda, quam et consolatam libenter audiat. 50

<Rovigo ottobre 1446>.

## 799.

(Alberti a Sarthiano *Opera*; *epist. 115*).

<Albertus a Sarthiano Guarino Veronensi s. p. d.>.

Ut quod scio peroptas preceptor insignis... Ticinum nos te-  
 net nec inde divelli fas est, antequam Natalis Domini religiosa  
 solemnia celebrentur ; deinde ad vos quam celeri poterimus iti-  
 nere aut terra aut mari pergemus. Ita nos et summus antistes 5  
 vestro, ut arbitror, astu (te intueor et Leonellum) ante hoc se-  
 mestre fieri iussit et nuper designatus presul ferrariensis magno  
 hortatu litteraruni suarum ad diligentiam sancti predecessoris, quem  
 in Domino defunctum reor, adiciens, a nobis facile exoravit :  
 cuius ad me litteras et item ad eum nostras tanquam vades no- 10  
 stre ad vos profectionis et illustri marchioni et tibi legendas di-  
 ligentius mitto...

Ex Papia <17 novembre> 1446.

---

40 Xernephon *cod.* | 44 licet *cod.* | 47 effude *cod.* | 49 Tadeam] tandem *cod.* | Viduciae] andree *cod.*

## 799 A.

(Bergam. A II 32 f. 106).

Guar<inus> Ve<ronensis> sancto dei praeconi Alberto  
pl. in Christo sal.

Cum tuis humanissime scriptis responsurus accingerer et pro  
illarum gratulatione latiorem describere pararem epistulam, venit  
5 in mentem brevibus tecum agere, tum quia succinctus ad iter  
nuntius prius paene de reditu significat quam de adventu certio-  
rem fecerit, tum quia futurus tecum, ubi adveneris, mutus videor,  
si omnia in praesentiarum unis effudero litteris. Reliqua igitur  
aliud in tempus reserventur; id modo dixerim: ubi tuas pro te  
10 strictis sum ulnis amplexus et quasi suavissimum caput circumcli-  
gavi tuumque per eas legatas adventum disseminavi, mox per  
urbem sermo diffusus totam renidere fecit civitatem, quae in tui  
nominis recordatione sicut in amoenissimo diversorio. acquiescit.  
• Quid dicam de illustrissimo M<archione>, et principe vere chri-  
15 stiano? qui ubi te audivit, idest epistulam tuam, et illam perinde  
ac tui ipsius obsidem « stans pede in uno » perlegit conceptam-  
que animo laetitiam oculis fronte lingua manibus aperuit, quam  
subinde gratulatur et episcopo nostro designato! cuius litteras  
cernit diligentiae suum in populum testes et devotionis pristinae  
20 suscitatrices atque custodes. Videt iam nunc talem huic civitati  
praefectum pontificem, qui praeclaram de se opinionem famamque  
sancti hominis constantem et per aures et ora clarorum et opti-  
morum hominum volitantem in dies augeat et experientia, vitae  
integerrimae ac prudentiae singularis magistra, devotissimi populi  
25 voces illas de se excitaturus sit: « benedictus qui venit in no-  
mine Domini ». Cuius divino praepositi cum sociis et adiutori  
accesseris quid aliud sperare fas est, quam ut auritus atque de-  
votus populus ferrariensis caelestem vitam in terris agant? Veni  
igitur sanctae fidei pugil et resonantissime Iesu Christi praeaco;  
30 venies autem vocatus expetitus et ut cum Mantuano poeta di-

Hor. Sat. 14.  
19.

Marc. 11, 10.

*Ecl.* I 38-39.  
*Catull.* 35, 7.

cam: « Ipsae te, Tityre, pinus, ipsi te fontes, ipsa haec arbusta  
vocabant »; advola et « iter vora », sicut Princeps ipse optat.  
Vale et tuis me in orationibus commendatum deo et Virgini  
facito.

<Ferrara fine di novembre 1446>.

35

## 800.

(*Marc.* lat. XIII 71 p. 261; XIII 72 f. 97; *Bologn.* Univ. 1490 p. 252;  
*Vatic.* 5911 f. 114; pubblicata da me *Centotrenta lett. ined. di Fr. Barbaro* 123).

Franciscus Barbarus Guarino suo s. d.

Lectis litteris tuis, que non minus eleganter quam saviter  
scripte sunt, facile cognovi ita natura comparatum esse, ut que  
nobis cara sint, pulchra et iocunda esse videantur. Hinc recte a  
veteribus illis in Amoris templo Laudis et Gratiarum imagines 5  
posite sunt, ut omnes intelligerent apud illos laudem et gratiam  
minime defuturam, qui studiose diligerent ac singulari nos be-  
nivolentia prosequerentur. Sic enim extollis res nostras et am-  
plissimis verbis elevas in celum, que deo auctore bene ac fortiter  
a nobis gesta sunt, ut facile perspici possit studium et amorem 10  
tuum mihi non defuisse. Ego autem opto sive publice sive pri-  
vatim mihi sit agendum, ut talis sim sive tecum sive cum aliis  
agatur, ut sustinere possim iudicium tuum. Aristotelica illa que  
petis non habeo: quod valde mihi molestum est, qui morem gerere  
cupiebam et voluntati tue et studii Emanuelis nostri. Sed \*\*\*\*\*. 15  
quia \*\*\*\*\*. Vale.

Venetiis VIII kal. januarias 1446.

---

800, 13 Le parole *Aristotelica - habeo* si trovano solo nel *Vatic.*  
aggiunte da mano diversa; esse sono la traduzione del testo greco ori-  
ginario, che si può agevolmente ricostruire. | 14 quia *Vatic.*

## 801.

(Canon. misc. 169 f. 48<sup>v</sup>).

R.<sup>do</sup> in Christo patri domino d. Francisco <de Lignamine>  
ferrariensi episcopo Guarinus Veronensis sal.

Cum tuam observandissime pater in me ac meos benivolentiam animadverto saepiusque perpendo, quam re ipsa testaris et  
5 epistulis, graviter et iniquo patior animo, quoniam qua illam remuneratione pro dignitate prosequar non video. An vasis te preciosis et artificiose caelatis et reliquo eximiae supellectilis genere donavero? Minime sane, cum et ipse caream et tu pro tua modestia et liberalitate non aveas et ad erogandum quam ad capiendum sis alacrior. Eam ad rem seitum illud dicere par fuerit:  
« aurum et argentum non est mihi; quod habeo hoc tibi do ».  
Siquidem cum nostris de studiolis nonnullas carpere primitias detur, cui potius quam tuae dignitati eas offerre fas fuerit, « qui soles meas aliquid putare nugas », ut poeta conterraneus meus  
15 inquit, et scriptis qualiacunque sint meis pondus et pretium possis adiungere? Tanta enim in te viget auctoritas, quam ingenio concitasti, virtutibus auxisti, actione denique perpetua conservasti, ut non solum expectationi nostrae respondeas, sed etiam sapientia tua superes. Tua testis est vita quam adeo bene sapienter in-  
20 tegreque degisti, ut per omnes honorum gradus episcopatum potius mereri quam desiderare contentus extiteris. Munusculum vero nostrum eo paternitati tuae iocundius esse debet, quo vel gratae mentis p[ro]ae se fert indicium vel aptius tempori convenientiusque ad te defertur. Nam cum festus Olivarum dies instet, in quo ad-  
25 venienti Domino laetis pueri vocibus obviam prodierunt et iubilantes honorifice decantarunt: « benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis ». nos quoque beatissimo Alexandrinae civitatis archiepiscopo Cyrillo duce quasi palmas olivasque gestantes tuae paternitati obviam prodimus et e Ferraria tua, quae  
30 adventum tuum gratulabunda gestit, hunc ipsum veluti pacis ob-

*Act. apost. 3,6.*

*Catull. I. 3.*

---

801, 5 remuneracionem *cod.* | 9 aveas] abias meas *cod.* | 29 pro-damus *cod.*

sidem sermonem e graeca lingua tuo nomine latine conversum offerimus, in quo perlegendo maximas tuae p<aternitati> gratias habeo si uti meam devotionem et observantiam animadverteris, ita recentem in dies recordationem de me tuam benvolentiamquè servaveris. Rem vero ipsam adeo gratam et animo tuo acceptam 35 fore conicio, ut sententiarum gravitate, scripturarum intelligentia atque dulcedine non prius de manu depositurus videare, quam a vertice ad calcem usque perlegeris. Vale.

<Ferrara fine di marzo 1447>.

## 802.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 36<sup>v</sup>; Class. 121 f. 83).

Guarinus Veronensis R.<sup>mo</sup> episcopo Francisco Patavino sal.  
pl. d.

Episcopus Reginus et prudentia et doctrina, ut nosti, homo primarius tuam in filium Manuelem benvolentiam et liberales pro eo abs te scriptas litteras nuntiavit, quod tantum iudicatur 5 a me beneficium, ut nullum certe maius capere meus possit animus. Omitto quanta sit illa voluptas, sentire te liberis meis esse beneficium, quibus nihil homini iocundius acceptius appetibilius natura parens ingeneravit; quod ita esse testes optimi sunt ii quibus bonos et mansuetos habere filios contigit. Quanti illud est 10 quod tuum istud tam liberale factum documento est et erit in posterum Guarinum tibi esse carissimum et amari abs te plurimum, qui sis prudentia, morum suavitate, humanitate, eruditione praestantissimus quique in laude educatus in laude vivas. Pro quibus quidem meritis non modo viris mediocribus et amplissimis, 15 verum etiam summo pontifici carus et intimus factus es, quem alterum in terris mortales deum colunt.

Tuam autem in me benvolentiam proinde tantae mihi laudi duco et apud homines praedicationi, ut non parvum filiis meis

---

36 conicio] nuntio *cod.*

802, 9 hi *Class.* | 11 imposterum *Class.* | 19 apud *Ferr.* | filius meus *codd.*

29 legatum et hereditaria gloriae successio futura sit paterna haec  
 cum homine tam magno tam praestanti tam claro familiaritas.  
 Quotiens illud gloriari licebit eo sese parente creatos, quem viris  
 virtute dignitate fortuna praecellentibus idest tui similibus pla-  
 cuisse vel viderint vel acceperint; idque illis esse poterit vel  
 25 calcar ad virtutem vel ad imitandum esea vel ad commemoran-  
 dum decus et ornamentum. Quis enim dubitat patris nitorem po-  
 steris praelucere ad illustrandum vel accendere ad probitatis stu-  
 dia? unde vere generosos appellare et praedicare solemus.

Quas ob res cum laeter et glorie, non possum tamen non  
 30 aliqua ex parte tristari cum pro talibus ac tantis officiis nullas  
 tibi reddere posse me gratias intelligam; iubemur autem ab iis  
 quos vitae magistros colit antiquitas non modo pares acceptis re-  
 ferre, verum etiam maiores et ea in re « agros imitari fertiles  
 qui multo plus reddunt quam acceperunt ». Dicar ergo ingratus  
 35 et tuis in me minime respondens meritis? Una res, huic vitio  
 fiet tua ex benignitate remedio, si me pro tuis beneficiis in mer-  
 cedis locum accipere non dignetaberis, vel Dominum deum no-  
 strum imitans, cui supra omnes victimas et aurea sacrificia pre-  
 ces intestinas corque deditum placere fides sana tenet; vel si  
 40 aliud quoddam muneric genus non despicias, filium tibi trado, tuis  
 in manibus sinu ac fide colloco. Eum iam nunc tunni fove adiuva  
 orna et quem gignendi sors meum fecit, tuae magnificentiae iu-  
 dicio tuum facito.

Magna tibi laus est quod apud pontificem maximum non  
 45 mediocre nactus sis fastigium. Ceterum virtuti tuae fortuna comes  
 fuisse dicitur; cum autem spem tuam afflictis praestare, bene de  
 hominibus mereri et indigentibus beneficia conferre pergas, hic  
 est, mihi crede, virtutis ac fortunae tuae fructus amplissimus.  
 Titum Caesarem ea hora qua imperii dignitatem sibi collatam  
 50 accepit diis gratias proinde dixisse traditur, quod hominibus be-  
 nefacere iam liceret; non enim dixit quod thesauros adunare, vo-  
 luptates vendicare, patrimonium liceret augere; hoc siquidem  
 avarorum et libidinosorum consilium, illud autem patris patriae  
 munus. Proinde cum alii gemmas ostrum vasa pretiosa ostentarent et

---

22 creatum *codd.* | 28 gloriosos *Class.* | 31 his *Class.* | 38 area  
*Class.*, arca *Ferr.* | 44 apud *Ferr.* | 51 liceret augere *codd.* | 53 ac *Class.*

Suet. *Tit.* 1.

mancipiorum coronam, Titus innumerabiles commonstrans amicos 55  
 dicitare poterat: haec divitiae meae sunt, a quibus « humani ge-  
 neric deliciae » non solum a patre sed etiam ab universis morta-  
 libus cognomentum sibi inditum est. Huius vestigia subsequens,  
 Francisce vir amplissime, homines tibi meritis devincire perge,  
 ut facis, et datam tibi liberalitatis occasionem ad famam lau- 60  
 demique convertere, ut cum ceteri fortunae concessione locuple-  
 tes appellantur, tu benefactoris cognomentum assequare. Vale ac  
 filium Manuelem commendatum habe.

Ex Ferraria <1447>.

### 803.

(Ferrar. 155 NA 5 f. 45; Class. 121 f. 94<sup>v</sup>; cfr. Moreni *Bibliogr. della Toscana* 1805, II 470).

Beatissime pater.

Postquam allatus de tua creatione nuntius, idque nuper, uni-  
 versum terrarum orbem, laetitia et admiratione comite, pervaga-  
 tur aut pervagaturus est, cogitari et per hominum ora versari  
 datum est quantae res tuae sint, in quibus etiam parva ipsa ar- 5  
 dua sublimia et stupori paene habenda veniant; unde inferio-  
 ribus calcar, mediocribus spes, superioribus gloria incutiatur elu-  
 cescat celebretur, ut excitentur extollantur atque triumphant. Ne-  
 minem cernere est, qui cum virtutis tuae praestantiam mirifice  
 laudet, dei potentiam non magnopere benedicat, quippe cum hu- 10  
 milia respicit, in primis humilitatem in alta, immo verius in astra  
 tollit. Filius eius humiliter incarnatus, humiliter natus, humiliter  
 educatus, humiliter cum hominibus conversatus est, hominibus  
 sese vitae viam ac speculum exhibens. Eius cum hac in parte  
 simillimus esses, quid mirum si altissima illius sapientia te ipsius 15

56 hae? | 57 delicie corr. *in delicia* Class. | 58 subsequeris codd.  
 | 62 assequere codd. | 64 Ex Ferraria etc. codd.

803, 1 Guarinus Veronensis ad Nicolaum quintum pont. maximum  
*Class.*, Beatissimo d. nostro papae Nicolao quinto verissimo Iehsu Christi  
 vicario *Ferr.* | 2 idque corr. *in isque* *Class.*

in terris et voluit et de legit esse vicarium, qui in potestatis suae partem communicationemque vocareris? Quo in negotio non humana sed divina manifestatur opera; nam non violentis non tyrannicis sed liberis et apostolicis, Spiritu sancto cooperante, suffragiis electus approbatus creatus, Petri solium Petri successor obtines, non tam praesidentia quam pietate successor: per illam quidem longo ordine posterior, per hanc vero propinquus, quam veram propriamque successionem nuncupaverim. Quoniam prior illa appellationem duntaxat; haec autem veritatem continet successionis: non enim qui pro se suadet aut cogit sed persuadetur aut cogitur verus et dicendus et habendus successor est: alioquin tranquillitatis fluctus et lucis tenebra et sanitatis languor successor vocari posset.

In quo ergo summopere laetandum est et tuae beatitudini gratulandum et ingentes immortali deo gratiae sunt agendae. Ut primum de tua creatione fama pervolavit, quis oblectatione summa affectus non est, tum quia tuae dignitati, tum quia sibi ipsi quisque faveret? Nam cum per excellentiac tuae gloriam omnia de te maxima sperarent divinarent praedicarent, nemo extitit qui iudicio de te suo et sibi perinde ac vaticinanti non applauserit. Fit enim nescio quo pacto ut nullus non egregie in primisque sapere ac intelligere velle videatur. « Nunquid, inquit, praesagiebam? magnus ille Thomas amplissimo dignus est fastigio et mea quidem sententia primum meruit dignitatis gradum. Vatem. aiunt, me faciebant non Tiresiae aut Amphiarai sortes et oracula, sed hominis ingenium sapientia virtus ». Quod et acumen prudentissimumque cardinalium quasi patrum conscriptorum senatusque divini iudicium consona omnium voce et concordi consensu approbavit et sic approbavit ut ambigam utris maior debeat laus, an eis qui sic delegerint aut tibi qui sic electus sis. Id et Numae Pompilio romani populi iudicio contigit, cuius inclita iustitia religioque et divini atque humani iuris cognitio effecit, ut dignus haberetur qui urbis romanae conditori Romulo succederet; de quo poeta magnus: « hic primam legibus urbem fundabit, Curiibus parvis et paupere terra missus in imperium magnum ».

Verz. Aen. VI  
810-12.

---

19 comparante *codd.* | 20 creatusque *Class.* | 27 langor *Class.* | 34 extitit] est *Class.* | 47 religio *Class.*

Val. Max. VIII  
13. 3.

Tu<ñ> quoque factum perquam simile de Scipione Nasica senatus iudicium ; nam cum accessitam Pessinunte Romam deorum matrem, ut gentiles dicerent, sanctissimi viri manibus et penatibus excipi constituisserent, sic enim Apollinis Pythii oraculo praemoniti fuerant, ad ea ministeria Nasicam delegerunt, ut qui 55 ceterae multitidini sanctitate praestare nosceretur. Qua quidem in re Spiritu saneto inspirante pro re sortitus es nomen, a populi nanque victoria Nicolaum inclinatum graecus sermo testatur.

Tuae saepenmro mentis subtilitatem arduis in rebus et in ecclesiastica re publica experti nequaquam veriti sunt, ut cum 60 maxima et honestissima fueris aggressus et consecutus facinora tanquam novitate rerum attonitus insuetusque deficias : quod evenire plerisque solet, qui ad magistratus et imperia non tam vocati quam irrumpentes ante magistri quam discipuli designantur, homines sane praeposteri. Sicut autem magnis in rebus periculum 65 frequens fecisti, ea in te animi vis innata digneceitur, ut etiam sine doctrina sancta suscitare desideria, recta excogitare consilia, iusta diligere et aggredi possis et soleas opera ; nec minus in discernendis valeas hominibus et rerum finibus, quod usus longior edocuit et industria et per varios rerum amplissimarum tractatus 70 accepta notitia. Ad istam vero tam eximiam singularemque naturam accessit admiranda quaedam sapientia multiplici disciplinarum choro stipata, quae ex omnibus tuo studio congregata unum quasi corpus effingens te ubique laudabilem spectatumque concinnat. Quod Heracleotem illum Zeuxim pictorem celeberrimum facitasse memoriae proditum est. Is nanque cum in Crotoniatarum templo formosissimam pingere mulierem destinasset, inspectis ante pulcherrimarum corporibus, quod ex unaquaque praestans eximiumque nactus fuisse, modo instituto conducebat operi, in suam imitatus excerptis imaginem. Cum igitur ex litterarum studiis et 75 ingenuis artibus decus ornamenta mores, recte vivendi normam comparari cognosceres, ipsam disciplinam tibi patriam tibi parentem tibi nutricem tibi nobilitatem adoptasti et sic adoptasti, ut emineas et doctissimus antecellas ; nec vero antecellere satis habuisti, nisi praeepta in actum deduxisses. Insitum enim habes 80

Cic. de inv. II  
1.3.

52 Pessimonte (— ontem) *codd.* | 53 decernunt *Class.* | 54 constituisset *Ferr.* | 61 consequutus *Class.* | 79 natura *codd.*

animo vel ab annis usque teneris virtutis laudem omnem in actione consistere, nec ista ideo tantum perdiscenda ut scires, nisi et seita magis atque magis exereceres. Itaque ad maiora capessenda inde viam tibi sternebas ut iam tum ad rerum altitudinem 90 divinarum praeludia componeres et ad inaccessiblem immortalis dei lucem verumque solem quam propius accederes. Utque consiliorum tuorum exitus declarat, generosus iste spiritus ad superna quaedam summique boni verticem semper anhelans hand tolerare poterat in parvis sicut in umbra prorsus educari, nisi ad superaelestes radios aciem intentius erigeres et praesaga futuri mens illum agnoscendum amandum fruendum adiret, cuius vice<sup>s</sup> olim administraturus eras. Quamobrem audire merito posses: « quia vidisti, Thoma, credidisti ». Illos credo improbas athletas qui semper in umbra terentes otia « aerem tantum vacuum ietibus 95 lassentes » vera declinant praelia, unde et coronas praeconia et reliqua stadii praemia non attingunt.

Sic ergo humana divinis admiscens et variam auro argentoque catenam intexens, gloriosum tibi ornamentum perfecisti, quo fretus aliquando posses audire: « pasce oves meas »; quod pastori non lupo verbum iniungitur, cuius officium primum esse didicisti gregis sibi crediti saluti consulere et corruptis corrumpendisve mederi moribus. Quod eo tibi facile fuerit quia innocentissimum et integerrimum geris animum, unde solida medicandi iacta facturus es fundamenta, immo iam te fecisse hominum 100 sermo litteraeque testantur. Suscepto nanque vix pontificatu, ut Ihesu Christi ministerium ageres, qui venundatores et mercatores eiecit e templo, edixisti, abieco pecuniarni amore quas nemo sapiens concupivit unquam, moribus ac probitati non marsupio ecclesiasticas dignitates distribuendas esse. Quam elegans et immitatu dignum vel in gentili homine verbum: « nolle Romanos 115 Val. Max. IV 3, 5. aurum sed habentibus aurum imperare malle ». Quanto id in Christi homine magnificentius, cuius discipulus sequendam proponens securoris regulam aliquando dixit: « aurum et argentum non est mihi ». Et beatus ille senior nostram aetatem stomachans « nostri

Ioh. 20, 29.  
Verg. Aen. V  
377.

Ioh. 21, 17.

Act. ap. post. 3, 6.

---

90 immortalitatis *codd.* | 93 haut *Ferr.* | 94 edocuri *Ferr.* | 96 fe-  
nendum *Class.* | 106 tibi *codd.* | 111 Iesu *Class.* | 113 marsubio *Class.* |  
117 sequituris *Class.* | 119 senior] Senensis? (cioè Bernardino da Siena).

temporis faecem » appellavit, qui de ecclesia scribens ait: « et 120 cum ad christianos mundi principes venit, pecunia quidem et divitiis maior sed virtutibus minor facta est ». Ad haec salutandum illud tuae sapientiae et felicitatis additur augurium, quod initio pontificatus prius agendum institueris, ut fratres tuos omni deposita similitatis et inimicitarum pertinacia conciliandos reconciliandosque duceres. Habes namque positum ante oculos Salvatoris exemplar, de cuius redeuntis et recedentis ore prima pacis dona et legata dimissa manarunt: « pacem meam do vobis, pacem meam commendabo vobis »; et mandatae pacis plena sunt omnia. Quam salutare pacis et concordiae nomen resque ipsa sit intelligis, ut illarum munere 130 « parvae etiam res crecent, contra maxima dilabantur ». 125

Joh. 20, 19.

Sall. Iug. 10, 6.

Ista quidem spe quasi luce quadam elata et certo de te ad novanda praesagio, ex intestino languore miserabilis erecta in cubitum Italia medicantis manum expectat implorat efflagitat, ut tot tamque diuturnis afflita dilacerata et mox expiratura vulneribus, tua tandem sapientia et animi magnitudine recreata convalescat, cum tot nobilissima et florentissima quondam oppida quasi membra tot illustribus viris et civibus ornata, nunc orbata dirupta desolata et militum vel verius latronum preda iaceant. Quibus cum salutiferam divini Pastoris et Patris dexteram potensque brachium imposueris, pristinae sanitati restituta et resurgentia cuncta spectabis. Quantam et quam veram gloriam consequeris et cum nominis immortalitate solidam tecum triumphale inque laetabere laetitiam ! Tunc etiam passim clamare populorum vocibus et sublatis ad aethera cantibus fas erit: « Benedictus 140 qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis ». 135

Matth. 21, 9.

Hisce in cogitationibus magnificisque consiliis enutritus et edocitus ultro commonstrabis quodnam opus et officium eius esse debet, qui populo dei praeficitur, ne in amplissimarum rerum et utilitatis publicae materia obdormiscat, ne per socordiam crescere 150 bella detrimenta et hominum delicta patiatur aut obaudiat, alioquin audiet quae Dominus per prophetam minitatur dicens: « ille quidem in suo peccato morietur ; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram ». Ad haec Augustino teste: « speculatores,

Ezech. 33, 6.

---

131 dilabuntur *codd.* | 133 languore *corr. in langore Class.* | 137 cum] quins *codd.* | 148 commonstrabilis *codd.*

155 hoc est populorum praepositi, constituti sunt in ecclesiis ut non *de civ. 19, 3.*  
parcant obiurgando peccata ». Sic autem arbitror mihi que persuadeo  
te ingenti nunc potissimum affectum iri gaudio, cum orbis terra-  
rum praefecturam tuae mandatam sapientiae ea tempestate intel-  
ligis, qua per tantos fluctus procellaaque maria deus ipse  
160 vere pius vereque misericors eum te gubernatorem susevitavit, qui  
perditis moribus et periclitantibus gentibus salutis portum ostendes.

Hactenus, beatissime pater, per minora exercitus et exerci-  
tatus quasi studia, dehinc ad aciem veram prodire incipis. Minora  
165 vero non idcirco dixi, ut tua cum aliis comparans detrahiam, sed  
ut tuis tua et actis futura conferam. Cibi nanque, potionis et vo-  
luptatis abstinentiam, *<innocentiam>* vitae perpetuo servatam  
fuisse quis neget? Mansuetudo morum, praecipua dexteritas, in  
colloquiis comitas paene socratica, nestorea gravitate condita fa-  
170 cilitas spectabilem te vel ignotis reddidere; liberalitas et spretum  
pro tempore argentum amabiliori me an admirabiliorem te com-  
mendaverint dubium efficit, cum instar dei ad erogandum promptus,  
ad reponendum tardus extiteris. Addo et virtutes alias: quod  
cum pro amicitiae iure et caritatis officio increpandum fuerat,  
175 sine contumelia tranquillus eras; cum laudandum, optimum laudi  
temperamentum admonitionem associasti; si quando mollis post  
seria prae humanitate esse voluisti, nunquam dissolutus; si con-  
stans, nequaquam durus aut pertinax apparuisti, ut omnis ex te  
manans actio non aequitate non prudentia non magistra vitae  
180 philosophia vacare videretur. Quibus ex causis haud sane mirer-  
si florem illum cardinalis quondam excellentiae tuum in amorem  
et pietatem allegeris, ut te sicuti filium foveret, sicuti fratrem  
diligeret.

Haec quidem privata fere omnia virtutis membra et tibi plus  
185 commoda futura. Dehinc ex strenuo sane milite ad christianaee  
rei publicae dietatoriam maiestatem evectus ascendis, ubi pro-  
priorum oblitus commodorum communi servias utilitati; unde per-  
rinde ac sol mundo spectandus et observandus, cui hominum ge-  
neri tui splendoris radios effusurus non es? In gubernando ma-

---

160 cum *codd.* | 165 compararis *Ferr.* | 166 tibi *Ferr.* | 173 respon-  
dendum *codd.* | 177 pro *Ferr.* | 184 potius?

gnanimitatem p[re]te feres quae latebat adhuc, in verbis sancti- 190  
tatem, in colloquiis humilitatem. Spectaberis studiosis exhortator,  
probis fautor, voluptuosis refrenator, afflictis in rebus consolator;  
te canities baculum sperabit, iuventus p[re]ceptor[em]. paupertas  
donatorem.

Quae cum sic se habeant et habitura sint, non laetari et 195  
mundo gratulari non possum, cui de tuae beatitudinis splendore  
tam caelestis et faustus dies illuxit, ut aurea nunc denique sae-  
cula tuo ductu et auspicio promittantur. Ceterum cum iam mi-  
sericordiarum et gratiarum fons esse divino concessu profiteare,  
quodammodo venientes ad hauriendum invitare velle videris; 200  
eapropter non formidabo in commendandis meis <tuam> invocare  
benignitatem. Est mihi familiaris intimus Antonius Maria scriptor  
apostolicus, cuius mores egregii, pietas in deum, bonitas in omnes  
hominem mihi carissimum conciliavere. Fuit mihi ab ineunte  
aetate domesticus auditor et litterariae militiae commilito: mensa 205  
vigilia somnus rusticatio communis; hunc, cum eius generis sit  
qui tuae sanctitati iure placere possit, carum acceptum intimuni-  
que facio, ut eum tuae benignitatis oculis aspicias. Filium quoque  
Hieronymum habeo morum puritate et eruditione conspicuum;  
est enim iis studiis ornatus quibus iuvenilis aetas informari solet; 210  
non indisertus evasit seu prosa oratione dicendum seu metro  
canendum est. Alter adest Manuel nomine, qui iuri canonico  
studens et religiosam vitam agens signa p[re]fert quibus bo-  
nus Christi tirunculus sit. Utrunque mihi carissimum tuae sancti-  
tatis genibus commendatum habere dignetur beatitudo tua, cui 215  
me humiliter dicatum accipe pro mea in tuam sanctitatem devo-  
tione atque fide.

Ex Ferraria <marzo 1447>.

Sanctitatis tuae servitor G<uarinus>.

---

207 quae *codd.* | 210 est etenim his *Class.* | 218 Ex Ferraria etc.  
*codd.*

## 804.

(Bergam. A II 32 f. 101v = B ; Regin. 1612 f. 24 = R, di mano di Lodovico Podocatario, che si firma : *Ludovicus transcripsit*; da R fu copiata nel cod. Tioli XXII p. 3 e pubblicata in Martene *Vet. script. ampl. collectio* III 855. La lettera ha doppia redazione: breve in R, lunga in B; le giunte della lunga sono stampate in corsivo; ma verso la fine le due redazioni son tenute distinte: la breve a sinistra, la lunga a destra).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. viro insigni Ugutioni Abbatensi illustris Marchionis Leonelli Estensi< s > secretario.

Quando negotia ita nos locis diversos reddunt et invicem separant, ut non « detur ora tueri et vivas audire et reddere <sup>Verg. Aen. VI  
688.</sup> 5 voces », litterarum voces inter nos accipere saltem dabitur, ut vel sic mutuam fallamus *vel oblectemus* absentiam, qui vel *praecipiuus est studiorum fructus*. Quid igitur dicum? Vosne magis qui *rusticamini* nobis invidere debeatis an vobis nos qui hoc tempore in urbe versamur, fortasse dubitandum est. Vos nanque suavissimis herbarum et florum odoribus et dulcissimis avicularum cantibus oblectamini, quibus ruris amoenitas sensum mentemque demulceat et mille modis *oculos et aures* invitet; at nobis vel una gloriari suavitate licet, quae omne delectationis genus exuperet: illa videlicet philomena caelesti et « cygnea » Alberti « voce », <sup>Cic. de or. III  
6.</sup> 15 qua tot simul aures impletur deliniuntur et perinde ac instillato melle condiuntur. Quia in re Ciceronis illud venit in mentem: « quid tam mirabile quam <in> infinita multitudine hominum et inter tot mortalium milia existere unum, qui id quod omnibus natura sit datum vel solus vel cum perpanuis facere possit? » in- 20 terque tam late retenta silentia tot per horas obmutescentibus cunctis lingua una vel aurea vel ferrea vel utraque resonet? non siti non fame non aestu non frigore ullus per suum abducatur ab

---

**804, 1** Guar. Veronensis s. p. d. clar. v. Ugutioni abbatiensi illustris marchionis secretario umico R | Albanensi B | 3 divisos locis R | 6 sic vel R | dilectemus B | 9 versamur in urbe R | 10 ac dulciss - R | 13 gloria B | 15 simul tot R | diliniuntur B | et quasi melle instillato R

hisce vocibus incommodum angelicis? Quid dicam tubam eandem, immo verius tonitru, cum ab eo in facinorosos terror incutitur, vitia fulminantur et auditoris conscientia exanimatur? 25

Omitto reliqua reliquorum dierum dicta; hodiernus dies praeconiorum omnium lauream triumphumque reportavit, quo litteras et disciplinas extollens ad studia iurentutem non dicam animavit et hortatus est, sed impulit coegerit traxit. Cernere erat ut lacertos exerens sicuti sua in possessione constitutus ad dicendum se instrueret et ut sapiens imperator acies locaret strenueque prodiret. Quis rerum copiam sententiarumque varietatem una effuderit epistula, quas grande quoque volumen non satis pro dictorum abundantia expresserit? Nonnulla tamen et quidem pauca de magno praedicatorum acervo nunc degustationis gratia capies. Primo igitur ad aedificandam orationem iacto fundamento et praedicationis exordio quaedam per se bona esse proposuit, quaedam per se mala, quaedam indifferentia, quae Graeci vocant ἀδιάφορα. Priora illa sunt quae in malum converti nequeunt usum, cuius generis est: Dominum Iesum Christum venerari. Secunda quae in bonum duci non possunt, ut: fornicari, idola colere. Tertia sunt scientiae, quae in bonum malumque trahi opus raleant, ut si dialecticam ad comprobandas haereses perdiscas et ius civile ad quaestum et avaritiam, unde illud: <aliud> esse iuris, aliud iustitiae consultum fieri; vel si philosophiam ad probanda legis divinae documenta compares, quo fit ut, si Aristoteles, si Plato bonus sit philosophus, non continuo bonus absolute vocari debeat.

Audisse velles, vir insignis, quot quantosque fructus ex doctrina orientes fluvius ille dicendi collegit; quam idoneum ad virtutes instrumentum, ad famam ad decus ad gloriam ante oculos posuit, quantum iocunditatem, quantum otii et secordiae fugam; quos honores dignitates praefecturas, quem ordinem quam conditionem quae tempora in disciplinarum gradibus distribuerit, ut aliae ancillae, nonnullae comites, duces alterae sint, postremo ut cunctarum domina et regina veniat sacrarum litterarum cognitio, 55

---

25 effulminantur R | examinatur (— antur B) BR | 29 exhortatus R | coegerit instrumentum ad famam ad decus traxit R | 30 in] .i. (= idest) B | 49 quam] quantum R | 51 quantam inde R | socord - R. | 55 veniat sit R.

ad quam ceterarum vigiliae labores intentio referatur, vel propheticō illo assērente testimonio: « bonitatem et disciplinam et scientiam doce me ». Quas ad res accepisses non dico virum lacteo eloquentiae fonte manantem, sed fluvium, immo vero « flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant ». Non defuerunt antiquorum veterum priscorum novorum, gentilium hebraeorum christianorum, principum regum, prophetarum sibyllarum exempla et probationes, ut effusis omni cum copia poetis oratoribus historicis doctoribus, nova inaudita inexpectata testimonia, veluti Padus inundans eruperit. Quae oratorum linguae, quae iurisconsultorum memoria, quae praecōnum facultas tot monita prohibita concessa praeepta interpretata vel repetierit vel comprehendenterit vel unum in locum collegerit? ut non codicilli sed grandioris operis corpus confidere foret necesse cumque id confeceris, « scriptum et in 70 tergo », plurima tamen reliquisse cognoveris.

Horas enim quattuor vox illa infracta personuit, cum ne horam quidem orasse visus sit. Quis autem resonantissimus praedicator, 75 doctissimus lector, acutissimus theologus huic sancto dei praecōni et pugili comparatus non cicada non culex non mutus existimabitur? Unum huic tam solemnī officio tam iocundo muneri tam memorabili certamini defuit, aeris videlicet serenitas, ut divina vox ecclesiae parietibus includi nescia aperto volvit 85 taret caelo. Allacrimabat autem caelum ipsum, quia moestam de hominis discessu vocem nuntiatum iri divinabat, quasi dehinc

Quis autem resonantissimus praedicator, doctissimus lector, acutissimus theologus huic sancto dei praecōni et pugili comparatus non cicada non culex non mutus existimabitur, ut si una in parte vel altera fortassis excellat, in cunctis non succumbat? Hoc grande munus et immortale dei in nos beneficium! hanc aetatem talibus viris illustratam esse, quos clemens deus et misericors ad informandas hominum mentes germinare voluit, ut eis vita et sermone duabus commonstrata via gradus pateret ad regna caelorū. Horas quattuor et eo amplius vox illa

*Psal. 118, 66.*

*Ovid. Met. 1  
111.*

*Juvenal. 1 6*

56 omnium ceterarum R | 58 accepisses] audisses R | 62 christianorum hominum R | 63 prob-] testimonia R | 65 erumperit B | 66 tot om. B | 67 vel compr - vel rep - R | 68-69 non epistolae sed grandis voluminis c - e - necesse fuerit R | 75 comparatur B | 78 sucebant B.

muta futura sit Ferraria, ubi dies octavus illuxerit.

Hae sunt delectationum urbanarum vobiscum impartitiae reliquiae; vos invicem si quid communicandum habetis, in voluptatis partem vocate. Vale, vir eximie, ac illustri Principi me commenda. Salvus sit et Casella meus.

Ferrariae septimo mai 1447.

Quam suavis tremulas vin-  
cit philomena cicadas, Cygnea  
quam raucos excellunt guttura  
corvos Quamque tubis culices  
tenui conamine cedunt, Tam mag-  
nus reliquos Albertus vicerat  
omnes Olim praecones, hodie  
sed vincitur a se.

infracta personuit, cum ipsi fre-  
quentissimae concioni ne horam 90  
quidem orasse visus fuerit. U-  
num huic tam solemni ac cele-  
brando semper officio, tam io-  
cundo muneri, tam memorabili  
sane certamini defuit, aeris vi-  
delicet serenitas, ut divina vox,  
ecclesiae parietibus includi ne-  
scia, aperto volitaret caelo. Al-  
lacrimavit, ut credo, caelum ip-  
sum, moestam illam de recessu  
auditum denuntiationem, ubi 100  
abhinc octavus illuxerit dies,  
cum deinde muta futura sit Fer-  
raria.

Haec sunt nostraram vo-  
luptatum reliquiae, ad quas vos 105  
invitavimus; si quae vobis sint,  
invicem nobiscum impartite. Va-  
le, vir egregie.

Ferrariae etc.

## 805.

(Ferrar. 150 Λ 5 f. 9; Bergam. A II 32 f. 93v: pubblicata in Lazzareni  
*Miscellan.* VI 47).

<<Guarinus Veronensis serenissimo Alphonso Aragonum regi  
sal. pl. d.>

Hisce diebus, magnanime rex, Hieronymus filius et tuae  
maiestatis administer, ut vigilans tui nominis et gloriae praeco

101 abhinc B | 107 vobiscum B.

805, 1 Serenissimo regi Aragonum super restituta urbe gratulatio  
Guarini F. Serenissimo regi Aragonum Alphonso Guarini gratulatio su-  
per reaedificato Vibonis oppido et disputatio quodnam verum sest trium-  
phandi genus et compendiosa studiorum commendatio B.

5 disseminatorque solertissimus, versus quosdam a se compositos ad me misit, quibus rem nuper a te praecclare gestam posteritati commendat et ignaris notam efficit, urbem scilicet Vibonem prioribus annis nobilem et punici belli tempestate, ut perhibent, deiectam ac desolatam, tua cogitatione consilio et opera restitutam  
10 et nova illuc deducta colonia inhabitari coeptam. Ea in re qui laudum tuarum studiosi sunt, in quibus ego pro tenuitate mea, tibi magnopere gratulantur idque facinus singulari nimirum praeconio celebrant vereque regale tollunt ad sidera; est enim cunctorum laudibus et omnium saeculorum praedicatione dignissimum.

15 Quid enim tam homine et tot mortalium, populorum, nationum principe dignum, quam ut homo de hominibus bene merearis et te hominem hominum causa natum esse intelligas et hominis commoda compares serves augeas eisque omni ratione consulas? Nam cum ductu virtutis et auspicio, fortuna etiam comite, tam  
20 amplissimis regnis immortalis dei favore praepositus sis et quasi terrenus deus vel natus vel factus, deum quoque imiteris oportet, ipsa principatus et dignitatis professione suadente atque cogente. Deum nanque ipsum vere pium vereque misericordem patrem universa in hominum usum condidisse dubitandum non est, ut  
25 non sibi, sed humano generi mundum et quae in eo sunt creasse videretur, unde nostris commodis bonoque serviret. Declaratum enim est, cum animantes resque ceterae subiciantur homini deique animal homo et dicatur et sit, quam gratum quam amabile quam denique deo fiat acceptum rebus hominis inservire,  
30 saluti consulere, vitam propagare, civitatum potissimum: quibus quid maius quid magnificentius quid admirabilius in terris excogitari queat, non est dictu facile. Documento est illud M. Tullii vaticinium: « omnibus qui patriam conservarint adiuverint auxerint certum esse in caelo definitum locum, ubi beati sempiterno-  
35 aevo fruantur; nihil enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur ».

*Suum. Scip. 13*

Unde vero tantopere liberalitatem munificentiam misericordiam mansuetudinem ceterasque similes probamus, nisi quia.

---

16 homine *Lazz.* | 21 deumque *B* | 29 humanis *Lazz.* | 33 conservaverint adiuverint *B* | 36 consilia *B*.

manifesto naturae consensu et innato cunctis iudicio, hominibus 40  
benefacere, afflictis subvenire, munera impertire volumus ducimur  
cogimus? Earumque virtutum professores et actores canimus ce-  
lebramus admiramus et ut paucis praecidam nullam fere virtutis  
et honestatis partem magis extollimus, quam quae in hominum  
consociatione et communitate versetur contraque eas maxime de- 45  
testamur et abhorremus actiones, quae ad hominum damna tur-  
pitudines perniciemque convertantur. Quo fit ut crudelitatem per-  
fidiam avaritiam superbiam et reliquas generis eiusdem oderimus  
et execremur. Quis Syllam plerunque, quis Neronem quis Han-  
nibalem persaepc ac Mithridatem non oderit? quis illos facili 50  
commemorari aure patitur? Contra nemo est qui Caesarem qui  
Pompeium qui Marcellum qui Cimonem qui Epaminondam qui  
Alexandrum non hilari facie et propitiis accipiat auribus; quo-  
rum in numero etiam tuam locare maiestatem licet, cum rem mi-  
litarem cum victorias cum munificentiam tuam recensemus, hoc 55  
praesertim restitutae urbis opere, quo per aures et ora doctorum  
versaris. Eo sane facto et quidem praeclaro significas ingēnii tui  
clementiam divinamque benignitatem ut libens, si liceat, mortuos  
in vitam revocares, quando iacentia suscitas moenia et mortalem  
urbem immortalem, quoad potes, efficis. Quod aliorum saevitia 60  
destructum est, tua benignitate construis; quod barbarorum fe-  
ritas solo aequavit, Alphonsi regis mansuetudine altas in arces  
resurgit; quod illorum immanitate neci deditum fuerat, regis dono  
renasci cernitur; ubi quantum illos probris contumeliisque, tan-  
tum mores tuos praeconijis et benedictione prosequimur et prose- 65  
quemur dum latina vigebunt studia et romanae germinabunt lit-  
terae.

Res quidem tuae praeclare profecto bello et martis violentia  
gestae quotiens hominum sermone referuntur, admiratione quidem  
excipiuntur, magis quam benvolentia vel caritate audientium 70  
animis illabantur; perstrepere enim tubarum clangores, equorum  
cursus, militum clamores, hastarum fragores et tormentorum stre-  
pitus videntur, ut non tam applaudat quam obstupescat auditor.  
Cum vero nova ista urbis et civitatis instauratio exponitur, favor

---

41 impartire *B* | 53 accipiat *Lazz.* | 54 et *B* | 65 et prosequimur  
*om. B* | 72 fremitum *F.*

75 plausus gratulatio laudes admiratio ore manibus oculis, toto de-  
nique corpore exoritur. Hac in re, magnificentissime rex, tacita  
me subit dubitatio, quam tuae aperire maiestati non verebor:  
rectene a maioribus nostris institutum sit, ut triumphus, honor  
nimirum ut illi putabant amplissimus, iis tantum decerneretur  
80 imperatoribus, qui non minus quam quinque hostium, id est ho-  
minum, millia una acie occidissent. Quid enim indignius homine  
quam ullum ei decerni decus qui quinques millies homicida fac-  
tus esset, cum fas et ius eos suppicio afficiat, qui caedis huma-  
nae rei fuerint? Unde fit ut durior vereque ferrea illa sit insti-  
85 tutio senatusve consultum, quod hominem hominis gratia geni-  
tuni ad hominum invitet interitum. Id est hominem homine exuere  
et in lupum ursum leonemque pervertere; sumus enim ad con-  
dolendum magis quam aliena calamitate gaudendum natura proni,  
quod et Satyrus testatur: « mollissima corda humano generi dare  
90 se natura fatetur, quae lacrymas dedit: haec nostri pars optima  
sensus ». Idque Terentius probat, qui « humani nihil a se alie-  
num pulat ». Dominus noster Iesus Christus imitanda nobis vitae  
vestigia proponeus, piis super Lazari morte lacrymas fudit et  
« beatos lugentes misericordesque » vocavit. Nec alio pacto ipsa  
95 res habenda est, quam si uno in corpore oculus oculi, lacertus  
lacerti et summatim membra membrorum spoliis et caede glo-  
rientur et ovare permittantur. Verum igitur quod Iuvenalis in-  
cusat et vitio dat: « sed iam serpentum maior concordia; parcit  
cognatis maculis similis fera; quando leoni fortior eripuit vitam  
100 leo? quo nemore unquam expiravit aper maioris dentibus apri? »  
Saevior igitur hominibus in homines armatur impetus. Quid quod  
civilibus bellis civem de cive triumphare flagitosum censebatur,  
indignum asserentibus publicam fieri laetitiam, civitatis parte lu-  
gente? Hoc sane probo, ut humanitatis opus et misericordiae.  
105 Fingamus igitur universum mortalium genus unam esse civita-  
tem: nonne impium iudicabitur hominem de hominum clade  
triumphare? Quod si brutorum victimae totque bestiarum crux  
deo minime gratus inter sacrificandum creditur, qui sanguis hu-  
manus ira odioque sparsus deum ipsum delectare potest? minime

Juvenal. XV  
131-33.

Heau. 11, 25.

Ioh. 11, 33;  
Matth. 5, 3-7.

XV 139-62.

87 convertere *Lazz.* | 89 Satyricus *Lazz.* | 91 atque *B* | 100 apri]  
ursi *F* | 101 quod *om. F* | 108 quid *codd.*

profecto. Laudanda illa spartanae civitatis institutio, qua illorum 110  
 imperatores, caesis revertentes domum hostibus suis, ita sacrificare diis iubebantur, ut gallos immolarent, cum eas contentiosas esse aves et in convictu asperiores esse liqueat; quod si consilio ratione prudentia superatis et conciliatis hostibus rediissent, hecatombam, idest amplissimum centenis de bobus sacrificium faciebant: perinde ac illud belluarum, hoc hominis, illud impetus, hoc sapientiae proprium esset. Ad hanc M. Marcelli lacrymas non laudare non potuerunt romanarum scriptores historiarum, qui captarum a se Syracusarum fortunam prius florentissiniam, mox 115  
 lugubrem futuram, animo volvens, piae pietate « fletum cohibere 120 non potuit ». Paulus quoque Aemilius cum Persen e rege potentissimo captivum ad se trahi cerneret, pias rebus afflictis lacrymas impendisse, a romanis scriptoribus commendatus est. Quod si pie si humane si misericorditer factum et quidem in hostes probamus, cur de occisis laetari et triumphare licet? 125

Quorsum haec? ut discutiamus quam aptius merito tuo amplissimus reddatur honor pro conservatis hominibus, quam illis pro strage tam lata tamque inhumana et immanni. Has ob causas, rex inclyte, litterariae cohortis nostrae suffragio certus verus dignus triumphus tibi decernitur isque pro restituta Vibone, quam 130 post eius occasum anno denum millesimo sexcentesimo quinquagesimo in vitam revocas, ut suis de reliquiis phoenicis instar reviviscat. Magnos recte principes et reges simili in negotio sectatus es, qui ubicunque immortalem de se memoriam posteris commendare posse viderentur, sua inseruere nomina. Hinc Januarius, Julius, Augustus; hinc Troia, Roma, Caesaria, Alexandria, Pompeiopolis, Antiochia, Constantinopolis, Peloponnesus, Italia aliaeque innumerabiles. Tu quoque, gloriosissime rex, nuper recreatam urbem tui nominis heredem horum exemplo bene ac prudenter instituisti « Alphonsinae » cognomine donando, ut 140 quandiu illa in tuo, tandiu tu in suo nomine vivas; quam conservabunt « iura magistratusque legendi sanctusque senatus », quae futura sunt civitatis fundamenta et rei publicae nervi. Nec vero contennenda gloria est, quam generosae mentis et sublimis animi testimonium esse certum est; qui enim famae ac laudis 145

110 quae codd., Lazz. | 112 deis B | 135 commendari Lazz.

studio tenentur, ii ut sese disseminent et post se vivant ardua appetunt, magna invadunt « vitamque volunt pro laude pacisci », ut et praesentium et venturorum linguas aucupentur et vendicent. Haec hactenus.

ib. v 230.

150 Aliud subinde de te laudandum oritur, frequenti resonante fama, te non modo viros eruditos et doctrinarum professores diligere colereque, sed etiam ingenium tuum ad ingentia natum opera litteris et humanitatis artibus expolire. Cui sane laudi et admirationi denuo gratulari deceat, cum ea tuae maiestati pares adiumenta, quibus non modo quaesitas prius artes regias serves confirmes augeas, verum etiam novas adiungas, quibus te ipsum exornes, meliorem efficias et splendidioris famae titulis amplifices, ut quanto privatis hactenus antecellebas hominibus, tanto inter principes princeps emineas. Quid litterarum ego nunc fructus iocunditatem laudes praedicem? Eas res sic late patere videmus ut declaracione non egeant; hoc vero tacendum non est, quod qui litteris et liberalibus studiis praediti sunt et fuere, hos procul dubio a barbarorum cognomine atque dedecore persapientissimorum hominum iudicia segregavere. Simile tuo est Marci Catonis exemplum, qui proiecta longius senecta litteras graecas edidicit. Monstri simile cernebatur, romani quemquam nominis invenire, qui florente romana re publica ignarus litterarum haberetur; immo vero idcirco romanam rem publicam floruisse cognitum est, quia ingenuis artibus et liberalibus studiis illic praeclara floruerunt ingenia. Hoc tam inclyto facto testis es, magnanime rex, nos ipsos magis temporis, quam nobis tempus ad capessendas disciplinas deesse. Patere quae, serenissime princeps, unum ad hanc rem huius aetatis exemplum adducam ut, quid studium valeat et industria, possit agnosci. Poggius meus singulari ingenio doctrina et facundia praestans, studiis suis quasi manum extream addere constituens, vergentibus iam annis in senium litteras graecas tam avide hausit, ut ante didicisse cognoverim, quam eis operam dare diceretur. Cuius rei documento est quod, quae Cyri vel infantia vel disciplina inscribitur, Xenophontis libros sane regios romanam in linguam convertisse dicatur; audierat

Cic. Acad. p<sup>5</sup>

150 oritur om. F. Lazz. | 159 princeps om. B | fructum F | 163 dubio om. F.

A. P. 268.

illud Horatii credo: « vos exemplaria graeca nocturna versate manu, versate diurna », a quibus velut a fontibus nostras fluxisse litteras novit. Et cui non suscitabit animum hoc ipsum Poggii factum ?

Id eo tibi gloriosius obvenerit, optime rex, quod licet arduis 185 districtus regni negotiis, uihilominus divinam litterarum curam captandam esse duxeris; quod Scipioni et Augusto reliquisque Caesaribus factitatum est, cum per necessarias imperii actiones minime sua studiis tempora surriperentur. Nam sicuti per urgentis regni causas corpora suo non fraudantur genio, quin somno 190 ciboque foveantur, quid est quod animis disciplinae vices surripiantur, quarum pabulo et quiete aluntur vegetantur? Brutus, vir sane magnus et imperator, instante adversus Augustum praefatio, Polybii commentaria lectitans excerptisse annotatus est, ne tempus intermedium iners labi sineret. Salutare illud Platonis 195 extat eulogium, « beatas fore res publicas si earum rectores vel sapientes esse vel sapientiae studiosos fieri contigisset »; quod nullo alio quam litterarum adiumento obtingere posse constat, simul et eruditorum hominum familiaritate ac vitae vocis actu. Eos ubi honore commodisque prosequere, divinas exoriri artes 200 et ad te instar apum advolare cernemus; ii te canent et scriptis illustrabunt suis et sic illustrabunt, ut cum omni posteritate adaequeris et buccinante calamo nulla regio, nulla de te conticeat aetas: quod nullas per imagines aut statuas fieri posse sperandum est, vel quia sine litteris mutae sunt vel quia per orbem 205 terrarum huc atque illuc facile transferri nequeant.

Dicturus eram « vale felix », rex optime; ante tamen optimum factu, si deum caeli terraeque creatorem supplex orem, qui hoc meum munusculum tantis circumpingat et ornet gratiis, ut tuae maiestati vel ideo placere possit, quia ab animo tuae 210 sublimitati dedito proficiscitur: solere deum offerentis corda respicere et gratoriа pio cum pectore thuris granula quam auratas victimas suscipere. Quod si factum esse intellexero, id mercedis loco petere non dubitabo, ut Hieronymum filium tuae maiestati commendatum et intime, sicut facis, carum accipias; id enim tua, 215 ut suis ipse testatur litteris, benignitas efficit, cuius fidem probi-

208 orabo *Lazz.* | 210 quod *Lazz.*

tatem diligentiam experiere in dies et habilem ad omnia tua habitura maiestas est: cui me prono ore commendo.

Ex Ferraria V kalendas iulias 1447.

220 Carmina Hieronymi Guarini pro reaedificato Vibonis oppido

Quam Poenus quondam delevit marte Vibonem,  
Hanc rex Alphonsus post saecula multa iacentem,  
Alphonsina suo de nomine moenia diceñs,  
Restituit: papae Nicolai tempore quinti.

### 806.

(Riccard. 759 f. 216; Ottob. 2251 f. 153; Parig. 14394 f. 32<sup>v</sup>, già di S. Vittore; Bergam. A II 32 f. 107<sup>v</sup>; pubblicata da Shepherd-Tonelli *Vita di Poggio Bracciolini*, Append. p. LIII).

Guarinus sal. pl. d. cl. v. Poggio secretario apostolico.

Tam diuturno teneri nos silentio iure ac merito queri potest  
amor noster quod cum, teste Catullo conterraneo meo, « amantes  
non longe a caro corpore abesse velint », una saltem per litteras  
5 non simus nec sic mutuam fallamus aut oblectemus absentiam,  
praesertim cum non minus iocunda per epistulas quam per vivas,  
ut aiunt, voces inter amicos sit congressio. Cum igitur hanc,  
sicut dicitur, glaciem fracturus scribendi argumentum quaeritarem,  
tu mihi per industriam tuam colloquendi facultatem et materiam  
10 praebuisti, qua tibi mihi gratuleret vel mea vel tua causa  
laeter, qui tuo ingenio qui tuae laudi qui famae faveam et bu-  
cinator accedam. Quas quidem ad res cum alias crebro, tum ho-  
dierno die velut ansam tradidisti. Nam cum Franciscus Arretinus  
sapientissimus et eruditissimus iurisconsultus, cui mentis acumine,  
15 magnarum rerum scientia, promptissima memoria pares non ad-

66, 32.

219 La data è nel solo cod. Ferr. e vi fu aggiunta da altra mano |  
220 L'epigramma si legge nel cod. Berg. | 221 Poenis cod. | 223 Alpho-  
sina cod.

806, 1 Guarinus Vero. Poggio Flor. s. d. Ber. | 5 nos Paris. | 10  
quae ut Ber. | 13 Aret - codd. | 14 vel iurec - codd.

modum multos videt haec aetas, cygneam illam in te praedicando vocem exereret, gratulatus sum meum de tua praestantia tantis a viris probari iudicium, qui cum nonnullis aetatis nostrae hominibus doctrinae et eloquentiae partes primas tribuere soleam, tibi priores libenter et libere deferam. Tanta tuis ex scriptis pollet 20 dicendi facilitas copia varietas urbanitas lepos, accurata et diligens elegantia, pro rebus gravitas, ut mirum in modum virgiliatum illud efficias: « et salis occultum referunt in lacte saporem ».

Haec quidem vel iuvenilis aetatis ornamenta et germinantis animi flores hand sane fallaces vereque *καρποφόροι*. Quid illud peculiare nimirum ingenii tui decus, cuius recordatione et commemoratione mirifice delector et paene obstupesco? Cum ingravescentes soleant anni in quietem velut in portum sese recipere et apud bene institutas etiam civitates senectae indulgeatur immunitas, tu ipse non ceterorum more te ipsum vincis; tanto nanque 30 studio industria labore vigilia litteras graecas non dieam hauris, sed arripis et voras, ut prins te illarum doctum peritumque eva sis videam, quam eis perdiscendis te operam dedit cognorim.

Catoneum illum maiorem imitaris, qui actate iam proiecta graecas litteras avide sic arripuit, quasi diurnam sitim explere cupiens. 35 Horum testis tibi certe locuples accedit Xenophon, cuius *παιδείαν Κόρων* latinis hominibus notam familiaremque faciens, ea verborum suavitate concinas, ea dictionis amoenitate gratificaris, ea rerum gravitate profers, ut qui aliunde graecam esse nesciat, nequam interpretis officio editam sed tuarum inventione sententiarum et rerum electione compositam digestam apparatam legere iuret historiam. Hominem sic tua latina e graeco sermone expressit oratio dulcisque facundia seu facunda dulcedo, ut sicut

<sup>Diog. Laert. II</sup> 57. in eius labris « attica sedere musa » praedicatur, sic te dnoe ab auctore nil degenerans romanum florem redoleat interpretatio. 45 <sup>ad fin. IX 25.</sup> Qua in re quod Tullius obvenisse sibi iactat, ut « *παιδείαν Κόρων* totam legendo contriverit », usu mihi venit; nam semel arreptae

17 exerceret *cet* exercet *codd.* | 20 *rel ac codd.* | 21 facultas *Par.* | 25 *καρποφόραι* *Ber.*, carpori \*\*\* *Ott.*, carpori *rell.* | 33 cognoverim *Ber.* | 36 π - K - *Ber.*, Cyropediam *Ricc.*, *Ott.*, \*\*\* *Par.* | 38 suavitate] signoue (o *supra* g) *Ber.* | significaris corr. *in - cans* *Ber.* | 39 necquicquam *Ber.* | 41 eloentione *codd.* | 42 ex *Ber.* | 43 seu facunda *om.* *Ricc.* | 46 π - K - *Ber.*, *om.* *in lac.* *rell.*

uno simul, ut ita dixerim, spiritu complures lectitans paginas,  
non ante destiterim quam vocitantum molestia et importunitate  
50 distractus abscesserim idque ne convivas morarer: adeo leniter  
fluens dicendi comitas Poggiana lectorem sensim provehit.

Cum tuum istud elegans contemplor ingenium, Poggi vir  
clarissime, non exclamare non possum: « o mores, o tempora! »  
« O totam sub arma coactam Hesperiam! » cum locus non est in-  
55 geniis, non artibus honestis praemia, cum etiam si velis, bene  
beataque vivere vix liceat. Quam facile factu esset, ut pares pri-  
seis illis reviviscerent homines et animi paene divini et illustria  
quondam studia, Antonios, Crassos dico, Cottas, Scaevolas. Modo  
solitus accederet honos et merces, qui paeclaras alunt artes, non  
60 diffido fore ut paria efflorecent opera, quando nostratibus non vis  
non ardor non facultas ipsa, sicuti favor et alimonia, desit. Id  
documento est: nam sicubi quasi theatrum disciplinarum ullo  
cum praemiolo praestitum est, videmus eruditos emergere et ro-  
manis et graecis doctrinis imbutos eximia de se polliceri et no-  
65 vum propemodum exoriri velle saeculum. Gratulari liceret et illud  
vociferari: « iam nova progenies caelo demittitur alto », nisi silere  
musae cogantur inter arma. Quid si exereitatio et magnarum ut  
quondam causarum adiungatur actio? illustre quiddam et mirabile  
et antiquis illis proximum emicare cernas. Me vero continebo,  
70 ne meus in te tuique similes amor alio quam oporteat calamus  
trahat; unde satius fuerit illud amplecti: « digito compesce la-  
bellum ». Haec dixisse velini cum veteri de te iudicio meo tuis-  
que studiis et eorum fructibus gratulari et laetari debeam, qui-  
cum benivolentia et caritate et studiorum, longo quamvis inter-  
75 vallo, societate diutissime coniunctissimus sim. Tu vero perge et  
dum aetas patitur posteritati et gloriae servi et me ut facis per-  
petuo dilige.

Filium meum τὸν ἀγαπητὸν Hieronymum, si istac iter habere  
contigerit, intime tibi commendo, qui te colit ut patrem. Vale.

80 E Ferraria kal. augusti <1447>.

---

48-49 spiritu - destiterim *om.* *Par.* | 55 velint *Rice.*, *Par.*, *Ber.* |  
59-60 solitus - diffido *om.* *Ber.* | 64 sed novum *Par.* | 75 *vel* diut - *om.*  
*codd.* | 78 τ - ζ - *Ber.*, *om.* *in lac. rell.* | 79 Vale *add.* *Ber.*

*Cic. Catil. I 2;*  
*Verg. Aen. VII 43.*

*Verg. Ecl. IV 7.*

*Iuveal. I 160.*

## 807.

(Ottob. 2251 f. 154; Parig. 14394 f. 34, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist. II* 372 e dal Mai *Spicil. Rom.* X 356).

Poggini p. s. d. Guarino suo v. cl.

Letor, mi Guarine iocundissime, placere tibi Xenophontem nostrum et meum laborem a te in ea traductione comprobari..... Nunc tuo Franciseque nostri indicio et sententia confirmaatus, et ipse quoque existimare incipiam aliquid esse ea que a vobis commendantur .... Ego hunc librum aggressus sum postquam Eugenius pontifex ad urbem rediit, hortante atque impellente eo quem nunc pontificem habemus, virum ut seis omni litterarum genere prestantem...

Quod ad filium tuum pertinet, paternam curam studium ac diligentiam prestabo. Obtuli Iacobo Leonisse quicquid in me erat favoris et auctoritatis; is cum tempus fuerit, meum auxilium imploraturum se dixit, cui nulla in re deero...

Rome <agosto 1447>.

## 807 A.

(Bergam. A II 32 f. 105<sup>v</sup>).

Guar<inns> V<eronensis> cl. v. Karolo Aretino sal. pl. d.

Quem fundum vere fertilem in rescribendis ad me litteris seeteris vel hinc sciri potest: nam qui tristes a me litteras acceperisti, hilares remisisti. Te itaque imitabor, ut qui laetas accepi, et lactas remittam. Nam quantum ex capto per insidiosum iter 5 filio moerorem, tantam ex liberato laetitiam, tuis renuntiantibus litteris, suscepi; et eo amplius quod moeror ipse stu<pi>dum et paene sensus expertem me fecerat, laetitia ipsa restituit animum et ut emissum filium intellexi, non sine benignitatis et clementiae

10 vestrae laudibus me mihi reddidit. Ea in re cum mihi gaudeam,  
 magis atque magis Florentinae civitati gratulari convenit, pae-  
 sertim cum mihi privatum afferatur gaudium, vobis communis  
 exori< a >tur gloria. Nam si hosti fortiter obsistere vel superare  
 commendatur et per aures hominum disseminatur, non minoris  
 15 admirationis est infortunato misericordiam et clementiam impar-  
 tire: quippe cum illud terroris, hoc humanitatis sit officium, illinc  
 odium plerunque hinc benivolentia nascatur; adde quod primum  
 cum belluis commune, extremum hominibus proprium dignoscitur,  
 illud fortunae nonnunquam, hoc certi consilii. Florentinus credo  
 20 senatus secum sapienter et humane cogitavit et ut sapientia et  
 benignitate pollet, sic ante oculos posuit: « Hieronymus licet pe-  
 regrinus et hostili de parte, tamen homo est: ego vero humani  
 nihil a me alienum puto; cumque sub uno naturae capite vel  
 Christo connexi simus omnes, quod membro membrum eodem fit in  
 25 corpore, idem homini homo et christiano christianus est. Itaque  
 Hieronymo potius quia homo, italus, christianus et proinde no-  
 ster est, subveniamus, quam quod cum hoste, recordemur: hoc  
 Paulus Aemilius imperator secutus, Perseo Macedoniae regi, cum  
 captus ad se duceretur, pias impendit lacrimas: idem imitatus  
 30 Antiochus rex captivum apud se factum Scipionis filium patri li- Ter. Heracl. 11.  
23.  
 beraliter remisit incolumem ». Val. Max. V ,  
8; II 19. 2.

Non dolere non poteram, Karole vir eruditissime, quod in  
 ea civitate, quae non minus virtute dignitate gloria quam fortuna  
 floreat et in qua omnium bonarum ac expolitissimarum artium  
 35 studia vigent, tam mutata vicissitudo esset rerum, ut in qua ci-  
 vitate pater olim tot emolumentis amiciis laudibus honestatus  
 fuisset, filius damno oлиis difformaretur et ignominia; quamvis  
 liberalissimam quondam nutricem incoluerat pater, eam infestam  
 sibi novicem filius experiretur, et quem mihi delicias et senec-  
 40 tutis nutritorem educarim et intra musarum sacra sicut meam  
 quandam effigiem effinxerim, ipsum animi mei tormentum reser-  
 vatum audirem. Nunc vestra actum est indulgentia et innata pie-  
 tate ut me mihi, filium sibi restitutum intelligam. Deo igitur im-  
 mortali gratias et florentino populo laudes, « si quid mea car-

24 membro membrum omnes cod. | 29 mutatus cod. | 37 difor-  
 maretur cod. | quamve] quam re cod.

mina possunt », quorum benignitate ac misericordia effectum est 45 ut res ipsa tristior in patris gaudium, filii salutem et populi vestri gloriam conversa sit. Ut cautius in posterum filius iter suscipiat, bene mones ut moneam; sed huius rei cautela prima ex dei custodia pendet, qui « nisi custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam ». Eum igitur supplex orabo ut ab omni 50 <filium labore> liberet et tutum conservet. Vale litterarum decus.

<Ferrara settembre 1447>.

## 808.

(Napol. Nazion. V C 42 f. 66; Perugia J 114 f. 29v; Lollin. 16 p. 184; Marc. lat. XII 133 f. 45; Ambros. V 32 sup. f. 41 mutila e 44; Malatest. XXIX sin. 19; Brit. Mus. Add. 27321 f. 2).

Guarinus Veronensis ill.<sup>mo</sup> principi et domino singulari d.  
Leonello Estensi sal. pl. d.

Princeps illustrissime et domine singularis.

Cum praeclararam vereque magnificentiam in pingendis musis cogitationem tuam nuper ex litteris tuae dominationis intellexerim, 5 laudanda erat merito ista principe digna inventio, non vanis aut lascivis referta figmentis; sed extendendus fuisset calamus et longius quam expectas volumen dilatandum; deque musarum numero ratio evolvenda, de qua multi varios fecere sermones. Sunt qui tres, sunt qui quatuor, sunt qui quinque, sunt qui novem esse 10 contendant. Omissis reliquis sequamur hos extremos qui novem fuisse dicunt. De ipsis igitur summatim intelligendum est musas notiones quasdam et intelligentias esse, quae humanis studiis et industria varias actiones et opera excogitaverunt, sic dictas quia omnia inquirant vel quia ab omnibus inquirantur: cum ingenita 15

---

808, 1 *vel* Guarini Veronensis epistola ad Leonellum marchionem Estensem de pingendis musis *codd.* | 7 *vel* reperta *codd.* (*reperta corr.* in *referta Ambr. f. 44*) | 8 *rel* musaico *codd.* | 9 *vel* permulti *codd.* | 11 *vel* contendunt *codd.* | 12 *rel* dicant *codd.* | 14 *vel* quod *codd.* | 15 *vel* quod *codd.*

sit hominibus sciendi cupiditas. Μῶσθαι enim graece indagare dicitur; μοῦσαι igitur indagatrices dicantur.

Clio itaque historiarum rerumque ad famam et vetustatem pertinentium inventrix; quocirca altera manu tubam, altera librum teneat; vestis variis coloribus figurisque multimodis intexta, qualiter sericos videmus pannos consuetudine prisca. Thalia unam in agricultura partem repperit, quae de agro plantando est, ut et nomen indicat, a germinando veniens; idcirco arbusculas varias manibus gestet; vestis esto floribus foliisque distincta. Erato coniugalia curat vineula et amoris officia recti; haec adulescentulum et adulescentulam utrinque media teneat, utriusque manus, imposito anulo, copulans. Euterpe tibiarum repertrix chorago musica gestanti instrumenta gestum docentis ostendat; vultus hilaris adsit in primis, ut origo vocabuli probat. Melpomene cantum vocumque metodium excogitavit; eapropter liber ei sit in manibus musicis annotatus signis. Terpsichore saltandi normas edidit motusque pedum in deorum sacrificiis frequenter usitatos; ea igitur circa se saltantes pueros ac puellas habeat, gestum imperantis ostendens. Polymnia culturam invenit agrorum; haec succincta ligones et seminis vasa disponat, manu spicas uvarumque racemos baiulans. Urania astrolabium tenens caelum supra caput stellatum contempletur, cuius rationes excogitavit idest astrologiam. Calliope doctrinarum indagatrix et poeticæ antistes vocemque reliquis praebens artibus coronam ferat lauream. tribus compacta vultibus, cum hominum, semideorum ac deorum naturam edisserat.

Scio plerosque fore qui alia musarum signent officia, quibus Terentianum respondebo illud: « quot capita, tot sententiae ». *Pk.* II 4, 14. Bene vale, princeps magnanime decusque musarum. et Manuelis filii negotium et labores commendatos ut habeas supplex oro.

#### 45 E Ferraria V novembbris 1447.

Unum obsecro suppliciter a benignitate tua, ut si quas scribi

---

16 μῶν *Loll.*, *om.* *reliqui* (μῶσθαι il correttore del cod. Ambr.; cfr. Plat. *Crat.* 406 A) | 17 *ig-*indag-musae dicantur (*vel* dieuntur) *codd.* | 24 *vel* foliis floribusque *codd.* | 27 *vel* corado *codd.* (*an* choraulae?) | 35 semini (*vel* seminandi) *codd.* | 37 *vel* rationem *codd.* | 39 *vel* artibus *om.* *codd.* | 42 *vel* respondeo *codd.* | 45 *vel* nonis (*vel* kalendis) novembbris *codd.*

iusseris ad regiam maiestatem, intime Hieronymum filium commendare digneris illi; id erit grandis beneficii loco. Vale.

### ΜΟΥΣΑΙ

- |  |    |
|--|----|
| Clio. Historiis famamque et facta vetusta reservo.     | 50 |
| Thalia. Plantandi leges per me novere coloni.          |    |
| Erato. Connubia et rectos mortalibus addit amores.     |    |
| Euterpe. Tibia concentus hac praemonstrante figurat.   |    |
| Melpomene. Haec vivos cantus et dulcia carmina format. |    |
| Terpsichore. Ista choris aptat saltus ad sacra deorum. | 55 |
| Polymnia. Haec docuit segetes acuens mortalia corda.   |    |
| Urania. Signa poli, varias naturas monstro viasque.    |    |
| Calliope. Materiam vati et vocem concedo sonantem.     |    |

### Guarini carmina de musis

- |  |    |
|--|----|
| Esse Iovis natas cecinere poemata musas,           | 60 |
| Nanque hominum rebus dextras deus obtulit artes.   |    |
| Instruct historiis mortales vivere Clio.           |    |
| Tempora plantandi docuit legesque Thalia.          |    |
| Euterpe monstrat quas fundat tibia voces.          |    |
| Melpomene exponit varios distinguere cantus.       | 65 |
| Terpsichore oblectat dehinc lumina nostra choreis. |    |
| Conubiis Erato gratos moderatur amores.            |    |
| Ostendit sulcos segetesque Polymnia vitae.         |    |
| Urania polos docet et portenta polorum.            |    |
| Calliope yates ornat vocesque serenat.             | 70 |

---

50 I versi sono dati solo dal cod. Lollin. | 60 Questo secondo carme è dato dal cod. Ambros. f. 44v e dal Barber. lat. 42 f. 310. Guarini carmen de novem musis *Barb.* | 61 abstulit *Barb.* | 62 mortalia *Barb.* | 65 reputit vivos *Barb.* | 66 electat *Ambros.* | 67 modulatur *Ambr.* | 70 vocemque *Barb.*

## 809.

(Marc. it. 101 f. 255, autogr. dell'Alecchi; X 349, autogr. di A. Zeno: dal cod. Sambonifacio; cfr. Maffei *Ver. illustr.*, Milano 1825, III 201; Mittarelli *Biblioth.* 648; A. Segarizzi in *N. Arch. Ven.* XX 107).

Guarinus Veronensis <comiti Ludovico S. Bonifacii sal.  
pl. d.>

Litteras vestrae magnificentiae accepi. « Il qual poema (di Cristoforo Lafranchino in lode del Sambonifacio) finito, vien' accompagnato da lettera del Guarino e mandato al Conte, insinuandoli così: Vide autem quoddam carmen quod Christophorus Lafranchinus noster edidit. Adhuc tenet veram <venam> illam pristini studii. Mirum est in tantis rerum occupationibus posse canere.

10 Ex Ferraria nonis ian<uariis> » 1448.

## 810.

(Franc. Philelfi *Epist.*, Venetiis 1502, f. 41).

Franciscus Philelfus' Guarino Veronensi sal.

Strabonem geographum quem ab me petis commodato, darem ad te quamprimum, si penes me foret. Sed eum ab usque Constantinopi cum aliis meis permultis libris misi ad Leonardum Iustinianum... Nunc illo vita functo libri omnes sunt apud eius filium Bernardum...

Ex Mediolano III nonas augustas MCCCCXLVIII.

---

809, 7 L'Alecchi, il solo che cita questo passo, omette *venam* | 10  
Dei tre che citano la data, l'Alecchi e il Maffei hanno 1448, lo Zeno 1446.

## 811.

(Ottob. 2251 f. 155v; Parig. 14394 f. 36v, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist.* II 377).

Poggius p. s. d. Guarino suo v. cl.

Nudius sextus in ipso articulo discessus mei, familiam enim videre cupiebam, que abest in patria natalis soli... reddite sunt mihi littere... Facis amice, mi Guarine, qui eorum que audisti me certiorem facis, ne qua simultas inter nos et tam inveteratam amicitiam suboriri queat. Ego viro cl. Aldobrandino non dixi te carpere libellum meum, sed me audisse te in contrariam sententiam scribere.... Itaque mi Guarine minime feram moleste si scribas quod sentis, salvo nostre amicitie iure, quam a te nullo modo violatum iri existimo..... Vale et principi nostro optimo 10 Leonello me maiorem in modum commendes velim.

Senis <1448?>.

## 812.

(Autografa nell' Archivio comunale di Verona Lettere di oratori etc. busta 1).

Maiores mei honorandi.

Nihil gratius nihil libentius afferre possunt littere vestre, quam me invitare ad succurrendum necessitatibus nostrorum et honori patrie satisfaciendum, cui omnia non modo pro viribus sed etiam supra vires debo et debere me fateor. Hoc autem 5 quod vestre prudentie mihi iniungunt, facile fuit impetratu ab ill.<sup>mo</sup> domino M<archione>, qui et iusta cupit facere et vicinis suis inservire. Quid autem fecerim et effecerim, harum litterarum relator coram exponet, qui usque presens fuit, dum vestris man-

---

812, 2 In questa lettera Guarino ha omesso deliberatamente i ditonghi.

10 datis obtemperans patrocinium meum licet parvulum prestiterim.  
Valete feliciter et me ac meos commendatos habeatis oro.

Ferrarie XXIII maii 1449.

15

Servitor vester Guarinus Veronensis.  
Spectabilibus et sapientissimis viris  
duodecim rei p. Veronensi deputatis  
maioribus meis honorandis. Verone.

### 813.

(Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 462 f. 17; Escorial a. IV 26 f. 221; Marc. lat. XII 134 f. 34 = V; XIV 221 f. 110 = v; Queriu. C VII 1 f. 223 = Q; Bergam. A II 32 f. 98v = B; pubblicato un frammento da me in *Studi ital. di filol. class.* XI 295. Scrive il Morelli in una lettera all'ab. S. Ciampi nell'Estense di Modena: « Fino dal sec. XV si agitò in Italia con gran fervore la questione se presso li Romani vi fosse in uso una sola lingua latina di tutti o no... Resta però sconosciuta una lunghissima lettera di Guarino Veronese a Lionello d'Este su questo argomento, nella quale sostiene che una sola era la lingua. Non l'ho veduta a stampa, ma ms. in una biblioteca di Frati andata in dispersione e notai che era del 1449 »).

Guarinus Veronensis ill. principi Leonello marchioni Estensi de lingue latine differentiis.

<Guarinus Veronensis ill. principi Leonello marchioni Estensi sal. pl. d.>

5 Confiteri profecto licet, et pro tui nominis commendatione et pro animi mei voluptate simul ac laude, ut nunquam ad amplitudinis tuae praesentiam accedam, quin multo hilarior abs te festiviorque discedam: tantum valet prisca illa benivolentia in me tua studiorumque societas, cuius memoriam non modo non 10 oblitas sed etiam conservas et in dies auges. Id sane declarant honores in me tui, et commoditates quibus meos saepe saepiusque prosequeris. Quocirca tuis plerunque regni negotiis occupationibusque meis subirascor, quae tuo me privant aspectu consuetudineque frequentiore. Verum enim vero corpora quamvis

Verg. Aen. VI  
689. absint, at epistularum officio invicem confabulari « et notas au- 15  
dire et reddere voces » dabitur et eo liberius ac libentius, quo  
pauciora, dum rusticaris et otio labores temperas, te distinent  
negotia.

Igitur cogitanti mihi et saepe ac multum animo versanti  
quidnam potissimum scribam, quo tuas aures amoenitate aliqua 20  
teneam et quasi praesens ratiocinari tecum videar, venit in men-  
tem quaestioneula quaedam coram te quandoque disceptari solita:  
cuīs generis lingua maiores nostros usos fuisse iudicemus, cū  
eos latine locutos dicimus; eane fuerit, quam hac aetate vulgo  
et ab indoctis usurpari sentimus, an litteralis et a peritis obser- 25  
vata, quam graeco vocabulo recte grammaticam appellamus. Qua  
de re cū fere docti minus dubitent, reliqui contradicunt nec  
assentiri ullo pacto possunt, cū credibile non esse dicant ut,  
quae tantis salariis laboribus vigiliis atque praeceptis discitur  
oratio solisque nūc eruditis intellecta, ea tunc rusticis operariis 30  
militibus et muliereulis gratis et sensim cognita innataque fuisse  
dicatur. Quibus non omnino falsa dicentibus revēhenda est in  
melius opinio et aperienda est latīnae linguae vis differentia ruina  
sive mutatio.

A. P. 323.  
I 18, 3.  
Met. II 510.  
Attendi autem ante omnia convenit, cū linguam osque di- 35  
cimus, pro lingua et ore verba et sermones intelligi, ut instru-  
mentum pro vocibus ponatur, colore quodam quem rhetores lat-  
ine quidem denominationem, graece vero metonymiam nuncupant,  
sicuti dixit Horatius: « Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo  
musa loqui » et T. Livius: « quo linguae commercio » et Ovidius 40  
Naso: « lingua fuit damno ».

Rhet. ad Her.  
IV 17.  
Latinitatem igitur duobus acceptam modis apud maiores  
animadverto: uno quidem pro ea sermocinatione, qua priscos sine  
ratione sine regulis, urbanos ac rusticos, uti solitos legimus, cum  
vox tamen ipsa litteralis esset; altero, qua studio et arte com- 45  
parata docti posterius usi sunt. Hanc posteriorem sic a Cicerone  
diffiniri videmus: « latinitatem esse quae sermonem purum con-  
servat ab omni vitio remotum. Vitia duo sunt in sermone, quo  
minus is latinus sit: soloecismus et barbarismus. Soloecismus

---

813, 15 nostras *codd.* | 25 an a litteratis B Q. | 32 revellenda Q  
B, revellanda Vv. | 39 dicit B | 42 maiores his B.

50 est cum pluribus in verbis consequens verbum superiori non accommodatur », praecipue cum sine ratione fit, ut si quis dixerit « pax bonus et rex aequa gubernat civitati ». Barbarismus in uno inepte prolato verbo fit, veluti si « oratoris est persuadere » dixeris, paenultimis utrobius correptis; et cum syra vocabula  
 55 vel scythica aliave generis eiusdem latinis immisceantur, ut qui pro « curru » latino gallicum inseruerit « petoritum », quod vitium barbarolexis dicitur. Haec si recte considerentur, haud sane convenire iudicabuntur huic linguae maternae sive plebeiae aut vulgaricæ, quam passim effutit haec aetas quamque nequaquam lati  
 60 tinam propterea vocabimus, nec ea usos fuisse veteres assentiar, sicut paulo post aperiam.

Ceterum non erit inutile cognitu, Leonelle princeps, si diversas latini sermonis aetates speciesque noverimus, ut mirari desinamus tantam influxisse mutationem. « unde haec sartago lo  
 65 quendi venerit in linguas ». Si quis igitur diligenter veterum monumenta lustraverit, quadripartitum latinae locutionis usum agnoscat. Prima illa traditur pervetusta sub Iano Saturno Pico Fauno viguisse, per Auruncos Sicanos Pelasgos, priscos Italiae incolas, disseminata, inculta quidem, velut infans, incondita, ut  
 70 « magis frendere et verba frangere quam loqui » viderentur, adeo ut invicem cuncti se eodem ore inter se loquentes non intelligerent. Necdum eos mater Evandri Nicostrata ex Arcadia veniens erudierat, quae prius litterarum notitiam ad nostrates detulisse fertur; cumque carmine responsa daret, vates enim erat, Car  
 75 mentis ab indigenis cognomento vocata est, quoniam humano ejecto sensu et introducto divino Carmentis quasi « carens mentis » dicta vulgo sit. Quae verba licet tunc vulgaria ut illius aetatis essent, tamen litteralem gerere formam nemo negaverit. Altera subinde deprehensa est, quae ab Latino rege citra, Fauni filio,  
 80 in consuetudinem venit, nonnihil politior limatiorme, non tamen adhuc absolute constructa, ut balbutiens adhuc puella, quae tamen prae priore illa asperiore delectaret. Eam locuti sunt et Latino regi subditi et qui Latium incolerent et Hetruriam ferme: quo loquendi more duodecim tabularum leges anno ab urbe con-

Isid. Etym. I  
31.

Pers. I 89.

Isid. Etym., IX  
I, 6-7

Isid. Etym. I  
4, 1.

---

56 inseruit *codd.* | 58 vulgarie *B* | 60 assentias *B* | 65 in buchas *B*  
 | 71 se *ante* eodem *om. QB* | non *om. QB* | 77 ut] et *codd.* | 82 pro *codd.*

dita tercentesimo scriptae creduntur. Hoc prisco et horrido adhuc 85 dicendi modo Menenium Agrippam plebem in sacro monte pro concordia allocutum traditur. Hos grammaticam idest litteralem, non grammaticē, locutos contendērī, ut qui consuetudine magis quām ratione et artificio ducti eorum sensa enūtiarent. Successit teritia iam formosa iam adulta iam concinna, quam recte romānam, idest robustam, appellaverim. In ea tot efflouere poetae oratores historici, quos enumerare longa mora est: Plautus Nae-  
vius Ennius Ovidius Virgilius Gracchi Cato et unicum eloquentiae specimen Cicero aliique infiniti paene scriptores; quanquam et hi magis minusve diserti et eloquentes fuerint, nam Ennium 95 sicut sacros vetustate lucos adorari Quintilianus iubet. Quarta deinde mixta quaedam emersit seu potius immersit lingua, quam rectius corruptelam linguae quis dixerit. Irrumpentibus nanque per varias tempestates gentibus in Italiam, quaedam sicuti colluvio sordium et polluta barbaries confluxit iniquinate loquentium; 100 unde romani sermonis prophanata est puritas et prior illa maiestas velut e senatu deiecta degeneravit, infudentibus modo se Gallis nunc Germanis alias Gothis et Longobardis, quorum indeleta vestigia luculentum illum romanae suavitatis splendorem macularunt et instar faecis obscenarunt. 105

His ita enarratis nullo modo dubitandum esse credo et neminem vel mediocriter peritum inficias iturum, quin secunda et tertia locutionis particula sic per universorum sanguinis latini aures atque ora versaretur, ut cognitu faciles essent, unde et in recitandis poematis, comicis praesertim et tragicis, tam frequens 110 omnis sexus et aetatis concursus fieret in scenam, ut de loco certaretur; subinde tam variae auditoribus affectiones innascerentur: mulierculis lacrimae risusque viris, suspiria misericordia moeror gaudia silentium applausio. Quia vero haec ipsa fortasse splendido equiti Boiardo aut generoso comiti tuo Pirundulo fri- 115 gidiora videri possunt sine exemplorum adiectione, si auctoritates apposuero, probabilia fient utrique testimonia. Occurrit terentianum illud: « valete et plaudite » et plautinum: « nunc spectatores, Iovis summi causa clare plaudite » et aliud: « ecce nunc iam tu praeco omnem auritum (idest ad intelligendum vigilem) 120

Eun. 1094 etc.

Anaph. 1146.

As. 4.

95 fuerunt *B* | 100 influxit *Q* | 102 degeneraverit *Q*, denegaverit *B*.

populum age » et illud: « spectatores, ad pudicos mores facta est haec fabula; qui pudicitiae esse vultis praeclaram plausum date »; « valete, bene rem gerite et vincite virtute vera, quod fecistis antehac ». Tale aliquid profecto poetae nequaquam impe-  
 125 rassent auditoribus, nisi recitata intelligerent et intellecta probare potuissent, cum sit plaudere « manuum repercussione dicta laudare ». Alioquin quid tam demens, quam surdis narrare fabulam et verba mortuis facere, ut dicitur? Praeterea tot orationes ab imperatoribus ad exercitum, ab consulibus et tribunis ad plebem,  
 130 ab oratoribus in foro habitas legimus et audimus et ab notariis de verbo exceptas, quas omnes latinis et romanis, idest litteraribus, verbis dictas scriptasque cernimus; nec iudicibus, idest viris doctis, quanquam ii forent imperiti fere, sed toti audiendae fuerant populo, vel ipso teste Tullio: « quantum potero voce con-  
 135 tendam, ut populus haec romanus exaudiat ».

Non negaverim pleraque fuisse vocabula, quae ex secretoire quadam intelligentia doctis quidem cognita, rudibus autem minus percepta fuere, unde et latine loquebantur plurimi non studiosi et litterarum ignari. Huic rei testis est locuples Cicero latinae eloquentiae parens et excultor, qui in tertio de oratore: « nostri, inquit, minus student litteris quam latine; tamen ex istis quos nolis urbanis in quibus minimum est litterarum nemo est quin litteratissimum Q. Valerium Soranum lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat ». Idem de claris oratoribus: « Q. Flaminium, ait, pueri vidimus; existimabatur bene latine loqui sed litteras nesciebat ». Et Quintilianus: « nam mihi aliam quandam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio ». Et alio in loco Tullius: « solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides orationem emendatam et lati-  
 140 minium, ait, pueri vidimus; existimabatur bene latine loqui sed litteras nesciebat ». Et Quintilianus: « nam mihi aliam quandam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio ». Et alio in loco Tullius: « solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides orationem emendatam et lati-  
 145 nam, cuius penes quos laus adhuc fuit non fuit rationis aut scientiae sed quasi bonae consuetudinis; aetatis illius ista fuit laus tanquam innocentiae, sic latine loquendi ».

Vides iam, magnifice princeps, latinam locutionem, quae nunc arte constat et regulis, superioribus saeculis usū tantum fuisse  
 150 perceptam, cum rarus esset litterarum usus, Livio teste; apparetque sic latinam orationem late per omnes patere solitam, ut etiam illitterati bene latine et loqui et intelligere possent, ut ru-

Cap. 1029, 1036.

Cas. 87.

Ter. Hocu. II  
1, 10.

p. Lig. 6.

§ 43.

Br. 259.

XII 10, 43.

Br. 258.

VI 1, 2.

gire leoni, mugire bovi, equis hinnire simul cum animabus nasci  
 cernimus.<sup>Bk. 219.</sup> Qua de re Ciceronem audiamus: « Curio tertius illius  
 aetatis erat quia splendidioribus fortasse verbis utebatur et quia 160  
 latine non pessime loquebatur usu aliquo domestico, nam littera-  
 rum admodum nihil sciebat. Sed magni interest quos quisque  
 audiat quotidiane domini, quibuscum loquatur a puerō, quemadmodum  
 patres matres paedagogi ». Ut enim Quintilianus praecipit, for-  
 manda est a teneris annis in pueris lingua: « ante omnia nec sit 165  
 vitiosus sermo nutricibus »; « nam et Gracchorum eloquentiae  
 multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus  
 sermo in posteros quoque est epistulis traditus ». Ea praeceptio  
 tam necessaria fuit tamque firmiter a maioribus servata, ut  
 « non tam praeclarum visum sit latine scire », cum id commune 170  
 foret, « quam turpe nescire; neque tam id mihi oratoris boni  
 quam civis romani proprium videtur »; ut iam non propria quo-  
 rundam laus, sed publica romani sanguinis et nationis extiterit  
 eaque vel mulieribus initio fuerit vis loquendi semper ingenita,  
 ut romanum sermonem tenuerint. Crassus de socrū testatur: « e-  
 Br. 140. 175  
 Cic. de or. III 43. quidem cum audio socrum meam Laeliam, sic audio ut Plautum  
 mihi aut Naevium videar audire, sono ipso vocis ita recto et  
 simplici, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur;  
 ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores ». Hanc-  
 cīne mulierem ceterasque generis eiusdem nedum viros omnes si 180  
 orantem quempiam vel consulem vel tribunum aut si recitantem  
 poetam audissent, num intellecturas fuisse dubitabimus? minime  
 sanc. Huins rei de qua nunc agimus non mediocreis testis accedit  
 Iuvenalis, vir certe omni doctrinarum genere refertus, cum de  
 VII 82-86. recitatione dicat: « Curritur ad vocem iocundam et carmen ami- 185  
 cae Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem Promisitque diem:  
 tanta dulcedine captos Afficit ille animos tantaque libidine vulgi  
 Auditur ». Ea profecto non esset aviditas audiendi, nisi auditores  
 linguam scribentis callentes agnoscerent. Quid tot Ciceronis ad  
 Terentiam uxorem et filiolam Tulliolam epistulae? an velut ad 190  
 ignaras scribebat?

Tolerabis longiorem epistulam, princeps illustris, quae si de

---

158 animantibus *codd.* | 160 qui *vel* quae *codd.* | 178 contentionis *Q*  
 | mutationis *vel* *om.* *codd.* | 182 dubitamus *VvB.*

loquendo fuerit loquacior, nil absurdum fecerit; eam, cum iusseris, tacitam feceris. Cum variae multiplicesque linguae sint, e  
 195 quibus tres principatum semper tenuisse videam, hebraicam graecam et huius filiam latinam, hebraicam suis constare litteris accipio, ut vulgare nullum habeat suae locutionis idioma, qua divinos illos et veteres prophetas atque patriarchas non modo in sacris praeceptis et institutionibus, verum etiam mutuis inter se  
 200 sermonibus usos creditum est. Graecam etiam sic litteralem esse et grammaticorum non dicam rationibus sed consuetudine usurpatam esse affirmaverim, ut rusticos et mulieres, quae incorruptam facilius servant antiquitatem, quo minus multorum sermonis communicatrices sunt, sic loqui animadvertis, ut Demosthenem  
 205 Isocratem Xenophontem aut Platonem legere aut audire videar. Cum iuvenilibus annis sub Manuele Chrysolora illustri philosopho et eius nepote Iohanne praeceptoribus amantissimis Constantinopolim incolerem et post prima deposita rudimenta pleniore gradu discendo pergerem, infantes quosdam mulieresque loquentes annotabam;  
 210 delectabar simulque mirabar linguae volubilitatem et suavem vocis sonum, adspirata ab illis vocabula, servatas accentuum normas, casuum mutationes, verborum tempora, duorum triumve nominum in unum compositionem, quamvis novam, dulcedine tamen mirabili: tantum poterat absorpta a parentibus et conterraneis per  
 215 usum forma loquendi absque norma. Eadem et de latina locutione dicere licet, quae per universos diffusa olim litterariam per ignaros litterarum formam pronuntiationemque continebat. Rusticos latinos teste Tullio scimus dicere solitos « gemmare vites, luxuriam herbis inesse, laetas segetes », occata semina.

220 Nisi multis variisque modis propositum approbem, non sit contradicentibus credibile. Itaque non paucis inducendi sunt exemplis. Octavianum Augustum quotidiano sermone « simus » pro « sumus » usurpasse legimus. Non omittam et illud quod in dies audire licet. Documento sunt romanarum coloniarum in hanc  
 225 usque aetatem retentae reliquiae. Nuper cum subiratus et excandescens quidam herus in famulum inelamaret, erat autem ex Iberia peregrinus in hoc ferrariensi gymnasio: « vade, inquit, in ma-

*de or. III 155.*

Suet. *Aug. 87.*

---

197 elocutionis *B* | 209 dicendo *B* | 212 triumque *B* | 213 *vel* nova *codd.* | 220 approbabō *Vr.* sit *B.*

las horas cum carnes assadas anseres et anserinos. Quid latinus fere dici potest? Alter gentis eiusdem dixerat: «esta civitat habe formosas mulieres», cum in singulari numero 230 diceret: «esta e formosa mulier» et: «dico res honestas». Finis non erit si quaecunque succurrerint scribere aggrediar, quibus latinam linguam litteralem et grammaticam fuisse ostendam, qua prisci et posteriores usi sint, donec ad hanc non latinam sed latinae corruptricem descensum est. Tu, princeps 235 optime, pro tua gravitate iudicabis, cum cessantibus nonnunquam regni negotiis ad haec perlegenda praestabitur otium.

Unum denique succurrit argumentum, cui fides abrogari meo iudicio non potest. Nonnulli ad nostram usque aetatem venere commentarioli, ex quibus aliquos Constantiensis tempore concilii 240 Poggius invenit, vir doctissimus et in primis eloquens. Hi notas quasdam habent ad breviandi usum cum notarii, cum recitarentur ad populum vel exercitum orationes, ad verbum per notas exciperent et exceptas excriberent, uti pauculis elementis dicta prolixiora colligerent: **spqr** senatus populusque romanus; **pc** 245 tres conscripti; **pr** populus romanus; **dms** diis manibus sacrum; **vf** vivi fecerunt; **tsi** testamento fieri iussit; **aac** ante audita causa; **bm** benemerentes; **bh** bonorum heres; **cm** causa mortis; **Cs** Caesar; **Csa** Caesar Augustus; **aed** aedem dicavit; **dd** dedicaverunt; **dgm** dignus memoria; **dqs** die quo supra; **sg** sacrilegium; **epm** epistulam misit; **fdb** fide bona; **h** heres; **hh** heredes; **hi** hereditario iure; **Ll** Lucii libertus; **hln** honesto loco natus; **ss** satis; **k** carissime; **kk** carissimi; **ii** iuste iudicavit; **sc** senatus consultum; **sd** sententiam dicit; **stp** statutum tempus; **sttp** statuta tempora; **oo** omnino; **rp** res publica; **vc** vir clarus; 250 **vg** verbi gratia; **rbg** re bene gesta; **ls** locus sacer; **lg** legavit; **ld** locus divinus; **lld** locus dedicatus; **qdev** qua de causa venit; **ff** filius familias; **pf** pater familias. Alia sunt innumerabilia iisdem in commentariolis, quae dum oculis ac mente percurro, nullum nisi latinum occurrit, a consuetudine vulgari diversum, 260 qualiter nunc aetatis nostrae viri litterati loquuntur. Alioquin in-

---

244 acciperent *codd.* | 247 vivi] vim *codd.* | 250 die (die *B*) quomodo *QB* | 253 carissimus *VrB* | 261 qualem *Vr*.

ter tot auditorum milia nemo, nisi idem insonaret, sermonem faceret, nisi dicta perciperentur et ad unguem intelligerentur.

Suecurrere plura sane cogitanti argumenta possunt, quibus 265 latina lingua litteraris, non ut haec materna vel haec barbaries, erat; sed unam adiciam rationem, reliquis vale dicturus, quae meo iudicio refelli non potest. Ex quo rerum humanarum divinarumque scriptores apud nostros esse coeperunt, inter tot de medicina de iure civili de moribus de re militari de rebus gestis 270 de re rustica de religione, postremo de artibus ac disciplinis volumina primis conscripta saeculis, tantillumne commemorare potes hoc vulgari et operariorum sermone compositum? minime sane. Quamobrem? quia in ipsa mortalium sermocinatione non erat, cum ne minimum quidem eius vestigium extet.

275 Vale princeps illustris et dum abes interea me ut facis amare perges et memoria me tenebis. Vale felix iterum.

<Ferrariae> V kalendas augusti 1449.

## 814.

(Jagell. 1956 p. 968).

Guarinus cl. v. domino Io<hanni> sal. <pl. d.>.

Beneficio et liberalitate generosi et magnifici viri N<ieolai> Lasoezsky patrui tui filius meus facultatem adeptus est a summo pontifice unius praebendae Vincentinae, pro qua conservanda 5 mittit ecce filius procuratorem suum d. Mathaeum Zaniolum, cui ut faveas oro vel gratiae conservandae iuvandaeque <causa>, quam patruus quaesivit, ut quantum vir ille in acquirendo laboravit, tantum virtute tua instes ut acquisita conserves et custodias. Non dubites quin gratum illi feceris meque obligatum fe- 10 ceris et meos. Vale generose Io<hannes>.

Ferrariae <marzo 1448>.

263 perciperent *Vv* | intelligerent *Vv* | 277 *rel* nonas *codil*.

814, 5 Zamolum *cod.* | 8 custodies *cod.* | 9 quam *cod*

## 815.

(lagell. 1956 p. 964).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. generoso domino Iohanni.

Cognitam humanitatem tuam et praeccipuam in me ac meos caritatem semper habui, quam hodierno die non mediocriter confirmasti. Scripsit enim ad me vir prudens et tui amantissimus d. Antonius Maria te vehementer mirari et subincusare, quod male 5 fecerim <qui> gratiam illam, a magnifice et amicorum amantissimo d. Nicolao patruo tuo omni laude dignissimo impetrataam a summo pontifice de canonicatu, publicaverim. Quod errasse me putet et damnet prudentia tua doleo, cui summo studio placcere curavi; quod in me nulla sit hac in parte culpa gaudeo: 10 mutus fui, ne verbum quidem feci. At aiunt consilia peritorum: « praesentandae sunt in scriptis bullae, ne silentium aut tarditas noceat ».

Generose vir d. Io<hannes>, etsi beneficium in meos collatum sit, tamen in primis insigni et magnifice viro d. Nicolao 15 patruo tuo id collatum pro sua in me caritate fuisse arbitror et sentio; qui si ea in re sese derisum intellexerit, idest si suae impetratae gratiae derogatum sciet, sciet autem rem ad unguem, animum suum iudicem facio. Ipse a nullo nisi a summo pontifice rem ipsam impetrare voluit; scit nanque pro <ma>xima sapientia sua, quis nobis pater et quis vitricus sit et unde sol oriri debet inde noctem incumbere. Non dubito d. Nicolaum in Italianam reversurum non multis post mensibus, cui nollem talem offerri nantium, ut gratia pontificis in iniuriam convertatur. Si recte novi Caesareum patrui animum, non aequo latus est animo; quan- 25 quam ipsum pontificem <iustum> esse confidam et exploratum habeam, qui sit dei veri vicarius et <mitator>, de quo dictum est: « caelum et terra transibunt, verba autem sua non transibunt ». Ne plura scribam, a nobis nihil reiectum est; verendum ne a fonte sit ortum quod accusas. Tuum erit, vir magnanime et 30

Loc. 21, 33.

815, 3 conservasti cod. | 6 facerem cod. | 11 at enim cod. | 12  
montanda sint in scriptis bullae cod. | 13 nocent cod.

vere Nicolai nepos, beneficium patrui tueri et rem apud summum pontificem conservare tua intercessione patrui <que> honorem defendere, qui hoc tempore placandus potius quam irritandus est.

Vale. Valet et Michael frater et studet discitque. Manuelem  
35 tibi commendo pro summa in eum caritate paterna patrui tui,  
quem sicut in reliquis virtutibus nullo inferiorem praedico, sic  
studio in amicos omnibus antepono: quem ut imiteris orò pro  
tui animi granditate.

<Ferrara marzo-aprile 1448>.

## 816.

(Jagell. 1956 p. 968).

<Guarinus Veronensis d. Nicolao sal. pl. d.>.

Vir magnifice.

Cum magnam tua ex præsentia mutuisque colloquiis voluptatem capiam, libenter has ad tuam magnificentiam litteras do,  
5 cum inter seribendum tecum esse « et vivas audire et reddere voces » videar. Quod autem molestum huic meae delectationi oblatum est, vix audieram nuntium ad te ire velle, cum mox iter ingressurus dicitur: itaque brevior sim necesse est. Fingam vero mihi ipsi tuam ad præsentiam salutandi et visitandi causa venire,  
10 quem si occupatum inter multa maximaque negotia cernerem, ne tibi molestus essem, mox « vale pater optime » dicerem. Sic et mihi nunc faciendum est, præsertim cum grandia te negotia detinere credam, si vera sunt quae fama disseminat. Nam fortissimum illum Voyevodam, ad magnifica natum virum, dieunt manum cum christiani nominis hoste Tureo conseruisse et ingenti clade peracta ad veri dei laudem victoriam ac triumphum reportasse. Haec sunt nobis optanda bella, non ut Italica vereque ci-vilia, quae per ambitionem et avaritiam tantas de suis strages,

---

31 tuere cod. | 34 Mannentem cod.

816, 5 essem cod.

edunt. Spero pro tuae promissionis fide te cito visurum et <sine> incommodo tuam paternitatem amplexurum. Io<hannes> noster 20 valet, studet, doctus evadit; bene valet et Michael, legit auditque. Filius Manuel, immo vero et filii omnes tuae se commendant paternitati.

<<Ferrara fine del 1448>.

### 817.

(Iagell. 1956 p. 975).

<Nicolaus Lassocki Guarino Veronensi s. p. d.>.

Clare vir et frater.

Habui litteras tuas et Manuelis filii. Petebas <ut>, quemadmodum auctor fuerim quo reservationem consequeretur, nunc favorem et darem operam, ubi opus esset, in certamine ut canonicatum et 5 prebendam Veronensem, pro qua dubium surgebat, re assequeretur. Omnia fecisset; sed scio filium tuum Manuelem per summum pontificem esse pacificatum, ita <ut> opus non putem in presentiarum ea in re opera nostra. Si aliud evenerit pro comodo tuo et filiorum, certior fiam: diligentem in omnibus operam pre- 10 stabo.

Mitto ecce duos nobiles adolescentes ad te erudiendos, quos suscipias velim et ita commendatos habeas, ut meos soles et consuevisti. Unus archiepiscopi Gneznensis nepos est, regni illius nostri amplissimi prelatorum, alter nobilium genere insigni; habent 15 pecunias aliquas, brevi de pluribus providebunt. Io<hanne> meum tibi commendo, qui studeat et prestet. Cominiſi cuidam familiari meo ex H. redeunti ut certas pecunias tibi obsignet, qui his diebus adesse debet; plures etiam postea mittam et satisfaciā omni debito meo. Iſtos iuvenes commiſſos habeas; ma- 20 xima confidentia abs te instruendos iri ductus transmitto quos imbuas, demum elimes et viros effice, quales celebris scola tua procreat et producit; facies credē rem amantissimam; omni la- bori tuo et industrie satis dabunt.

<<Roma agosto 1449>.

25

## 818.

(Iagell. 1956 p. 968).

<Guarinus Veronensis Nicolao v. cl. sal. pl. d.>.

Reverendissime in Christo pater et domine.

Non defuit omnis diligentia in repetendis ex Vincentia litteris a Lusco; sed cum tardam remissionem cernerem, denuo 5 misi litteras geminatas. Rediit igitur nuntius et d. Luscum diu esse absentem nuntiat; nam cum sit ducturus uxorem, Venetias abiit res et ornamenta sponsae capturus ibique est. Causa haec tarditatis est a me dicta, ne me lentum fuisse tuae p<aternitatis> ad mandata credas; ut primum assecutus fuero illas, cu-10 rabo ut ad te volitent.

Reverendissime pater, ad tuae liberalitatis auxilium confugio. Nam multis oppressus expensis et praesertim in dandis insignibus doctoratus filio, quem etiam medicinae studio incumbente munire libris ad eam facultatem necessariis opus fuit, non suffi-15 cio tanto expensarum ponderi. Itaque, benignissime pater, ad te confugio ut meis succurras necessitatibus; ad quod implorandum spes grandis, quam in tua p<aternitate> locavi, me dicit: tu mihi pater, tu mihi benefactor es. Io<hannes> bene valet valdeque proficit discendo. Zavissius legit, discit. Valeat t<ua>20 p<aternitas>, cui me commendo.

Ex Ferraria <agosto-settembre 1449>.

## 819.

(Iagell. 1956 p. 965).

<Guarinus Veronensis v. cl. Nicolao sal. pl. d.>.

Reverende pater et domine.

Cum maxime cuperem de salute vestra sentire, litterae

818, 14 minime cod. | 18 bene valet] videlicet cod. | 19 Zanissius cod.

819, 1 Epistola Guarini ad Nicolaum decanum Cracoviensem cod.

v<estrae> p<aternitatis> allatae sunt e Roma, quae me voti compotem fecere; itaque laetum hunc diem habui, quo tam iocundus de v<estra> r<everentia> nuntius per litteras venit. At vero non nihil acerbae fuerunt cum memoriam Iohannis mei refricaverunt, cuius mores probi, suavitas in convivendo, humanitas in sermone universos in suam benivolentiam caritatemque convertebant. Eius igitur iactura tanto gravior, quanto vita nobis iocundior; eius dulcedo in verbis, in rebus, in omni denique vita Iohannis Italici cognomen apud contubernales pro singulari caritate vendicavit. Mortuus est, at ipsius probissimi et integerrimi adulescentis vivet apud nos « semper honos, nomen<que> suum laudesque manebunt ». 15

Verg. Aen. 609.

Quod autem permolestum est, scribit r<everentia> v<estra> me turbari animo quod pecunias non acceperim pro pueris. Id minime fuit nec minime ullo pacto esse potest; ea pro re ne verbum quidem ullum ulli feci, non in vultu nutum, semperque mutus mansi. Ceterum scripsit e Roma vir quidam vestram r<everentiam> transmissuram esse argentum; seiseitari etiam nunquid accepisse; cui respondi: « minime », sine ulla querela vel verborum turbatione. An ego in vestram turbarer paternitatem, cui omnia me debere confiteor pro vestris meritis et amore vetusto? tam levem me iudicatis hominem, ut qui summam vobis reverentiam debo, turbationem educerem? Haec mihi non parva tristitia est! Si talem de me induistis opinionem et si ita sentitis, non dolere non possum. Pecunias et vestes et alia bona vestra in sernio, ut dicitis, habere me credo nec formidarem: opem vestram implorare cum necessitas ingrueret. Fuius in magnis conflictationibus febrium; tota ferme familia febricitavit diutius et graviter, cum magno pecuniarum damno, ut vacuus manserim. Solus Iohannes et Zavissius febre nihil aegrotarunt. Eis nulla in re deficio; Iohannes mirifice proficit, studiosissimus est et ingenio bono; alter quoque sedulo disceit. Si pecuniam mittere dignabitur vestra r<everentia>, a vestra liberalitate munus recipere fatebor.

Litteras mittendas Vincentiam nullas vidi meis alligatas,

---

12 Hilarici? | 18 nec inane cod. | 21 seiseitare cod. | 32 manseram cod. | 34 profecit cod.

quas si habuissem, operam et curam apposuisse vigilantem et  
 40 sedulam. Valete pater optime. Non desistam tamen scribere Vincentiam pro epistula illa, quamvis tempus significare non possum.  
 Dominus mea et reliqui filii mei servitores vestri v<estrae>  
 r<everentiae> sese commendant.

<Ferrara seconda metà del 1449>.

## 820.

(Iagell. 1956 p. 966).

<Guarinus Veronensis Nicolao v. cl. sal. pl. d.>.

Reverendissime in Christo pater et domine singularissime.

Sicut aliis ad vestram paternitatem litteris meis scripsi, mox  
 per certos nuntios non unas tantum sed plures misi Vincentiam,  
 5 ut v<estrae> p<aternitati> morem gererem, quod supra omnes mortales debeo. Ecce diligentiae meae et oboedientiae testimonium, ipsius scilicet domini Francisci Lusci litteris meis respondentis; dicit autem se alteras ad sapientem physicum magistrum Tadeum mittere, quas non vidi. Haec satis; si quid fa-  
 10 ciendum est, imperate, ego iussa capessam.

Reverendissime pater, ad vestram confugio liberalitatem, ut  
 necessitatibus meis succurrere dignemini; nam tot sum hoc anno  
 praecipue gravatus expensis, ut quo me recipiam ignorem, nisi  
 munificentia vestra me iuvet. Fuimus omnes in familia mea fe-  
 15 bribus oppressi, ut uno tempore septem et decem una iaceremus  
 in domo; unde sic exhaustus <sum>, ut « aridior sim pumice »,  
 quod nisi esset, tacerem, praesertim vobiscum, cui omnia debeo.  
 Sed cum ita gravatus sim, ad quem recurrerem qui mihi subveniat,  
 nisi ad patrem ac dominum meum qui nunquam deserit  
 20 sperantes in se? Valeat v<estra> p<aternitas> cui me commendo. Io<hannes> bene valet et optime proficit.

Plaut. Aut. 297.

<Ferrara seconda metà del 1449>.

---

820, 5 moram cod. | 7 responden cod. | 16 sim] sum cod. | 20 spe-  
 ran cod.

## 821.

(Iagell. 1956 p. 969).

<Guarinus Veronensis d. Nicolao v. cl. sal. pl. d.>.

Reverende in Christo pater et domine mi observandissime.

Si crederem mea ad v<estram> p<aternitatem> scripta pervenisse, litteras ultra non scribendas esse putarem, sed tantum v<estrae> p<aternitatis> respcionem expectandam. Domine, 5 meam necessitatem cui scribere debeam non video, nisi amicis et benivolis, quorum vos principatum obtinetis. Idcirco cum res domestica urgeat, tot ingruant impensae ad tantam sustentandam familiam, tot libros pro filiorum studiis emendos, opus etiam multo est argento: ad quod comparandum cum per me non valeam, ad vestram configio solitam liberalitatem et quidem Alexandream, qua in vestros soletis uti. Profecto nisi necessitas incumberet, tacerem, pro vestris in me ac meos beneficiis; signum est quod iam ultra biennium semper cum v<estra> p<aternitate> tacui; nunc pro mea in vestra p<aternitate> fiducia 15 rogo ut meis succurratis incommodis, ut obligatum me obligatissimum faciat v<estrae> r<everentiae>, cui me ac filios intime commendo.

<Ferrara seconda metà del 1449>.

## 822.

(Ottob. 2251 f. 160v; Parig. 14394 f. 43v, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist. III* 18).

Poggius p. s. d. Guarino suo v. cl.

Dum in solo patrio essem, quo diverteram pestis gratia, reddite sunt mihi abs te bine littere et Epistole Plinii quas a te petiveram pontificis nomine.... Nunc ad curiam reversus tradidi

5 Epistolas pontifici quas libenter vidit et hec ad te exaravi...  
 Ego mi Guarine delector tuis laudibus, que licet maiores sint  
 meritis meis... Vir doctissimus mihique amicissimus Franciscus  
 Marescallus noster, qui pro sua humanitate me sepius videbat...  
 Diodorum iam absolvi magno quidem cum labore, eos scilicet  
 10 libras quos fabulosos appellavit; et ut existimo, opus tibi placebit,  
 cum non sit ita traductum, ut totus grecus appareat. Hierony-  
 mum tuum diligo perinde ac si meus natus esset; si qua in re  
 ei prodesse quivero, ero sibi parentis loco; verum ubi sit aut  
 quid agat, cum adhuc recens in curiam venerim, ignoro. Librum  
 15 tuum pontifici tradens dixi que in rem pertinebant; et sane pon-  
 tifex affectus est doctrine tue ac virtuti. Vale mi Guarine et me  
 ut facis ama.

Rome die VII decembris 1449.

### 823.

(Est. 772 f. 65<sup>v</sup>; Roma Vitt. Em. Varia X f. 308; Harleian 2580 f. 123<sup>v</sup>:  
 Vicenza G 6. 8. 26 p. 167; Vatic. 2934 f. 244; 3399 f. 320; Regin.  
 1612 f. 143; Tioli XXXVI f. 92<sup>v</sup>; Escorial Ia. V 26; pubblicata da  
 Martene et Durand *Ampliss. collect.* III 857 di sul cod. Regin.: cfr.  
 Verani *Giorn. de' letter.* XX 291).

Guarinus Veronensis doctissimo dei praeconi fratri Iohanni  
 Pratensi pl. in Christo sal. d.

Quam nescia mens hominum sit mihi ipsi testis sum optimus,  
 qui cum pauperem me hactenus esse opinarer, me tuis ex hu-  
 5 manissimis litteris locupletem iam pridem fuisse cognovi, et qui-  
 dem eius generis bonorum quae nec auferri nec eripi valent, tuae  
 videlicet caritatis et benivolentiae, quam tua ex bonitate et meae  
 virtutis opinione, utinam non falsa, ortam et educatam esse dicis,  
 auctore ut scribis sancto eruditio et eloquentissimo Iesu Christi  
 10 tubicine fratre Alberto, meo quandoque schola quidem discipulo,  
 praedicatione vero magistro. Talibus, idest tui similibus, « pla-  
 cuiisse viris non infima laus est » thesaurusque pretiosissimus:

Borat. Epist. I  
17, 33.

te igitur primum fratris Alberti ductu et auspicio, tum integritate et doctrina tua extensis amplexibus et toto, ut aiunt, pectore accipio, colo et veneror. Ceterum ad reliquam epistulae tuae partem respondeam necne subdubitavi. Tacere enim duri visum est hominis, praesertim cum tua sim invitatus epistula, rescribere autem doctum exigit hominem volumenque grandiusculum; hinc epistularis brevitas pudorem aliqua loquendi nobis imponit, tecum maxime quem rigidum morum censorem populus habet. Tuo tamen invitatu scribendi vires et animum recipiam vel ea potissimum ratione, quia non certandi pervicacia sed discendi cupiditate ducar, Socratis et Solonis exemplo, quorum alter tanta discendi tenebatur industria ut versibus glorietur: *γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος* idest multa discendo continue conseresco, « Socrates autem aetate provectus tractandis fidibus operam dedit », ne in tantis doctrinae suae divitiis parvula musicae accessione destitueretur.

Cum aliis rationibus, tum vitae tuae operibus virum te bonum iudico et egregia integritate praeditum, qui nisi ceteros tales esse cernas qualis ipse sis affligeris et praecipuo moerore torqueris, velut in quorundam lectione scriptorum gentilium, quos adeo non dicam spernis et abicis, sed abominaris et insputas, ut execrandos habeas et publice praedices illorum librarios, lectores, possessores, venditores, emptores: tantus in te regnat dei zelus, Christi serve frugi et legis minister ardentissime. Plerique mirantur et quaerunt quamobrem inter poetas tuo decreto comburendos Virgilium quoque ipsum non annumeres: primum quidem quod non parum lasciviae libidinisque volumen interset quod iuventutem alliciat ad voluptatis illecebras, deinde quod Didonem sua aetate castitatis exemplum viduitatisque continentissimam custodem tanta calumnia involverit, ut infamem reginam posteritas ipsa, Virgili carmine persuasa, falso decantet et adulteram, illam tamen post Aeneam fuisse annis CCXXX vel saltem CXL rerum scriptores affirment. Nisi forte minoris flagitii regalia illa putaris adulteria, quia reginae Didoni et Aeneae regi vel illicita ipsa

Justin. XVIII<sup>6</sup>,  
1-7; Serv. ad Aen.  
I 267.

---

14 *vel acc - pect - - codd.* | 19 *vel aliquem codd.* | 22 *pugnandi Reg.*  
| 24 Il greco è dato dal Tiol. e dal Reg. | 36 *vel legis om. codd.* | 39  
*vel parvae codd.* | 45 *rel affirmant codd.* | *putarit (rel om.) codd.*

licuerint ; at contra Juvenalis stat sententia severi imprimis satyri : « Omne animi vitium tantum conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur ». Eam vero castam fuisse, 50 quam adulteram Virgilius infamat, Hieronymus pater affirmat contra Iovinianum libro primo : « casta, inquit, mulier Carthaginem condidit ». Execremur itaque Virgilium et igne delendum condemnemus, inquiunt, quem tamen propterea parvuli legunt, « ut videlicet poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibus annis non facile oblivione possit aboleri ». Tolerabis eos retineri perdiscique philosophos, qui omni ratione mundum aeternum esse conantur asserere contra fidei nostrae sententiam, quae « in principio caelum et terram a deo creatam » fuisse praedicat, quasi plus quam natura deus ipse naturae do minus non valeat ? Equidem nonnulla in parte sic tecum sentio, vir optime, ut probos quam tantum doctos malim homines, cum quidem tam prisorum quam aetatis nostrae codices extent, quibus non modo non imbui, sed ne adhaerere quidem adulescentes et teneram aetatem consenserim ; etenim placet illud imprimis 65 apud Plutarchum : « dum tener est gnatus, generosos instrue mores ».

Cogitanti vero mihi et omnino quaquaversum diligenter circumspicienti litterarum ordinem gradusque disciplinarum unus postremus ac sumimus homini christiano finis propositus esse vi detur, cui spes amplissimae immortalia praemia pollicentur, ut deum agnoscat, agnatum amet, amato fruatur idest illi propter se ipsum inhaereat. Hunc nobis ostendit et aperta promittit dextera domina illa praeclara disciplinarumque regina theologia, cui reliquae, velut ancillae, musae artes doctrinaeque subserviunt obsequuntur et ministrant. Sunt quae vestes ornent, aliae capillos concinnant, aliquae linguam membra corpusque disponunt ; ea vero cunctarum sermones audit examinat et officiosum postulat ministerium, si qna herbarum, arborum, fontium, fluviorum, montium, avium, bestiarum nomina naturas formasque et urbes ac tempora 75 commemorat, libens intelligit, ut quae suae conducant excellentiae et perfectissimae maiestati. Hinc effectum est ut qui ad fastigium

67 vel quoquov - codd. | 73 vel disciplinarum regina codd. | 77 vel cunctarum om. codd. | 80 vel - cunt codd.

suae dignitatis aspirant, vel minimis sese muniant, alioquin debiles ad amplissima consensuri culmina. Nam ut scripturarum parens Hieronymus noster asserit « non sunt contemnenda quasi parva sint, sine quibus magna constare non possunt ». Haec fri-  
85  
gidiora fortasse videntur adduci sine appositione exemplorum; proinde testes quasi vitae magistri nobis excitandi sunt: an vero recte, tu pro tua aequitate ac sapientia iudex eris et censor, immo vero et magister. Soleo magnos illos et excellenti ingenio viros et christiani populi doctores ante oculos ponere et eximia quadam admiratione venerabundus prosequi. Illi non solum in secretis et supra hominem reconditis scientiis admirandi, sed in hisce pusillis sic diligenter impleti, ut eos vel syllabarum vel pedum ratio numerusque minime fugiat, turpe credo existimarent futuro magnorum exercituum imperatori, ut cum acies multipli-  
95  
citer struere noverit, calcaria tamen locare, gladium crisperare, hastile torquere nesciat et spectanti gregario militi ludibrio fiat. Sic qui difficiles Evangelii nodos solvere profiteantur, vel unius ignoratione verbi deprehendantur irrisi, qualis paucis ante annis praedicator quidam, alioquin non indoctus, exposuit ethnicos qui 100  
e Siciliae monte Aetna venerant et cum Thebarum conditorem Cadnum pronuntiare deberet, Cadinum, irridente concione, de-  
cies effutiit.

Redeamus ad institutum. Non adducam Moysem illum divinae legis principem et Iudaici gubernatorem populi, non Danielem 105 tanta sapientia praeditum, ut senes puer superaret, quorum celeberrima apud prius etiam saeculum fuere nomina: hi certe prius quam sacrarum studia litterarum et arcana scripturarum aggredierentur, Aegyptiacis sese Chaldaeisque artibus primis imbuerunt. Ad moderniores calamum revocabo, tres non amplius et 110 quos fateare principes: magnum inquam Basilium, graecos inter doctores primarium sive sanctitatem sive diversarum cognitionem scientiarum consideremus; Hieronymum, cui ea est in omni laudis genere gloria, « ut nullius laude crescat, nullius vituperatione minuatur »; Augustinum, vere inter doctos et eruditos angustum. 115

Macrobi. Sat. I  
24.

---

93 *vel amplecti codd.* (*an instructi?*) | 102 Nei manoscritti s'incubuerunt contra spesso *Cadinus* per *Cadmus* | 109 *vel* *incubuerunt codd.* | 113 *vel* *cuius codd.*

De Basilio dicam, non tibi quidem necessaria, cum non descendus sed alios docturus videare: verum qui eius viri devotione ac reverentia tenentur non iniocunde forsitan de illo accepturi sunt quae vir doctissimus Gregorius Nazianzenus eius coaevus <sup>Op. Paris. 1630,</sup>  
<sup>1 324</sup>

120 tradidit e funebri illius oratione nobis excerpta. « Nam cum in Ponti Cappadocia natus esset, egregio apprime ornatus ingenio, cum primum per annos libare disciplinas coepit aetatis primordia sub magno patre, quem communem virtutis magistrum ea tempestate Pontus extulerat, induit et formavit, sub quo vi-

125 tam et studia sic invicem coalescentia admirandus adulescens docebatur ut, quam circularem disciplinam vocant instructus ad veri dei cultum exercitatione converteret, ad futuram sui perfectionem his primis deductus eruditioibus, quas extiores appellant ». « Complures autem, ut idem inquit Gregorius, christiani

130 sunt qui eas disciplinas velut insidiatrices fallaces et longe a deo recientes respuant, male profecto intelligentes. Nam quod quidam caelum terram et aerem et quae ex eis sunt pro deo colunt; quae dei sunt, non ideo caelum terram et aerem spernere ac negligere convenit, verum quantum ad vitae commoda fructumque

135 conducant utenda sunt, at quae ex eis periculum afferant effugienda, ne adversus creatorem creature rebellantes sollicitemus et, quod inquit Apostolus, omnem intelligentiam ad Christum captivam facientes. Sicuti non ignem non cibum non ferrum, non omnia denique reliqua per se novimus aut utilia aut noxia, sed

140 quantum illa vocamus in usum, reptiles quoque bestiolas ad salutis nostrae commodum medicamentis immiscemus, ita ex his studiis quae inquisitione et contemplatione digna existant suscipimus, quantum autem ad daemones ferant et errorem et in perditionis profundum insputamus; verum quod ex his ad dei cul-

145 tum minime prodest, ex deteriori quod melius est perdiscentes, eorum debilitatem ad corroborandas studiorum nostrorum vires facientes aptabimus. Itaque non idecirco disciplinam vituperio atque dedecore dignam existimabimus quia plerisque sic appareat, sed rudes et imperitos huius generis homines censemus, qui quales

---

120 *vel* nobis *om.* *codd.* | 126 *vel* ea *instr.* *codd.* | 131 quod] cum *codd.* | 140 quantum] quomodo *codd.* | 142 *vel* *suscepimus* *codd.* | 144 *inspuamus* *codd.*

p. 323-4.

ipsi sunt tales esse optarent universos, ut res eorum communi 150 ceterorum statu velaretur et hoc pacto imperitiae redargutiones effugerent ». Haec Gregorius. Postquam haec de disciplinarum ordine ab Gregorio iacta fundamenta cernis, eia reliquam Basilii vitam percurramus, ut cum viri gravitatem et doctrinam cognoverimus, eius de studiis consilia et praecepta fidelius capessamus. 155 Is ubi domini satis imbutus extitit, ut nullum eum bonorum genus effugeret, Caesaream approperat, quo et illius scholas sibi quoque communes efficeret, extremam quasi manum primis litteris impositurus: qua in re apum industriam imitatus est quae ad mella conficienda omnibus ex floribus quod operi conducat ex- 160 cerpunt. Inde Byzantium advolat, ubi philosophiae partes optimas colligens et ingenii bonitate ac celeritate adeptus, mox bonarum et excellentium doctrinarum genitrices atque nutrices Athenas venit, ab eximia quadam perdiscendi et insatiabili aviditate pertractus, ut perfectissimo templo culmina et fastigium adiecturus. 165 Hunc igitur, quando ad eius testimonium nos remittis, audiamus ut eo teste tu index sententiam proferas quam sequantur auditores tuque pro tua aequitate promulgationem revoces, ne ut pertinax dixeris: « quod scripsi scripsi ». Non enim victoriam quam veritatem mavis, pro qua vinci quam vincere alioquin speciosius est: et nobis profecto certamen quoddam incumbere putandum est et quidem omnium certaminum maximum, cuius gratia cuncta tentanda sunt et totis viribus incumbendum. « Ad huiusce rei praeparationem et poetis et oratoribus et scriptoribus ceteris, omnibus denique hominibus inhaerendum, unde nobis ad ingenii 170 exercitationem aliqua sit accessura utilitas ». Et paulo post: « Si ut indelebilis sit apud nos probitatis sententia cupimus, cum his extraneis disciplinis fuerimus imbuti, tunc sacris et occultis operam dabimus ». Sentis adhuc, vir optime, non stomachandos, ut aiebas, sed lectitandos scriptores omnes? Inferius subdit, quod 180 et attende: « Primo ut a poetis incipiam, cum illi varii multiformesque sint, non omnibus quae ab illis dicuntur adhibenda est mens; sed cum excellentium virorum facta aut dicta commemorant, tunc tota mente moveri atque inflammari debeamus ma-

p. 325-6.

Ioh. 19, 22.

Bas. Op., Par.  
1722, II 173.

175 omnibus denique hominibus inhaerendum, unde nobis ad ingenii 175 exercitationem aliqua sit accessura utilitas ». Et paulo post: « Si ut indelebilis sit apud nos probitatis sententia cupimus, cum his extraneis disciplinis fuerimus imbuti, tunc sacris et occultis operam dabimus ». Sentis adhuc, vir optime, non stomachandos, ut aiebas, sed lectitandos scriptores omnes? Inferius subdit, quod 180 et attende: « Primo ut a poetis incipiam, cum illi varii multiformesque sint, non omnibus quae ab illis dicuntur adhibenda est mens; sed cum excellentium virorum facta aut dicta commemorant, tunc tota mente moveri atque inflammari debeamus ma-

162 ac] *vel* et *codd.* | 174 *vel* ceterisque *codd.* | 184 *tunc*] *vel* hinc. *codd.*

185 ximeque conari, ut tales ipsi simus quales illi fuere ». Bene profecto, cum eiusmodi lectio virtuti capessendae aut ingenii ornamen-  
to suscipiatur delictisque vitandis et in aliena persona dete-  
standis. Quapropter bene subditur: « Cum vero in improborum  
hominum mentionem incidunt, fugienda est illorum imitatio aures-  
190 que claudendae ». Nec vero quisquam sanae mentis homo vel  
mediocris turpitudinem probaverit obscenosque mores. Eam ob  
rem sanctus vitae magister addidit: « Deorum yero adulteria at-  
que amores et scelestos concubitus ac eos maxime summi ac  
principis omnium, ut illi asserunt, Iovis, quae ne de pecudibus  
195 quidem sine rubore quis diceret, iis relinquemus qui in scaena  
versantur »: cum scilicet mimis convenientia recitanda, impudieis  
hominibus qui sic abiecti sunt habiti, ut ne tribu quidem digni  
censerentur annumerandi. Haec tecum sentio et sic improbo, ut  
surdis auribus audienda et caecis oculis legenda, sed tamen le-  
200 genda utque dicitur de legendis rosis, spinae relinquendae.

Hactenus suam Basilius sanctus satis navasse videtur operam. Supplex et pronus in humum dehinc patrem Hieronymum obsecrabo, ut vel sui ipsius exemplo in legendis scriptoribus gen-  
tilibus dux nobis adveniat et praceptor et ad communem cau-  
205 sanum patronus; nam et « sua res agitur ». Eius oratione ferme hunc in modum exordiens utar. Nos autem non dico Iovem reli-  
quosque deos, ut pagani dicerent, cum verius daemones credendi vulgandise sunt, sed ne solem quidem ac lunam, non angelos,  
non archangulos colimus et adoramus, ne serviamus creaturae  
210 potius quam creatori, qui est benedictus in saecula; cum Iovem ipsum non modo non deum, sed flagitosum impium procacemque in utriusque sexus adulescentes, in parentes, in sorores fuisse eosque homines mortuos vera declarat historia et ipse Hierony-  
mus testetur. Nonne Paulus et Barnabas cum a Lyeonibus Iu-  
215 piter et Mercurius putarentur et eis vellent hostias immolare,  
sciderunt vestimenta sua et se homines dixerunt esse? Non quo meliores non essent olim mortuis hominibus, Iove et Mercurio,  
sed quod sub gentilitatis errore honor eis deo debitus deferretur.  
Quod si de legendis poetis historicis ceterisque scriptoribus pa-

.193 *vel* maximi *codd.* | 194 *vel* nec *codd.* | 196 *vel* recitando *codd.*  
| 213 *vel* declarat *codd.* | 218 sed quo - non deferretur *Vat.* 2934.

p. 176.

Augustin. *de*  
*cic.* II 13.*Horat. Epist. I*  
18, 84.*Act. apost. 14.*  
10-13.

tris Hieronymi sententiam explorare velimus, sua imprimis scripta 220  
docent quae tot poetarum omnium versibus, fabulis, rerum ge-  
starum expositione redundant, ut lectorem nisi peritum fallant et  
plerunque soluto metro liberiorem in prosam effundatur, cum nulla  
scribendo capita, nulos nominatim auctores eloquatur. Ne longe

Migne P. L. 22, 870. abieris: « paene lapsus sum, inquit, ad aliam materiam et cur- 225  
rente rota dum urceum facere cogito, amphoram finxit manus ».

A. P. 21. Nonne hoc ex horatiano deceptum est carmine: « amphora coe-  
pit Institui, currente rota cur urceus exit? » Et « rudit testa diu

Migne 872. Horat. Epist. 1 2, 69. et saporem retinet et odorem quo primum imbuta est »: « Quo 230  
semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu ». Et « in-

Migne 534. clusum hostem Argum, ut fabulae ferunt, centum oculis obser-  
vare ». Tolle poetarum notitiam: quonam modo purus et simplex

Migne 1073. sacrarum lector litterarum illud intelliget? « Ubi Charybdis et radix 235  
omnium malorum avaritia, ubi Scyllaei obtrectatorum canes,

quomodo in media tranquillitate securi libycis interdum vitiorum Syrtibus 240  
obruamur ». Nonne cursum Aeneae et allegoricum mun-

Migne 1082. danae vitae statum aperit? Illud tacere non possum, ut tecum ratiocinando vel doctior fiam vel errorem agnoscam. « Ne credas;

ait, laudatoribus tuis, immo irrisoribus aurem ne libenter accom-  
modes, qui cum te adulationibus foverint et quodammodo impo-

tem mentis effecerint, si subito respexeris aut ciconiarum depre-  
hendas post te colla curvari aut manu auriculas agitari asini

aut aestuantem canis protendi linguam ». E satyra Persii car-  
men in prosaicum traductum est sermonem: « O Iane, a tergo

1 58-60. quem nulla eiconia pinsit, Nec manus auriculas imitata est mo- 245  
bilis albas, Nec linguae quantum sitiat canis appula tantum ».

Alia sunt in aliis innumerabilia paene, quae lectionem poetarum  
exigant ad intelligendum, sine quibus errabundum velut absque

baculo caecum legere non negabis.

Quid de Terentio Hieronymus noster sentiat, quem tu tam 250  
rigida censura indicta causa cum possessoribus emptoribusque

Migne 22, 534. cremandum condemnasti, recordare quid scribat ad Furiam de  
viduitate conservanda: « Salvator, attendite, inquit, vobis, ne forte

graventur corda vestra in crapula et ebrietate. Et Apostolus,

---

224 *capita*: intenderà i paragrafi, § | 236 et] idest *Vat. 2934*. |  
253 *virginitate ed.*

255 nolite inebriari vino in quo est luxuria. Nec mirum hoc figulum sensisse de vasculo quod ipse fabricatus est, cum etiam comicus, cuius finis est humanos mores nosse atque describere, dixerit : « sine Cerere et Libero friget Venus ». Quod moralis philosophiae quis recte appellaverit officium. Huic sententiae, sobriae 5, 6. *Tet. Eun. IV*

260 quidem atque morali, quam concinne carmen illud quadret non diffiteberis, ab ebrio iuvene dictum ut quantopere fugiendus sit immoderatus vini usus edoceat : « Atat data hercle mihi verba sunt, vicit me vinum quod bibi. At dum accubabam quam videbar mihi pulchre sobrios. Postquam surrexi neque pes neque 265 mens satis suum officium facit » ; ut ex ebrietate corpori atque animo duplex ingruere ostendat incommodum. Quid de stoma-chandis meretricibus quam salubre iuveni documentum : « Tum hoc alterum, id vero est, quod ego mihi puto palmarium, Me repperisse quomodo adulescentulus meretricum ingenia Et mores 270 posset noscere : mature, ut cum cognorit perpetuo oderit ; Quae cum foris sunt, videtur nihil mundius Nec magis compositum quicquam nec magis elegans, Quae cum amatore suo cum coe-275 nant, liguriunt. Harum videre ingluviem sordes inopiam, Quam in honestae solae sint domi atque avidae cibi, Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent. Nosse omnia haec : salus est adu-lescentulis ». Quis pictor aptius corporis lineamenta, quis vivendi praceptor mores magis quam hic ipse comicus ritus meretricis ut evitentur expresserit ? Quid de saecularibus studiis Hieronymus sentiat christiano comparandis, in epistula ad Magnum oratorem 280 non dissimulanter explicuisse recordare. De apostolo Paulo testimonium producens ait : « Sed et Paulus apostolus Epimenidis poetae abusus versiculo est scribens ad Titum : Κρῆτες ἀει ψεῦστε, παπὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri ». « Legerat, inquit, in Deuteronomio Do-285 mini voce praeceptum, mulieris captivae eradendum caput, super-cilia, oennes pilos, et ungues corporis amputandos et sic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum si et ego sapientiam

*Eun. V 4, 7-18.**Migne 22, 663.**Collimach.  
Hymn. 18.**Migne 668.*

265 *mens*] vel manus *codd.* | 266 *incommodum*] quod non tam poetæ quam philosophi munus est *add. codd. Vat.* | 273 rel. vide *codd.* | 275 rel. nosce *codd.* | 282 Il greco è nel cod. Tiol. e Regin.; manea in Girolamo.

saeccularem propter eloquii venustatem et membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva israelitem facere cupio? Et si quid in ea mortuum est, idolatriae, voluptatis, erroris, libidinum 290 vel praecido vel rado et mixtus purissimo corpori vernaculos ex ea genero domino Sabaoth, labor meus in familia Christi proficit ». Tertullianus, Minutius Felix et alii paene innumerabiles quid gentilium litterarum dimiserunt intactum?

Denique Hieronymi sententiam audi quaeso, ut contra sen-

Migne p. 668. tientibus suadeas: « ne vescentium dentibus edentuli invideant nec oculos caprearum talpae contemnant ». Dicerem quam sanctis  
de or. II 36. scripturis necessaria sit historiae cognitio, quam Tullius extollens,  
« historia, inquit, testis est temporum, lux veritatis, vita memoriae,  
magistra vitae, nuntia vetustatis »; nisi eam tibi non probari su- 300  
spicarer, quia beatum Gregorium pontificem iussisse intellexeris,  
ut Livii decades cremarentur, quod ab aliquo qui vigilans som-  
niaret manasse credo. Quaerere tamen audebo quoniam modo extre-  
Migne 22, 878. mam illam epistulae clausulam ad Aletham sine historiae notitia  
intelligere potero: « Gestabo humeris et balbutientia senex verba 305  
firmabo, multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Ma-  
cedonum babylonio peritum veneno, sed ancillam et sponsam  
Christi erudiam regnis caelestibus offerendam ».

Augustinus postmodum succenturiatus accedit et christianae doctrinae commonstrator et dux, legendorum scriptorum tutam 310  
aperiens viam: « Quamobrem videtur, inquit, mihi studiosis et ingeniosis adulescentibus et timentibus deum beatamque vitam  
quaerentibus salubriter praecepi, ut nullas doctrinas quae praeter ecclesiam Christi exerceantur, tanquam ad beatam vitam capes-  
sendam secure sequi audeant, sed eas sobrie diligenterque diiu- 315  
diceant ». Quomodo diudicabunt, si non legerint? ergo legendae et inter bonum malumque dignoscendum est: id est « diu-  
dicare ». Ut verbi causa quod in secundo de civitate dei  
legere me iubes: Si, visa Iovis adulteri pictura « flagitosus

II 7.

---

293 Felix] Lactantius *add. codd. Vatic.* | 297 *rel* dicemus et quam *codd.* | 308 *rel* effe - *codd.* | 315 Dopo *audeant* i *codd.* e l'ed. aggiungono: « Non legere non discere (minime *add. codd.*) dixit sed sequi ». Curiosa glossa polemica! | sed] si *ed.*, scilicet *codd. Vat.* | 318 *rel* gratia *codd.*

320 adulescens », flagitiosus inquam adulescens, « in ea se iactat imitari deum », dijudicabit lector quod praeter ecclesiam flagitium admittitur, quae prohibet adulteria, quae etiam gentilium legibus puniuntur et suppliciis afficiuntur: ubi non poeta scribens, sed malus Iupiter ad flagitia imitanda invitans ab Augustino carpitur, sicut superius illa accusat « numina quae de vita et moribus civitatum non curant sed pessimos fieri sine ulla sui terribili prohibitione permittant ». Cum a philosophis de virtute vitioque tractatur, non ideo eorum scripta legenda sunt quia lectores eorum extrema potius sectentur, media vero omittant, sed

330 contra.

Quid autem Terentium ab studiosis et sciendi cupidis adulescentibus legi prohibet, primum quidem in servanda latini sermonis proprietate ceteris praepositum comicis, Servio teste, deinde facundum eximie et eloquii praecepta ostendentem? Quod ut intellectu facilis fiat, paululum immoremur. Extat Andria illius, quam Caecilius vir doctissimus primo a se visam singulari prosecutus est admiratione. Ea colloquentem cum liberto patronum effingit, rhetoricae facultatis documenta p[ro]ae se ferentem. Primo in loco exordio utitur, attentionis arte servata, cum fide ac taciturnitate sibi opus esse dicat, re nova et praeter expectationem simul et magna proposita. Additur et conciliandi animi, quam benivolentiam rhetores vocant, ratio cum se in Sosiam libertate donatum officiosum fuisse commemorat. Non deest docilitatis causa, cum rei summa declaratur, ubi non veras gnati sed simulatas nuptias sese expositurum ait. Quid illa partitio quam Tullius tanti facit, ut in arte tractanda exemplum hinc exhibens, dicat: « optime partitur senex in Andria », ut quae tripartita illi probetur admodum, tum ordinem partitionis in confirmando et confutando exequens oratorium munus absolvat. Unum praecipue annotandum, qui enucleandis auctoribus fructus videtur eximius. Pamphili vitam pater exponens inquit: « Sic vita erat: facile omnes perferre ac perpeti. Cum quibus erat cunque una his sese

ib. § 6.

*ad Aen. 1.41.**Hieronym. Chron. Ol. 155, 3.**And. 1.1.**de inv. 1.33.**And. II, 35-38.*

327 permittant] ubi sicut Terentius testis adducitur, sic Iupiter improbi accusatur exempli *add. codd. Vat.* | 329 sectentur] idest virtus *add. codd. Vat.* | omittant] idest virtutes *add. codd. Vat.* | 350 rel endandis *codd.* | 351 rel pater *om. codd.*

dedere, Eorum obsequi studiis, adversus nemini, Nunquam praeponens se illis ». Nunquid hoc verborum ordine convivendi formulam adulescentibus ante oculos constituit, ut patientiam ut facilitatem ut obsequentiam exerceant, contumaciam fugiant et prae sumptuosam arrogantiam? Quae qui servarit, et laudes consequentur et amorem, quod sequens indicat sermo: « Ita ut facillime sine invidia laudem invenias et amicos pares ». Haec ipsa lenonum an vitae magistrorum verba, reicienda an sinu complectenda, 355  
 I I, 38-39.  
 26. *Ter. And. II 3,* cremenda an coronis ornanda dicemus? Tu, venerande pater, iudicabis. Seabiosi solent non partes corporis sinceras aut integras, sed putridas carnes ac pustulas quaeritare quas frangant, quos ne sanus imitetur homo « cautio est ». Animadvertisisti credo in pensitandis scriptoribus evenire saepenumero ut personae turpitudo 360  
 Cie. *de off.* 197. describatur, quod poeticum appellavere « decorum »: tunc non scriptor vituperatur aut fugitur, sed <de>scripta persona damnatur, ut cum Evangelista proditorem domini sui Iudam immensesque Iudeos exponit, Evangelistam pie legimus, illos atrociter insectamur: quod et de Terentio ceterisque similibus dicendum 365  
 VII 23. est. Aliter est cum de vitiis et voluptatibus praecepta conscribuntur, quae omnia fugitanda sunt, ut qui de amandi arte de incantibus et magiis, de saporibus et condimentis conficiuntur libri. In omni arte permulta sunt vitia quae vites: in grammatica rhetorica philosophia medicina; num idcirco, ut Iuvenalis ait, 375  
 III 8, 43. « Veneris donanda marito? » Minime vero, nam, ut Quintilianus ait, « et iniquorum ratio noscenda est, ut melius aequa tueamur ».  
 Quia suborta est Iuvenalis mentio, quis in effulminandis vitiis illo vehementior laudandisque bonis promptior, ut ad haec exhorteatur, ab illis absterreat? quod tuum reliquorumque dei praecolum officium est, ut doceant « quid deceat quid non, quo virtus 380  
 Horat. *A. P.* 308. quo ferat error », quale satyrorum munus ostenditur, quos sic familiares Augustinus et reliqui doctores habuere, ut eos suis scriptis et operibus frequenter intexuerint. Ego profecto vel unam Iuvenalis satyram de parvipendendis hominum bonis multis an-

---

364 *vel homo om. codd.* | 367 *damnatur]* auctor ipse laudatur *add. codd. Vat.* | 370 *Terentio]* Plauto *add. codd. Vat.* | 372 *sunt]* si ad voluptatem libidinemque legantur *add. codd. Vat.* | 373 *rel magieis codd.*

tepono philosophis, quam cum legimus, quem vitae magistrum ei compares? In ea reperies quod Hieronymus in commento super Ecclesiasten summatim ait: « Cum omnia quae in mundo cernimus vana esse doceantur nec debere ea nos studiose appetere quae dum tenentur intereunt ». Veniat quispiam et Iuvenalem legendum non esse contendat, cum divinis illum nostris codicibus adeo convenire perspiciat. Vereor ne qui ista contemnunt et abominantur, aliorum linguis non suo iudicio moveantur nec more Thomae in clavorum locos eorum inferre digitos conentur.

395 Ad Augustinum post multa redeamus et cum eo locum hunc concludamus, ut subinde quid statuas audiamus « Si qua forte, inquit, vera et fidei nostrae accommodata scriptores dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vendicanda. Sicut enim 400 Aegyptii non tantum idola habebant et onera gravia, quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenti de auro et argento et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, non auctoritate propria sed praecepto dei ipsis Aegyptiis 405 nescienter accommodantibus ea quibus non bene utebantur: sic doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitionis figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens debet abominari atque debilitare, sed etiam liberales disciplinas 410 suae veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continentes deque uno ipso deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quae debet eis auferre christianus ad usum iustum praedicandi evangelii. Num quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? nonne aspicimus quanto auro et argento et veste sufficiatus exierit de Aegypto Cyprianus et doctor suavissimus et martyr beatissimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? »

Iam finem poscit epistula, ne te prædicatione defessum longioribus verbis obtundam. Tu itaque eum viros sanatos deo placitos omni disciplinarum genere ac numero plenissimos testes

*Ioh. 20, 25.*

*de doctr. christ. II 61.*

---

386 *vel vivendi codd.* | 393 *linguis] et quidem imperitorum add:* *codd. Vat.* | 418 *defessum] et clamore pene raucum add. codd. Vat.*

audieris, auditos perpenderis, perpensos iudicio adhibueris sententiam contra te pro tribunali proferes: in qua proferenda ita te audies ut aliorum te consilia non auferant. Hic agitur non unius plebeculae consensus, sed totius eruditorum ordinis et litterarii senatus expectatio et animarum salus atque pernicies; proinde 425 pro rei magnitudine multum diuque considerabis et, si mihi audies, Albertum et Betunteum callidos et sapientes harum rerum aestimatores vel collegas tibi vel consiliarios adiunges. Seito vero complures esse diversorum in religione ordinum, qui docti praestantesque theologi praedicatoresque gravissimi sunt, et, nullum 430 gentilium scriptorem respuentes, contrariam opinioni tuae sententiam hac in urbe proponentes et adhortantes, tua hac in parte dicta contemnunt et publica concione damnant. Reminiscere vero pro tua constantia te nudiustertius inter praedicandum asseruisse, nova te nulla suspicere sed, per patrum vestigia, vetera tantum 435 consecitari, ne ullum vel dicenti vel audienti vel utriusque praecipitum afferatur. Vale et tuis ad Iesum Christum orationibus me commendatum habe.

Ex Ferraria VII aprilis MCCCCL.

## 824.

(Pubblicata dallo Zacharia *Iter litter. per Ital.* 326 «ex Mutinensis collegii codice manuseripto »).

Defensio fratri Iohannis Pratensis ac libellus eiusdem contra Guarinum de non legendis impudicis auctoribus.

<Iohannes Pratensis Guarino s. p. d.>

Cum te, Guarine carissime, christianum hominem credam atque in Christo baptizatum putem, non ea te iudico malivoltentia 5 commoveri ad scribendum contra me et invehendum adversus publi-

---

427 *vel* Betontaeum *codd.* | et sapientes *om.* *Tiol.* | 432 *vel* praeponentes *codd.* | 438 *vel* habeto *codd.* | 439 La data è del cod. *Tiol.*, Reg. ed Escor.

ea predicata mea, vera utique, ut tanquam rhetor, tanquam rhetorice artis eruditissimus, qui vera suadere velis et falsa... Sane apud eos qui postposito nucleo veritatis amaverunt cortices, divinorum 10 theologorum sententie verbis quidem simplicibus terminate et nulla excellentis eloquentie lance librate risu digne forent... In hac siquidem simplicitate verborum bella militum, victorie imperatorum Scipionumque triumphi quamvis non tradantur, non minus studiosissime tibi, o doctissime vir Guarine, amplectenda 15 erunt, cum tibi precepta ponantur de christianis moribus atque de virtutibus animarum.....

Igitur legenti mihi libellum tuum quoniam visum est te potius contra fictiones libellum edidisse, quam predicationes meas expugnasse ac pro tuo voto liberaliter sicut libuit sententias et 20 verba formasti atque finxisti, nonnulla quippe mihi falso impo-suisti, et ad que tua sunt, veluti si essent mea, diriguntur abs te, et plurima, tela lingue tue; idecirco statuo retexendum omnia, que ad causam facientia predicavi. Omne vero mihi falso obiectum crimen auctore deo etsi confidam tota mentis libertate re-25 spuere, attamen scire te velim plus esse ac fore machinatum in discrimen ac periculum anime tue, quam in damnum aut dedecus honoris et fame mee, que nulla mihi quidem <ratione> tanto studio expertenda aut repetenda foret preter causam quam religione beati Francisci et officio predictoris, cui voluntate maio-30 rum patrum adstrictus sum et hue accitus, si non optarem, tu mihi nefas putas. Igitur contra poetas quosdam impudicos predicavi, quos ut tu salvares et me damnares, falsum, ut ostendam, contra me libellum condidisti, quem ut pro mea veritate et religione repellam tria mihi facienda esse videntur: primum affirmare 35 mea ac quecunque dixi ita Sanctorum auctoritatibus roborare, ut liqueat me approbatissimorum virorum sententias magis recitasse quam meas predicasse; secundum ostendam quod libellus tuus omnino occidat et ante hos viros sapientissimos et doctissimos evanescat; tertium quod debeat pro summa cause tum pro nobis 40 tum pro scholarium commodo definiri.....

Virgilium inter omnes poetas clarissimum recitat Augustinus in primo de civitate dei.... Hoc ipse predicavi et tunc excepta vere fabula falsa Didonis... ut sibi legi eurent hunc poetam parvulos ferrarienses hortatus sum, propter quod hunc laudatum,

Terentium ab Augustino accusatum pro impudicitia deponere non 45  
curarent. Tu hoc intelligens et eo sancto tempore quadragesime  
cum hunc Terentium adolescentulis lectitares, predicationem ferre  
non potuisti et pro zelo excandescens c contra libellum lucubrasti  
atque illum, ut retractare compelleres, adversum me confestim  
protulisti..... 50

Nam extant tot opera pudica Livii, Salustii, Commentaria  
Cesaris et ultra tot christianos doctores habemus Cyprianum, Au-  
gustinum, Hieronymum omni tam humana et divina sapientia  
admirabiles et ingenti luce orationis insignes, qui tanti sunt, qui  
tam pro arte quam pro imitatione bene dicendi non tantum suf- 55  
ficiunt, sed neque legi possunt, ut dicere cogamur: vita brevis,  
ars longa. Igitur abiectis auctoribus impudicis reliquos habeamus  
aut paganos castos aut tam nostros pudicos et ornatos. Quod si  
nobis inesset omnis ariditas loquendi et perorandi rusticitas, de  
illorum posset fontibus irrigari..... 60

Ergo libelli tui ornatissimi eloquentia nos vicisti, o maxime  
Guarine, sed ita veritate in causa ista a nobis superatus es, ut  
quanto magis intenderes ex arte ornate dicere contra nos et ve-  
ritatem nostram, tanto magis ea que videnda et describenda crant  
studio tuo et animo excidere visa sint. Nunc in opusculo sequenti 65  
precibus advoceamus omnis veritatis Christum genitorem omnium-  
que preconum ducem. Is nobis ad populum bene predicandi pre-  
cepta constitutat, quem nemo audire deditur, quibus adver-  
sarius libellus nobis occidat et humanitatis studia bene instituta  
videantur et componantur mores hominum iuvenum senumque. 70

<1450>.

### 824 A.

(Bergam. A II 32 f. 120).

G<narinus> cl. v. Nicolao Barbo sal. pl. d.

Nuper in legendis litteris tuis tacite mihi non mediocris

---

824, 45 *non curarent*: la lezione non soddisfa | 58 tam] tot? | 70  
Explicit defensio fratris Iohannis Pratensis contra Guarinum atque im-  
pudicos auctores.

iniectus est scrupulus, mea<in>ne tecum efferam conceptam  
 cum admiratione iocunditatem et tibi gratuler an solus inecum  
 5 gaudeam tam dulce gaudium. Complures enim, et illos quidem  
 graves homines, improbare video, ut quispiam laudes in fa-  
 ciem proferat, ne benivolentiam vel sic aucupari velle creda-  
 tur, quod officium assentatoris esse contendant; sin ad alios  
 cuiusquam bona praedicaveris, nullam de adulazione suboriri su-  
 10 spicionem: proinde talia in nos aspernari praeconia. Quam sane  
 repudio sententiam nec adduci possum ut credam eos, qui animi  
 magnitudine praestent, factas de se praedicationes abhorre,  
 praesertim cum recte factorum conscientia rerumque bene et  
 cum virtute gestarum recordatio polleat. Illud pusillanimi se-  
 15 que fallentium hominum munus esse dixerim, qui suarum te-  
 stes laudum, ut imbecille iumentum sarcinam, detractantes ferre  
 non possunt. Nec vero laudes in faciem proferri assentatoris of-  
 ficium esse contenderim, cum id non minus certe amico pertineat:  
 laudat amicus laudat adulator, hic ficta ille vera, hic ut sibi quic-  
 20 quam expiscetur ille ut laudato prosit, nam « virtus laudata cre-  
 scit »; amico quidem finis est utilitas cum honestate coniuncta,  
 assentatori autem mera voluptas, unde fit ut e stultis insanos  
 reddat. Tot ex aere marmore cera et olim et nunc dicatas cer-  
 nimis imagines vivis quoque atque spectantibus; nam triumphos  
 25 accepimus victoribus ipsis ex senatus consulto reddi solitos. tot  
 de se carmina, tubarum clangores, militum clamores audientibus,  
 lauream sceptrum palmatam vestem currum tuentibus: haec ipsis  
 triumphantibus, non alteri vicaria tributa est opera. Ad haec ars  
 ipsa dicendi, cuius virtute ac potentia reliquae disciplinae, alio-  
 30 quin balbutientes aut mutae, facundae sunt et eloquentes. ad  
 suadendum inter cetera praecepta proponit ut non modo recta et  
 utilia esse probemus, sed etiam laudem expectatum iri comme-  
 moremus. Unum praeterea oratoris officium circa laudem versatur  
 in primis, a Graecis ἐγνωμοναστικὸν appellatum deque illo tractando  
 35 regulae ac documenta sine assentationis suspicione traduntur. De  
 conciliandis quoque auditorum animis in exordienda causa nun-  
 quid res eorum vel sapienter vel magnifice vel alio virtutis ge-

Ovid. e. P. 13  
2, 35.

Rhet. e. Her.  
III 3-7.

Diodys. Hal.  
Art. rh. VIII 2.

Cic. de Inv. I  
22.

824 A, 18 amico] aīo (= animo) cod. | 31 recte cod. | 35 assen-  
 toris cod.

nere confectas commemorare iubemur? Deum ipsum immortalem enarratis eius bonis <propitium> reddere pie credimus pieque solemus. Isocrates excellens et philosophus et dicendi magister 40 cum adulescentem ad comparandas instrueret amicitias novasque benivolentias, hunc conimonefecit in modum: οὗτος ἀν βούλη ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀπαγγέλλοντας, ἀρχὴ γὰρ φιλίας μὲν ἐπαινος, ἔχθρας δὲ φόγος. Illud autem praeceptum sic latine converterim: quos efficere velis amicos, de illis bonum aliquod 45 erga renuntiantes dicio, nam amicitiae quidem laus, inimicitiae vero vituperatio initium est. Superioribus annis et hac ipsa tempestate vides atque legis capitalia inter multos odia conflagrasse, cum maledicta et invectivas in alios evomuerint. Quae cum ita sint, liceat et fas sit, bona cum ipsorum venia, cum amicis bonis 50 eorum gratulari et illorum praeconii communiter frui. Nostra tum denique bona delectant, si vera fateri volumus, cum in proximum quemque sit eorum facta participatio et adeptorum in socios propagata possessio.

Itaque sublato iam tecum aperte loquendi timore dicam audacius: multa et varia tuis ex scriptis probanda inter legendum occurront. Est ante omnia copia ipsa dicendorum et exundans quasi fluvius: quae prima scribendi et eloquendi commendatio ab 55 ipsis magistris esse constituitur; ut enim a Cicerone traditur « brevitas quidem in aliqua parte dicendi, in universa vero eloquentia laudem non habet ». Nec vero quenquam ideo praedicationi oratorem memini, quia iejune aut aride punicis modo peroraverit; quod et Homero teste verum esse liquet, qui cum orantem Ulixem caneret inquit: ἀλλ' ὅτε δὴ δπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος 60 ἔσθι καὶ ἔπεια νιψάδεσσιν ἔσικότα κειμερίγοιν. Hi versus hoc pacto 65 romanum sonant idioma: Cum vero ingentis misit de pectore voces Ut nivis hibernae cumulus sua verba fluebant. Quid rationes sententias similitudines et exempla, quibus dictio ipsa redundant? vis deinde verborum latine sonantium, proprietas et usitata consuetudo sese efferunt: quae laus in scriptore non extrema 70 conspicitur. Tum purus vocabulorum usus, aperta locutio et dilucida omnes in partes oratio, quam quidem in scribendo virtutem qui non assequitur, fecit de clave ser<r>am, haud « effert ani-

Br. 50.

II. III 221-2.

mi motus interprete lingua ». Non minor collocandorum verborum  
 75 constructio undique perpolita quasi quaedam elaborata per se  
 fluit harmonia, nusquam lectoris pronuntiationem offendens. Alia  
 graviter et serio, non pauca urbane cum salibus, omnia placita  
 et lectori probata et quae auditorem sensim piae voluptate ra-  
 piant, ut cum se legisse ac absolvisse videat, plura legere aveat  
 80 velitque, ut « in tergo needum finitus esset Orestes », ut inquit  
 Satyrus. Haec qui non intelligit imperitus est, qui vero non in-  
 tellecta laudat invidus. Haec ego non laudem, haec tecum non  
 colloquar, hanc tecum oblectationem non communicem? Profecto  
 non legisse malim.

85 Scio, « tibi cornea fibra non est » et ne longior procedat  
 oratio, meam de te sententiam proferre non dubitaverim. Tu mihi  
 ad veterum scriptorum laudem proxime videris accedere cumque  
 multos doctos et eruditos tulerit haec aetas, in eorum ego te  
 numero iure meritoque locandum mea suffragatione censeo. Gau-  
 90 deo mihi et nunc demum iuvat ab ipsis, quantulacunque in me  
 sunt, non abhorruisse studiis, quorum ope et interventu cognatio-  
 nem quandam litterariam inisse tecum videor, qui cum sis ge-  
 nere clarus, disciplina clarior, virtute clarissimus, non minorem  
 accipere quam dare splendorem ab ipso litterarum lumine intel-  
 95 ligis. Vale et me carum amplectere.

<Ferrara settembre 1450>.

Eruditissimo senatorii ordinis viro d. Barbo  
 pro serenissima d<ominatione> Venetiarum  
 vicedomino maiori honorando etc.

## 825.

(Parig. 5834 f. 141; Agram 17. 17. VIII 285 f. 157v, con la stessa data:  
 questo secondo codice mi restò inaccessibile).

Guarinus illustrissimo principi Leonello sal. pl. d. et <a deo>  
 optat.

Quid autem maius optari potest, quam a deo tempestiva sa-

---

89 suffragatione cod. | 92 cum] tam cod.

lutatio, qua non modo tuum venerabile et amabile caput superstes esse ac fore precamur et obsecramus, sed etiam tot homini- 5 bus, tot populis, qui tua ex vita pendent, tuam salutem communem esse novimus, ut superior de tuo excessu testatus est dies, hui quid dixi dies, noctem verius dixerim, quae tam horribiles importarat tenebras et obscuram tuis omnibus, tuis inquam omnibus, tempestatem infundebat; omnis sexus, omnis aetas, omnis 10 ordo tuum in suo vel suum in tuo lugebat interitum. Quid filiolum unicum Nicolaum dicam? cum saepe et omni fere gradu me inter lacrimas rogitans mihi cor foderet et per gemitus oculos evelleret, « die quaeso morietur dominus meus genitor? minime, aiebat, auguror. Nam sancto eum Bernardino pronus et supplex 15 commendavi, ne illo intercepto orbus afflictusque relinquar. Eius sacello, inquit, decem vovi aureos ». Tum ego: « unde vota persolvet? » Mox ille: « paternum quempiam invenire licebit amicum, qui mihi mutuet ».

Mutam vero spectares civitatem; taciti vultus et humecti pro 20 vocibus erant; fama in horas et desperatio moerores augebat; haud enim ignorabat civitas, quanta principis sui erat futura iactura. Norat quanta religione praeditus esset, qui intelligeret,

Verg. Gco. I  
338.

non solum gentili iubente poeta « in priinis venerare deum », sed etiam Salvatore nostro imperante « primum quaerite regnum dei », 25

quid christiani principis sit officium, cuius regni fundamentum in divino iactum est cultu; tum autem declarant quotidianaे tuae psalmodiae et christiano ritu officiorum celebratio. Quam pronus tibi sit ad clementiam animus, quae propria et innata Estensi semper est generi, sciunt omnes. Insitum tibi scitum illud est 30

Herc. fur. 745

Senecae: « sanguine humano abstine, quicunque regnas ». Hoc sentis, princeps benignissime: saevitiam nunquam, severitatem non nunquam, clementiam semper exercendam, quoniam illud

Val. Max. V 1.  
8.

Pauli Aemilii factum extollere soles, qui cum Persen, Macedoniac regem, ad se duci captivum cerneret, suas, licet hostis, non continuit lacrimas, honorifice semper habuit et regium tenere iussit 35

---

825, 7 ut] et cod. | 9 importat cod. | 13 fodetur cod. | 15 augebat cod. | cum cod. | 20 humeri cod. | 27 iactu cod. | tum] eum cod. | declaratur cod. | 29 quam cod. | 33 quam cod. | 35 hosti cod. | 36 regni cod.

habitum. Lynceos quoque in te novimus oculos et subtile illud  
mentis acumen, quo et praesentia et futura prospiciens populorum  
tuorum commodis consulisti, et ita consulisti, ut cum « mors  
40 toto saeviret in orbe » et ferrumi *<ac>* ignis per finitimos so-  
naret agros, a bellicis detrimentis et incursionibus tuum tutus  
tutus es regnum.

Quae vero Leonelli vini ac ciborum abstinentia atque sobrietas,  
qua non palato, sed naturae satisfecit! laboris famis sitis  
45 frigoris caloris supra modum patiens comites ministrosque su-  
ravit. Quid nostri marchionis integritas fides constantia? Nonne  
eam consecutus est *<ab>* omnibus expectationem, ut ad sedan-  
das discordias pacemque componendam commune refugium esset  
et contentionum interpres? Non longe petantur exempla et harum  
50 virtutum testimonia: nuper inter senatum Venetum regiamque  
Aragoniae maiestatem ardente mari terraque bello, id principis  
Leonelli studio et sapientia sic restinctum est, ut mare, prius  
classibus clausum, nunc et lintribus pateat.

Haec atque alia permulta cum mente volveremus et ore  
55 moesti, laerimis suspiriis et gemitu abeuntem vel obeunti aman-  
tissimum nostrum non prosequeremur principem patrem dominum  
ducem? non imitaremur naturam? proximo nanque quatriduo  
nunquam sine caligine moestissimisque nebulis orientem aspexi-  
mus solem; Pater hominum regiae dignitatis splendori condolebat  
60 compatiebaturque pereundi. Quod et Caesari obtigisse rerum scrip-  
tores tradidere. Solis lumen caligine obcessum fuisse et illa tem-  
pestate pallente globum imbecilles calores emisisse oriendo, te-  
stis est Plutarchus. Principes nanque divinitus nobis attributos,  
auctore Homero, magnae immortali deo curae esse multa caeli  
65 maris terrae signa manifestant.

Interim magnum inter pavorem « in vota precesque » minime  
cessatum est; nam commonefaciente ac suadente Francisco civi-  
tatis episcopo, et quidem omni veneratione dignissimo, ut princi-  
pis et gregis sibi crediti salutis *<curam>* et rationem pro  
70 boni pastoris officio gereret, omnia privata cubicula, omnium tem-

*Caes.* 69, 2.  
*Il.* II 445.

Verg. *Aen.* VI  
31.

---

40 sceveret *cod.* | 43 Lenelli *cod.* | 47 consecuta *cod.* | reputationem?  
53 lenibus *cod.* | 60 quid *cod.* | 61 obcessum *cod.* | 62 colores *cod.* | 65  
manifestatur *cod.* | 68 et quid *cod.* | 69 salutem *cod.*

pla sanctorum, omnes religiosi conventus ad invocandum pro te nomen Iesu, id est Salvatoris, conversi sunt. Accipe quaeso mirae caritatis indicium. Purissimae illae corporis Christi virgines sic ad precandum per vices instructae, quasi acies, fuerant, ut ne una quidem cessaretur hora; fessis primis et linguis et plagiis et quidem cruentis, mox excitabantur alterae, quae integrae defatigatis succederent. Quae maior tibi incolumi gloria, quam haec aegrotanti contingere potuit? Ubique cernere erat senes iuvenes et innoxiam aetatem, extensis in caelum palmis, pro Leonelli sanitatem sollicitis rogantes precibus. Quis iam tum non 80 confideret tantarum precum tot votorum tam assiduarum orationum <ope> principem, iuvantibus peritissimis medicis, mox incolumitati restitutum iri?

Quam ad rem quantopere conduxerit illustrissimi marchionis Mantuae <assidua> et iugis indulgentia conspectusque iocundissimus, quis nescit? Is cum fortis et magnanimus ductor sit, Aeneae more Virgiliani ad humanitatis opera primus et obsequia, tibi praesto adfuit exhortator indefessus, unde hanc civitatem et venturam posteritatem et «natos natorum et qui nascentur ab illis» perpetuo sibi devinxit. Quid interea infelix ego? qui artes, si 90 quid sunt, meas et quicquid est in me ingenii ad tui viventis laudes dicaveram, ne ad funebrem mortui orationem convertere cogerer, fronte oculis ore manibus obsecrabam et qui senili aetate mea et ingravescentibus annis te curarum portum habebam, ne tecum naufragus fierem rogabam. Haec quidem hactenus. 95

Dehinc benedictus deus vere pius, vere clemens, vere misericors, qui exaudivit sperantes in se nosque tantis e tenebris educens te pristinae restituit vel spei vel incolumitati, cui et aethra favet et arridet, solem sine nubibus oriri faciens. Quod eo tibi gratius et iocundius esse debet, quod tuorum benvolentiam 100 pietatem indulgentiam recognovisti, quibus tanto carior et amabilior, quanto maioribus curis studio laboribus emptus et redemptus es. Et «haec olim meminisse iuvabit» tuque invicem protua benignitate et summo in tuos amore eos acceptiores amplexbaris, eorum commodis et utilitati serviens, proprietum etiam 105

---

73 iudicium cod. | 77 maiori cod. | 81 to cod. | 92 converti? | 94 portam cod. | 99 quid cod. | 103 tu quae cod. | 104 ex cod., | tuo cod.

oblitus commodorum, quod ego pastoris optimi munus et officium esse contenderim. Quid enim pretiosius, quid locupletius quidque magnificentius populi benivolentia? ea omnis arces moenia thesaurosque superat. Haec nanque in fortuna et in victoris manu posita sunt, illa vel adversis in rebus magis magisque splendescit. Adde quod attentiores animae curam et corporis suscepturus es, cum utrumque tanto discrimine versatum fuisse recordaberis. Beatos profecto mortales, si ea mens et is animus sanis esset, qui aegrotantibus offertur. Nulla vanitatis, nulla lasciviae, nulla lucri cogitatio ante oculos propo<nitur>, una virtutis beataeque vitae recordatio est, sola recte in posterum vivendi viget institutio. Quae cum ita sint, tibi tuaeque reparatae saluti gratulor nostraeque gaudeo ac omnipotenti deo piaeque Virgini et sancto Bernardino gratias ago, tuae, ut firme constanterque creditur, salutis auctoribus. Ceterum, nisi tua secus sentit ac probat excellētia, cen<se>o ut pro tanti recordatione meriti hoc inter publica Ferrariae diaria redigatur epig<ram>ma et tuae maiestatis auctoritate sanciatur, hunc in modum prisco more se <habens>: populus plebsque Ferrariae VI idus septembres ob Leonellum Marchionem principem optimum in columitati restitutum diem festum domi et foris agunto, vota precesque christiano de more quotannis ob suscepti beneficii memoriam professionemque publice solvunto, beatissimae Virgini et sancto dei Bernardino, principalibus salutis auctoribus, sollemnia, quae anastasia principis appellantur, celebranto.

Tuae maiestati me commendō.

Ferrariae XII septembries 1450.

## 826.

(Marc. lat. XIV 221 f. 107; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 462 f. 25).

Guarinus Veronensis R.<sup>mo</sup> domino Pro<spero> cardinali Columnae sal. pl. d.

Proxime litteras tuae paternitatis accepi non parvae in nos

---

108 artes cod. | 111 est cod. | 120 auctoritatibus cod. | 129 principalis cod.

caritatis et benivolentiae testes, quam omnibus illarum partibus quasi rivulis pietatis effundis; eis autem summa cum oblectatione 5 perfectis non potui non et tuae dominationi gratulari et nobis ipsis gaudere ut debui. Nam si stragula veste, pretiosa supellec- tile, vasis magnifice caelatis ut quibusdam beatitudinis partibus gloriari solemus, quae tamen ludibria fortunae sunt et improbis etiam communia, quid faciendum de tanti principis amicitia? 10 Nonne ea nobis triumphandum est, quae uti nobile patrimonium ac illustre legatum ad filios usque posterosque summa cum laude fama gloriaque translatum me ac meos immortali nomine dona- tura est? Nam sicuti et parentum et maiorum decus ad natos 15 usque ac minores transfunditur, sic et amicorum laus et praedi- catio ad amatos propagatur atque dispergitur. Quantum Augusti, Maecenatis, Pollionis nomen celebrabitur, tantum Virgilii Maronis vita durabit. Quae vero dignitas et nominis celebritas, ne a te longe discedam, Francisco Petrarchae suavissimi ingenii, singu- 20 laris doctrinae vati ex maiorum tuorum familiaritate nata perdu- rat! Nam cum gravissimum et eximia sapientia praeditum iudi- cium tuum ea existimatione noscitur, ut non nisi bonos et vir- tute praestantes diligere, delectos amare, amatos amplecti soleas, 25 magnum ex tuo in nos amore splendorem nos consequi posse quis dubitet? Voces illas his auribus haurire videor nos miran- tum nosque praedicantium: « Hic ille Guarinus est, haec illa Guariniana progenies, quam incliti generis homo, tantorum prin- ceps titulorum, tam ardua Ecclesiae columna dilexit amavit coluit, 30 ut suo patrocinio tutari non deditus sit », ut quantum Mar- cellus, Murena, Pompeius aliquique innumerabiles Cicerone patrono 35 claruerunt, tantum Guarini hac ipsa columnā fulti sublimes illu- cescent, sicut ab eo humanissime scripta testatur epistula, quae passim lectitata eos per ora virorum volitare faciet.

Quod autem paternitati tuae gratulandum est, eam prae te fers tuis ex scriptis humanitatem beneficentiam liberalitatem benivolen- 35 tiā, ut omnes hisce virtutibus non minoris te faciant quam ea ec-

---

826, 2 sal. pl. d. *om. Ber.* | 5 *cum om. Mar.* | 9 *tantum Ber.* | 15  
et minoris *Mar.* | 17 *Nasonis codd. (in marg. Maronis Ber.)* | 19 Pe-  
trarcae *Ber.* | 28 *columna*: allusione al cognome « Colonna » | 30 patrono  
*Cicerone Ber.*

clesiae dignitate quam geris. Primum quidem eam multis et longe  
 quidem inparibus geri cernimus, deinde quasi ex ipso virtutum  
 choro quantum ex ea splendoris reportas, tantum atque adeo plus  
 40 longe reddis quam acceperis, postremo quia per te talis tantusque  
 es, eam dignitatem dignitatem esse arbitror atque praedico. Tam-  
 que divina bonitas tua est, ut non satis habeas tanta nos caritate  
 complecti, nisi ad nos tuendos et beneficiis prosequendos tam  
 liberali te chirographo devinctum reddas in posterum, quandoqui-  
 45 dem ab initio debitum tempore superiori absolvere non potuisti.  
 ut languori nostro medelam apponeres. Tacitum est enim a nobis  
 ipsum morbi genus, quod tuae dominationi retegendum institue-  
 ram a patrono et benefactore nostro Noxeto, modo vulnus no-  
 strum tuam medicam manum depoposcisset; sed tantum valuit  
 50 iniqua sors mea novercansque fortuna et Charybdis illa gallica,  
 cui praeter luerum dulce nihil est, ut incolumitatem nostri cor-  
 poris sinceram Aesculapius nescio quis in ulcerus letale converterit  
 vel potius subverterit et, quod desperabilius est, ipse salutis aue-  
 tor insontes ignaros securos nec tale quid expectantes aut me-  
 55 rentes mactandos et aliorum ludibrio exulcerandos tradiderit. De  
 hoc enim plura non dicam, ne de his scribam, qui possunt pro-  
 scribere. Hinc fit ut, cum bene et magnanime verbis familiaris  
 nostri Virgilii me consoleris: « tu ne cede malis, sed contra au-  
 dentior ito, quam tua te fortuna sinat, via prima salutis quo mi-  
 60 nime reris », sperare tamen non audeam. Quae enim prima via  
 salutis esse potest, quae ex sano et sospite aegrotum fecit et  
 ferme expirantem? quid sperare nos iubes in tanta rerum per-  
 mutatione et perversione, ut cum antea verum esset: « quodeun-  
 que ligaverit super terram, ligatum erit et in caelis », nunc re-  
 65 pente invertatur: « quod ligatum erat super terram, in terra so-  
 lutum esse et in caelis? »

Aen. VI 95.77

Math. 16, 12.

Ad tua consolatria verba R.<sup>me</sup> pater revertor et hinc genna  
 amplectens in te velut tranquillo diversorio quiescam. Nos ama-  
 nos suscipe nos tuos amplectere; provide autem et consulto ad

39 eo Ber. | 40 qui Mar., quasi Ber. | 48 Nuseto *codd.* | vultus  
 Mar. (an ulcerus?) | 49 deposcisset Ber., depacisset Mar. | 51 nostram  
 corporis sincerus Mar., nostram corpus sinceris Ber. | 56 quae possum  
 mar. | 57 hic Ber. | 60 tamen] mihi Mar. | 65 inveniatur Ber. | erat  
 codd. | 68 quiescens *codd.*

salutem plurimorum saluti tuae cavens, ad iocundioris aeris amoenitatem te recipies, ut in tua salute plurimorum salutem locatam 70 esse intelligas, quibus pro tua virtute et sapientia natus educatus et auctus es. Commendo me, Hier, Man tuae dominationi.

E Ferraria kalendis octobris 1450.

75

827.

(Veron. Capitol. CCI f. 6; Berl. lat. 2.<sup>o</sup> 667 f. 134; Vatic. 5108 f. 108; efr. Rosmini Guarino II 65).

Guarinus Veronensis integerrimo et eruditissimo viro Silvestro Lando amico praecipuo et Veronae cancellario sal.

Privatas haec tenus tibi laudes gratiasque debebam, qui de me ac meis saepe benemeritus extitisti, nullis a me tibi relatis, nisi quia ingentes tibi gratias habebam. Nunc autem cum tantis tam- 5 que multis laudibus patriam communemque matrem ornaveris, etiam tibi publicas debere me grates et commendationes gaudemus magis an trister nescio. Animo nanque ingenuo nihil tristius accidere posse puto, quam homini benemerito dignas reddere gratias non valere, quem <\*\*\*> etiam superare contendit. 10

Verg. Ecl. V 81. Ego vero « quae tibi quae tali reddam pro munere dona? » Ceterum quom talia de matre proferri praeconia video, « quae tantum alias inter caput extulit urbes, quantum lenta solent inter viburna cupressi », totus exhilaror nec sum apud me prae gaudio. Eam eo maiori caritate prosequor et pietate, quo illa diutius 15 careo. Quid autem malim quam eam « a laudato laudari viro, qui in laude natus in laude educatus in laude vivens », pergis te in dies vincere, quom alios primum aequaveris, deinde superaveris? Illud vero laudis consequeris, quod qui patriam laudaris, in patriae laude vives, et qui in leges patrias exordium 20 tanta facundia tanta copia tanta gravitate conscripsisti, te ipsum

Cic. ad fam. XV  
6, 1.

71 recipiens Ber.

827, 3 haec tenus om. Ber. | 7 post me add. tibi Cap., Ber. | 12 cum Ber.

in laudanda patria legem formulamque praescripsisti. Tibi itaque gratulor et gratias dico, qui in laudum ipsarum ornamenta et testimonia me quoque socium vocasti; ut quantum veronensia vi-  
25 vent instituta, tantum et ipse tua opera et beneficio nominis splen-  
dore doner. De his satis, praesertim quom plurima dicturo plura  
superessent.

Vale et Bartholomaeum filium salvere iube utque litteris in-  
cumbat hortare cogeque.

30 Ex Ferraria XVIII octobris 1450.

### 828.

(Marc. lat. XI 64 f. 1; Veron. Comun. 761 sec. XVII f. 3 con un'inte-  
stazione alterata; pubblicata dal Valentinelli *Biblioth. ms. S. Marci*  
II 212).

Guarinus Veronensis sancto dei servo d. <Timotheo> sal.

Tuo in libello sicut amoenissimo quodam hortulo proxime  
versatus sum, eius materiam ordinem suavitatem copiam admir-  
atus. Si cum adversariis ratione et eloquentia certabis, iudice  
5 me victor evades; sin contra ligone et sareculo, vereor ne « tu  
vapulando, illi verberando defessi sitis »: adeo ignorantia hostem  
impugnat veritatem, cui aures occludit. Vale et deo immortali  
me inter orandum commenda.

Perlege nec tituli facies suspecta retardet:

10 Sanctior est sancta rusticitate liber.

<Ferrara 1450>.

Ter. Ad. II 2  
23.

---

22 leges Vat. | 30 XVIII octobris Ber., Cap., XVIII iunii Vat. |  
MCCCCCL Vat.

828, 2 ortulo corr. in hortulo cod. | 5 ligones et sareula cod.

## 828 A.

(Bergam. Λ II 32 f. 84<sup>v</sup>).

Guarinus sancto dei servo d. Timotheo pl. in Christo sal. d.

Apud maiores nostros morem illum probe servatum esse animadvertisi, ut imperatoribus, qui domum re bene gesta revenissent, vel triumphus vel ovatio a senatu concederetur: iure quidem ac merito, ut qui pro salute ac dignitate publica labores et pericula 5 dies ac noctes adissent, mercedem ac praemium reportarent. Reliquorum etiam animos vel sic accendi ac inflammari contingebat, cum apud gratos et acceptorum memores officiorum operam suam bene locatam intelligerent. Hoc pacto bonas artes meliores effici et parvas amplificari et educari posse cernebant, cum in 10 bene meritos honor cum gratia redderetur, quod unum ex iust*<iti>*ae *<necesse est>* lucescat officiis: « honos nanque, Cicerone teste, alit artes omnesque accenduntur ad studia gloria ». Ea vero consuetudo si de bellicosis probata et conservata ducibus est, quas tibi gratias reddemus, victoriose christiani no- 15 minis imperator, qui post superata flagitia nostri generis domitricia tam pretiosas retrahis nobis exuvias, idest tantopere desideratos et longa odoratos indagine codices, quibus nos ornes nos oblectes nos denique meliores efficias? Illi nanque de fusis et necatis hostibus laudem usurpabant et lamentis gemitu lacrimis plena et cruenta 20 spolia comportabant; tu autem sepultos olim poetas et vel temporum calamitate seu maiorum negligentia restinctos viros clarissimos vitae restituis in lucemque de lethaeis, ut poetae dicерent, undis et « nostrum in lumen ituros » revocas, qui non modo opera tua et vigilancia reviviscas verum etiam nos ipsos ex 25 ignorantiae nebulis occaecatos illustrent. Unde laetitia risus hilarietas, dignus sane te triumphatore comitatus, excipient teque digna subinde paeconia *<et>* cantus resonantissimi celebrent, quibus Timothei nomen posteritati commendetur *<et>* immortalitati ac iugi collaudatione servetur. Sicuti de Atheniensium rege 30 Pisistrato traditur, cuius beneficio cura studio ac diligentia fac-

Tusc. 14.

Verg. Aen. VI  
758.

---

828 A, 1 s. p. d. *cod.* | 12 iustae lucescat *cod.* | 13 gloriae *cod.* | 22 restrictos *cod.* | 26 occaecatos *cod.* | laetitia *cod.*

Cic. de or. III  
137.

tum est, ut Homeri vatis celeberrimi carmen per diversa Graeciae oppida vel latens vel tacitum evolvetur et ad nostra usque saecula perdurans legamus veneremur amemus. Quod si 35 poma quondam nobis allata Luculli et Appii grata quadam appellatione testamur, quanto rectius tuum beneficium assidua recordatione tutabimur, praesertim cum illa palatum solum attingant, hoc vero <animum> cibet enutriat augeat, illa malos plerunque ingenerent humores et morbos incutiant, hoc autem pinguine purget cerebrum et, qua nulla nobis execrabilior increvit aegritudo, imperitiam propulset, horrendas explodat ab oculis nebulas et tenebrosa serenet intestina. Romanos olim oratores priscis illis saeculis decem tabularum leges et Sparta et Athenis 40 afferentes publico exceptos gaudio fuisse legimus, cum ipsae vix 45 extra urbem propagandae forent nec longinquum nimis usum propter angustum linguae commertium et angustius imperium habiturae viderentur. Quanto hilarius latiusque patente laetitia tuum suscipiemus redditum, qui eos nobis socios et comites reducis libros, per quos ad universum litteratorum ordinem et humanitatis 50 professores manaturus est haustus et « a solis ortu ad occasum » riganda sunt ingenia. Nam tot annorum curriculis vel sopitas vel iacentes in eis musas ita resurgentes et excitatas omni triumpho et ovatione iocundius cernimus, ut per ferrum et bella suam revisere tamen audeant Italianam, « carmen ubi pinus edunt humilesque myricae ». Prodiens itaque tibi obviam senatus populusque 55 litterarius ramos oleae atque lauri non Apollini non Minervae gentiliter, sed Christo Iesu pio de more baiulantes et iubilantes clament et dicant:

Praeco dei, salve, vitalia pabula nobis  
 60 Qui seris angustumque doces ad sidera calle.  
 Reginam dulci quae spargant nectare celsam  
 Advehis ancillas et crinem floribus ornent,  
 Quae virtutis opes, mundi ludibria monstrent.  
 Timothee ergo ferens haec dona salubria salve.

65 &lt;Ferrara 1443 ?&gt;

Liv. III 31-32.

Psal. 112, 3.

cfr. Verg. Ecl.  
I 38; IV 2.

35 allati cod. | 40 increvit] meruit corr. in ineruit cod. | 41 explodas cod. | 48 redditum cod. | 50 ad solis ortum occasum cod. | 61 spargat neetere cod.

## 829.

(Wolfenbüttel 2.º 10, 8 f. 51v).

Γουαρίνος δέ Οὐερωναῖος τῷ Νικόλεῳ τῷ οὐρανῷ μου ἀγαπητῷ χαιρεῖν.

*Plut. 288.*

Ἄναγγόντι μοι τὴν ἐπιστολήν σου ἑλληνιστὶ γεγραμμένην, τοσαῦτη  
ἐνέψυ χαρὰ, ὡστε συμβῆναι μοι τὸ Ἀριστοφάνειον ἔκεινο βοᾶν· « Ὡς  
ζῆδομαι ὡς τέρπομαι καὶ βούλομαι χορεῦσαι ». ὄρῶν γὰρ τὴν σπουδὴν  
σου πρὸς τὰ γράμματα καὶ ἐν ὅλιγῳ καιρῷ τόσον ἐν αὐτοῖς προσκόψαι, 5  
ῶστε καὶ γράψειν πεπαιδευμένως δύνασθαι, ἐπαιγὼ σε καὶ συγχαίρω  
πάνυ σφόδρα καὶ τοιούτον παιδοποιῆσαι σε εὑφραίνομαι καὶ μεγάλως  
γάνυμαι. τῶν γὰρ πατέρων εὔκλεια ἡ τῶν παΐδων καλοκαγαθία καὶ  
ἀρετή ἐντεῦθεν τὸ πρὸς τὸ ἔνδοξον γῆρας θεμέλιον εὐτυχῶς βάλλεται  
μάλιστα τοιούτου τετευχῶς ὀνόματος οὐκ ἀν δύναιο μὴ τοὺς ἡλικιώτας 10  
ὑπερβαλεῖν καὶ τοὺς λαϊκοὺς νικᾶν· τοῦτο γὰρ σημαίνει ἡ τοῦ « Νικο-  
λάου » προσηγορία. ἀκολούθει τοίνυν καὶ τοσαῦτη ἀρχῇ βέλτιον τέλος  
πρόσβαλλε καὶ τὸ ῥήθεν· « Νίκα σαυτὸν », ὁ σημαίνει <\*\*\*>. τοιού-  
τας δέ μοι Διογυσιακὰς ἡμέρας πρόσφερε.

Ἐρρωσο καὶ σπουδάζων ἐπίδος. περὶ τῆς δωρεᾶς πλείστην ἔχω 15  
σοι χάριν, ἡς οὐκ ἀλλην πέμψαι χαριεστέραν δύναιο ἀν. χαῖρε πάλιν.  
ἐπιμελοῦμαι τῶν γρηγμάτων κατὰ δύναμιν ἡ ἀδελφὴ Λιβέρα εὐχαριστεῖ  
σοι περὶ τῶν ποικίλων πινακίδων, ἃς αὐτῇ ἔστειλας ἐλευθερίως. Λέγω  
σοι ὦ Γρηγόριε \*\*\*\*\*.

&lt;Ferrara 1450 ?&gt;

20

## 830.

(Urbini 1180 f. 2).

Guarinus τῷ Νικολάῳ εὐ πράσσειν.

Tulit fortuna ut nuper ea de re, quam tantopere scire ardes  
et a me scribi flagitas, nonnullos editos haberem versus, in qui-  
bus non modo ipsorum septem sapientum nomina, ut petieras,  
verum et illorum patrias noscere poteris. 5

829, 14 s'intenderà « giorni lieti » o « giorni carnevaleschi »? |  
18 πινῶν cont.

Nomina septenum sapientum Graecia cantat  
 Partibus et natos diversis orbis honorat.  
 Inclyta nam genuit celebrem Bianta Prienne ;  
 Inde Solone suo clarae laetantur Athenae.  
 10 Miletus generat perdoctum antiqua Thaletem  
 Atque Mitylene praeclarum Pittacon edit.  
 Se genitum rigida gaudet Lacedaemone Chilon ;  
 Te, Periandre,creat laudabilis aere Corinthos.  
 Lindon et in caelum cum laude, Cleobole, tollis.

15 <Ferrara>.

### 831.

(Harleian 2580 f. 100).

Prefatio Guarini in Magnum Basilium ad Nicolaum filium.

<Guarinus Veronensis Nicolao filio dulcissimo sal. pl. d.>.

Nuper, dulcissime fili Nicolae, cum rusticantem generosum  
 ac illustrem adulescentem d. Nicolaum Estensi prosapia ortum  
 5 viserem, intueri contigit phasianum quendam ab accipitre captum  
 comprehensumque teneri; cuius victoriae cum Nicolaus applau-  
 deret, ut est non modo musarum et eruditionis, verum etiam  
 avium et aucupiorum studiosus, accipitri gustandum blandeque  
 delibandum captivum obiecisse: par enim esse, ut nec sollertiae  
 10 fructu nec palmae suaे praemio fraudaretur, ne aut rebellis aut  
 piger redderetur in posterum. Haec res hic labor hoc praemium  
 fecit ut tui veniret in mentem, qui mihi Basilium planeque re-  
 galem indagine tua capturami comparas et tam spectabile praebes  
 aucupium. Itaque ut alacrior deinceps ad venandum fias, quic-  
 15 quam de illo tibi ad degustandum, non quidem ad satietatem  
 sed ad delibationem, offero, ut cum hanc tibi escam placere  
 sentiam, guttur ac ventrem expleam. Gratius autem hoc ipsum  
 velut enhiridion capessere debebis opusculum de mutua pa-  
 rentum ac filiorum caritate, quod intuens quasi te ipsum con-  
 20 templari et recognoscere videberis in speculo; qui quantum tua  
 me pietate et observantia complexus es, tantum caritatis a me

indulgentiaeque merito reportasti. Nullum ex te unquam verbum prodiit, nullum factum emanavit quod vel aures patrias offenderet vel irritaret animum. Quo effecisti, immo vero effecistis omnes nati, numero duodecim, ut vos paterne benedixerim et tales deo 25 auctore genuisse glorier quales legendo recensebis, et ad vos imitandos alienos animabis et incendetis.

<Ferrara 1450 c.>.

### 831 A.

(Bergam. A II 32 f. 87v ).

Guarinus Veronensis cl. v. Casellae sal. pl. d.

Iam pridem litterulae meae gestire videntur, ut ad te per-  
volent, quo tuam de me recordationem refricent ac suscitent, si  
maiora forte negotia in me pusillo sane homuntione vel rubigi-  
nem obduxerint vel somnum. Sic cogitantibus illis deerat argu- 5  
mentum, quo<d> nunc urbanitas quaedam vel σκῶμμα potius  
Nicolai Estensis, adolescentis acuti, suppeditavit. Legentibus no-  
bis Aeneidem Virgilii carmen allatum est διστιχον Panormitae,  
viri eruditissimi et vere contemporanei nostri Nasonis : adeo « ma-

Verg. Aen. 1. 720. trem refert Acidaliam ». Carmel autem afferebatur huiusmodi : 10

Titus amat musas, Lippus quoque diligit illas. At siculus vates massica vina colo. Tum Nicolaus censorio legens ore : « Claudiat, inquit, pes primus, ut, cum Titus primam bre-  
vem syllabam habere debeat (subiungens mox ait exemplum :

Cic. de sen. 1. « O Tite si quid ego adiuto »), vates ipse produxit ; quod pro- 15

Verg. Aen. IX 248. fecto inter vina non dedecet ». Tum « gravis annis et senio ma-  
turus », su<u>m cum musarum observantia v<i>ni amorem

comparans : « Quasi aliquo egregio facinore gloriatur ; sed una erravit in littera, nam non siculus sed suculus dixisse debuit ».

Ego qui vultu torvo morsum in tam insignem vatem cohercere 20  
videbar, interiorem vix tenere cachinnum poteram ; et quia ridere

---

S31 A, 1 Cassellae cod. | 6 κρῶμμα cod. | 18 comperans cod. | 19  
suculus : porcello.

<praesens> non potui ne maledicendi licentiam in adulescente  
risu meo comprobarem, absens tecum risurus advenio. Simul ut  
amabilis adulescentis agnoscas indolem et illustri principi, si iu-  
dicaveris faciendum, filii factum ingeniumque renunties: solent  
pusilla quaedam verbula sicuti flosculi futuros, matuiore aliquando  
aetate emanaturos, fructus ostendere et praesagio bono longe ante  
portendere. Vale et me recordatione complectere.

<Ferrara 1450>.

### 832.

(Bologn. Universit. 1619 f. 290v, di mano di Gio. Garzoni).

Guarinus Veronensis Alberto Parisio <sal. pl. d.>.

Dudum inter legendum <tuam> epistulam non mediocris  
iniecta mihi dubitatio plusne iocunditatis attulerit an acerbitatis.  
Nam cum Lamolam meum vita excessisse significet, quem pro  
5 hominis ingenio doctrina virtute ac studiorum societate, pietate  
ut filium, caritate ut fratrem, veneratione ut natu maiorem am-  
pletebar, amarissimum animo vulnus accepi. Amico nanque et  
intimo familiari meoque diutius domestico privatus non acerbe  
moerere non possum, cum longiore consuetudine per multa an-  
10 norum curricula comparatum amicum tam brevis hora et temporis  
punctum interceperit. Eius autem generis vir fuit et moribus et  
doctrina, ut quemadmodum paucos illi conferas, ita neminem an-  
teponas; testimonio sunt sibi soli domestici vel familiares, cum  
aliis rerum suarum minime ostentator esset nec pro ipsius mode-  
15 stia aurae popularis aucupator. Subinde cum litteras tuas dicendi  
suavitate \*\*\*\*.

<Ferrara gennaio 1450>.

22 ridere non potui nequivi ne *cod.*; ma *potui* fu cancellato; il co-  
pista volle evitare la ripetizione col precedente *poteram* e a *non potui*  
sostituì *nequivi*, dimenticando di cancellare *non*; si coglie così sul fatto  
il copista mentre corregge l'autore.

832, 16 Qui resta in tronco il testo.

## 833.

(Iagell. 2499 f. 190<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis eruditissimo v. magistro M<atthaeo>  
de Gypso sal.

Ecce Servius tuus vel potius noster peregrinatus redit ad te,  
qui si iussa sequi mea et mihi morem gerere voluerit, gratias  
tibi dicet vel fortasse tacere consulto decernet; nam cum animo 5  
vertet nullam orationem tantum aequare beneficium posse, secum  
ipse satius esse ducet obmutescere, quam collatum tam tempe-  
stive tam commode tam utiliter obsequium verbis non re prose-  
qui. Tu vero pro tua benignitate mentem etiam e silente colliges  
*Aen. II 536-8.* et Virgilii illud accipies: « Dii si qua est caelo pietas quae talia 10  
curet, Persolvant grates dignas et praemia reddant debita ». Me  
quoque pro tuo utitor arbitratu et nullo in loco nullo in tempore  
tuum appellare Guarinum dubites. Bene ac feliciter vale. Alber-  
tum Parisium virum ingenio eruditione virtute praestantem sal-  
vere verbis meis iubeto. 15

E Ferraria XXII februarii <?>.

## 834.

(Est. IV F 24 f. 77<sup>v</sup> ).

<Andreolus de Sancto Vito Patavinus ad cl. v. Guarinum Ve-  
ronensem>. \*

Accipe de modico clarissime rhetor acervo  
Munera, nec messem sperne Guarine tuam.  
Messis ego tua sum: tu munera nostra libenti  
Hec animo et leto sidere parva cape.

833, 6 nullum cod. | 7 dicet cod. | 9 tu] tua cod.

834, \* Eiusdem cod. Il carme precedente è intitolato: Andreolus de Sancto Vito Patavinus in vatem pediconem puerum Apparutum sollicitantem.

5 Que sint parva licet, mihi sunt tamen apta ferenti  
     Cui census parvo fenore prestat opem.  
     Sic Cereris cumulant altaria rustica pubes  
         Magna nec e parvo iugere liba ferunt  
     Nec potis est rite sterilis quin cultor agelli  
 10     Diis ferat auratis pinguia thura foci.  
     Nec cadit ante deos aurato victima cornu,  
         Agna sed exiguo de grege macta venit.  
     Parva quidem superis etiam gratissima dona,  
         Hospitia et parve sepe fuere case.  
 15     Grata Molorceis genitus diis pocula mensis  
         Nec rudibus sprevit munera fictilibus.  
     Tu quoque celestes imitatus munera nostra  
         Nunc placidus letis suscipe luminibus.  
     Velle meum grande est sed res angusta peculi  
 20     Me vetat optatis posse favere meis.  
     At tu Romane recidiva potentia lingue  
         Et pater et studiis dulcis alumne meis  
     Nec non spectate specimenque decusque senecte  
         Ingenti hec animo dona repende meo.

&lt;1450 c.&gt;

## 835.

(Iani Pannonii *Ad Guarinum Veronensem Panegyricus*, Venetiis 1553.  
 124; Iani Pannonii *Poemata Traiecti ad Rh. 1784*, I 650).

Janus Pannonius ad Guarinum Veronensem.

Te precor o nostri decus et nova gloria secli  
     Qui calles linguas docte Guarine duas,  
     Quo iam tot fuimus sub preceptore per annos,  
         Hospes ut in cena nunc meus esse velis.  
 5     Quam dedit Evandro laudem Tirynthius hospes  
         Hanc dabis ipse mihi, si meus hospes eris.

&lt;Ferrara 1450 c.&gt;

---

. 9 *quin*: errore sintattico | 12 *macta*: voleva dire *mactata* | 15 ps.  
 Tibull. IV 1, 12-13 | 18 Hunc *cod.* | 22 *alumne*: ma era lui l'*alumnus*  
 di Guarino.

## 836.

Responsio Guarini Veronensis.

Convenere pares paribus, convenit et aetas  
 - Omnis: ero melius cum senibus senior.  
 Maturos refugit nutus urbana iuventus  
 Et iocus et ludus cum seniore tepent.  
 Quare agite o iuvenes, risus et amoena vocate,  
 Ne turbent faciles seria dura iocos.

5

## 837.

Ianus refellit Guarinicam excusationem.

Seria sunt, que dura vocas, gratissima nobis  
 Nec poterunt nostris illa nocere iocis.  
 Immo tua haud parvum mense presentia nostre  
 Splendorem poterit clare Guarine dare  
 Frenaque ne nostro nimium sint libera ludo  
 Neve suum excedant gaudia nostro modum,  
 Illa augusta tui faciet reverentia vultus  
 Et gravitas magno dignaque forma deo.....  
 Ne fuge sed quamvis cum dispare iungere turba  
 Nec mihi rescribas sed magis ipse veni.

5

10

## 838.

(Pubblicata in Iani Pannonii *Opera*, Traiecti ad Rhenum 1784, I 482).

<Janus Pannonius> ad Guarinum.

Cur, Guarine, tuos, indulgentissime patrum,  
 Non cohibes natos turpibus a vitiis ?

---

836, 1 Cic. *de sen.* 7.

837, 9 Ordina: iungere (imperativo) cum turba quamvis dispare | 10  
 Ovid. *Her.* I 2.

An nescis pridem quid fecerit unus eorum ?  
 Fecit ut ancille sis socer ipse tue ;  
 5 Ut verne sis fecit avus : iam fabula tota  
 Urbe volas et adhuc te tua probra latent.....

<Ferrara 1450 c.>.

### 839.

(Querin. A VII 7 f. 213).

Ordo Guarineorum scholarium suo venerabili preceptorि Guarino s. p. d.

Sat iam preterito nostras lassavimus aures  
 Tempore preceptis, clare Guarine, tuis.  
 Fregimus invalidum sine fine legendo cerebrum,  
 Legimus aonios iam sine fine viros.  
 Sit modus o studiis horas minuisse diurnas,  
 5 Sit longas noctes evigilasse modus.  
 Tandem rhetoricas sine <nunc> requiescere chartas,  
 Pone Maroneum queso parumper opus.....  
 Ecce autem mensis completur tercius ex quo  
 Nulla quies nostris contigit ingeniis.....  
 10 Ecce venit totum lux concelebranda per orbem  
 Qua satus est summus Virgine matre deus.....

<1450 ?>

### 840.

(Vatic. 2926 f. 164; pubblicata dal Rosmini *Guarino* II 184).

Georgius Trapezuntius doctissimo Guarino Veronensi s. d.

Non memini post contentionem illam nostram ullas ad te litteras scripsisse, vir doctissime ac humanissime: non quod ulle

---

839, 9 Le scuole s' aprivano il 18 ottobre; il terzo mese successivo è il dicembre | 12 Quassatus *cod.* Intende il Natale.

irarum in animo meo permanserint reliquie sed quia nil scribendum occurrebat. Nam ira in te nec quidem quando scribebam, 5 deum testor, commotus fui; et si commotus fuisse, verbis tuis quibus et me et te hortatus Ferrarie fuisti, ne sicuti pueri ad infantium contentiones laberemur, ad tranquillitatem revocassent. Bono igitur erga te semper Georgius animo fuit, quod his tibi litteris maxime significare placuit, ut etas quoque preter doctrinam aliquid attulisse videatur: attulit enim et certe tantum, ut multa iam facta infecta velim et dicta non dicta. Quod quoniam fieri non potest, alio quodam modo et ut virtus tua meretur contendere tecum cupio. Nam ut tunc ab eloquentie contentione non inhonesta ad maledicta usque, nonnullorum susurrationibus, more 15 iuvenum processimus, ita nunc sicuti senes decet, e contra omni contentione animorum abiecta, sic nobis certandum censeo, ut et aliis laudabili simus exemplo et quod preterita scripta dedecoris ad posteros nobis allatura fortassis essent, ad decus et laudem convertamus. Quod facere profecto facile nobis erit, si hoc scribendi alter ad alterum non negligemus officium, quod ipse primus, ut vides, suscepi prosequarque, si te quoque ita velle intellexero; nec scribendo solum, sed si quid acciderit in quo melius meum in te animum studio opera opibus ostendere possim, non pretermittam conaborque facere ut invidorum verbis, non mea na- 25 tura, sicuti certe fuit, incitatus tecum contendisse videar.

<Roma 1450 c.>

## 841.

(Guarner. 99 f. 156v; pubblicata dal Querini in Fr. Barbari *Epistol. App. n.<sup>o</sup> CXIX*).

Guarinus splendido equiti d. Francisco Barbaro sal.

Gregorius filius meus cupidus non magis urbis quam civitatis Venetae spectandae ad te navigat; quem solebas balbutientem infantem in deliciis amare, iam adultum et eruditum non repu-

---

840, 6-8 Per togliere l'anacolato bisognerebbe correggere o *verba tua* o *revocatus essem* | 9 quo cod.

5 diabis. Est autem artium doctor non sanc postremus. Domicilium autem Venetiarum probat et admiratur et cum medicinae studeat, et pleno quidem gradu, specula velut ab alta « pedum viam pro-<sup>Ter. Ph. II 2,</sup>  
videt », ut cum tempus vocet iam <*ἀπὸ λιμένος ἀπαιργῆ*>.

Quocirca in nobilium virorum familiaritatem iam nunc tuo  
10 ductu et auspicio venire magis quam incidere <*σφοδρῶς*> avet.  
Tuum erit, vir amplissime, non modo iuvenem amplecti pro amore nostro veterimo et verissimo, verum etiam tuis amplectendum cognitumque facere. Quanto ei futura sit nobilium familiaritas ornamento et laudi quis non videt? Vale, decus nobilitatis.

Ferrariae III martii 1451.

## 842.

(Pubblicata dallo Schwandter in *Scriptores rerum Hungar.* II 100; riprodotta in Iani Pannonii *Poemata*, Traiecti ad Rhenum 1784, e dal Rosmini *Guarino* III 103; « ex parte episcopi Waradinensis ad Guarinum Veronensem magnum oratorem Ferrariae residentem »).

Egregio viro d. Guarino Veronensi amico nobis sincere dilecto.

Egregie vir.

Revocatum ad nos Ioannem nostrum vidimus, olim puerum,  
5 nunc magistri curam doctrinamque faciem pre se ferentem. Coluius in eo fraternalm personam, verum doctoris imaginem multo amplius. Ceterum diligentia, caritas, instituta et benivolentia erga eum habita quanti apud nos habenda sint ex hinc experti, iam iam metiri opus habebimus. Eadem quippe ratione qua doctum  
10 fratrem amabimus, doctorem quoque laborantem reficere non aspernabimur. Nunc eundem priori loco et fidei remittimus et re-committimus. Valete.

Ex Buda XVIII martii anno MCCCCCLI.

---

841, 7 providet corr. in previdet cod. | 8 portu prenotet cod..  
potu pernotet Quer. | 10 σφ - om. in lac. cod., Quer.

## 843.

(Guarner. 28 f. 126<sup>v</sup>; 99 f. 156<sup>v</sup>; il solo cod. 28 ha i passi greci; pubblicata dal Querini in Fr. Barbari *Epistol. App.* n.<sup>o</sup> CXX coi passi greci incompleti).

Guarinus cl. v. et equiti splendido d. Francisco Barbaro sal.

Rediit iampridem ad nos Gregorius filius spe splenus, ut aliquando fortuna eidem arridens plenum afferat cornu. Eam ad rem cogitationem suam tibi aperuit et facta omnia, περὶ τῶν ιατροῦ λέγω τὸν Χαλδείον. Eum πρὸς τὸν γάμον τῆς θυγατέρος prouin esse 5 πρὸς τὸν Γρηγόριον audio; sed cum eius voluntatem remoretur et frangat ἡ γυνὴ αὐτοῦ, tua nobis opus est ope atque opera, ut accessito ad te homine, qui plurimum te observat, suadeas et non modo ducas sed etiam trahas in tuam sententiam. « Quidnam? » inquies; « agitur de re γαμικῇ de qua Guarinus noster ad me 10 scribit? ». Inquies item: « Si causam in eius γοναῖκα transfert, tunc illa tua evolvenda erit sapientia, qua vel saxa instar Orphei movere soles ». Quidnam audio? virum tantum flectere non posse γοναῖκα, qui exercitum flecteres Amazonum? Id menineris, qui timide rogit, negare docet. Expecto ut primo tempore absolutum 15 abs te negotium sentiam, ut de re uxoria non modo verbo scribere, verum etiam consilio perficere monstres. Vale, spes mea atque refugium.

Ferrariae VI aprilis 1451.

## 844.

(Mare. lat. XIII 71 p. 378; XIII 72 f. 150; Guarner. 99 f. 110; Bologna Universit. 1490 p. 368; Vatic. 5911 f. 181; pubblicata dal Querini in Frane. Barbari *Epist. Append.* p. 85).

Franciseus Barbarus eloquentissimo Guarino Veronensi s.

Doctissimus adolescens Gregorius tuus vel potius noster ante suum discessum officiose significavit mihi causam sui adventus,

---

843, 4 τοῦ cod. | 5 χαλδεῖα cod. | 11 inquies amo (rel. om., etiam Quer.) codd.; ma forse sotto amo si nasconde una parola greca: αὖθις | vel confert codd.

quam prius suppresserat. Ego vero, sicut res ipsa postulabat, an-  
5 tequam littere mihi tue redderentur ita causam suam in meam  
fidem recepi, ut nec ingenium nec patrocinium meum defuerit  
ut compos esset votorum suorum. Postquam autem litteras legi  
tuas testes amoris nostri, me tua voluntas pietasque vehementer  
commovit... Sed huc usque tantum potuit voluntas matris illius  
10 virginis, ut a doctissimo viro mihiique amicissimo patre eius nul-  
lam certam responsione elicere potuerim. Causam tamen dese-  
rendam non censeo....

Venetiis pridie kal. maias 1451.

### 845.

(Guarner. 99 f. 110; Marc. lat. XIII 71 p. 379; XIII 72 f. 150v; Bologn.  
Universit. 1490 p. 369; Vatic. 5911 f. 181v; pubblicata dal Querini  
in Fr. Barb. *Epist.*, App. p. 86).

Guarinus Veronensis cl. v. Francisco Barbaro sal. d.

Saepenumero multiplex amicitiae specimen expertus, singu-  
lare demum tuis ex litteris intellexi vel hoc unum, quod tacitur-  
itas inter nos facunda facta est. Nam cum nulla inter nos media  
5 esset oratio, non minus ideo loquebatur amor, qui nulla quamvis  
efferretur aperta pollicitatio, promptum tamen praesidium patroci-  
niumque \*\*\* offerret; et quod os linguaque supprimeret, mens  
ipsa praesaga sponderet. Idque cum amicitiae vis ipsa taeenti  
etiam mihi prae se ferret, tuum istud praestat ingenium, qui sic  
10 amandi profliteris officium et bene de tuis mereri, ut aves volare,  
apes mellificare, pisces natare. Scio eum in te fructum studiis bo-  
narum artium et liberalium disciplinarum epullulasse, ut non ideo  
disceres, ut scires tantum atque in coronis disputares. Proinde  
clarissimorum hominum exempla lectitans, in actionem educere  
15 maluisti, teque solis instar non tibi soli sed et amicis et viris  
bonis natum esse cum intelligeres, tuorum lucem radiorum spar-  
gere cogitasti consuluesti exercuisti. Haec mecum tacitus divi-  
nans antea, reipsa vate in certum fuisse gaudeo tuarum testimonio

---

845, 12 pullulasse Bonon., Quer. | 16 cum Quer., om. codd.

Verg. Ecl. X  
69.

litterarum, quibus accipio quid aggressus, quid conatus \*\*\*\*\*, non  
 valde aut omnino desperes in re Gregorii, qui deliciae meae et 20  
 patris est voluptas. Hoc ipsum plerisque solet evenire medicis,  
 qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam,  
 se tamen ipsos vix curare queunt. Itaque, amantissime patrone,  
 instes oro; dum enim animus in dubio est, facili momento huc  
 vel illuc impellitur. Tuam ut agas rem tibi persuadeas scio, quia 25  
 \*\*\*\*\*. Memineris Calderiae naturam essè ut ad fervescendum  
 aestu indigeat assiduo; memineris et illud, quod « omnia vincit  
 amor ». Quid non potest in omni re gerenda viri magni ac sa-  
 pientis auctoritas! Vale et me ac meos ut tuos ama.

Nuper longiorem ad virum patricium Bernardum Iustinianum 30  
 epistulam scripsi, quam si acceperit ut percunctari facias oro.  
 Valeat et suavissimus Zacharias, cuius pietas quid in filio sit  
 agendum te moneat et impellat. Iterum vale.

Ferrariae XVIII maii 1451.

## 846.

(Berl. lat. 4º 462 f. 26; Marc. lat. XIV 221 f. 109v; pubblicata da me  
 in *Le antichità class.* II 383).

Guarinus Veronensis magnifico et excelso domino Federico  
 sal. pl. d.

Quam laetus fuit superioribus diebus Antonii Durantis viri  
 praestantis istuc aditus pro mea in tua dominatione spe, tam  
 laetus fuit huc hominis redditus pro exauditis a tua munificentia 5  
 precibus meis, quod gratiōse rescripta testatur epistula tua. Nec  
 vero tantopere pro impetratis gaudeo, quam meo de tua magna-  
 nitate iudicio; quique prius sic futurum divinabam, nunc facto  
 confirmatior maneo: tua igitur liberalitas quae me vatem facie-

---

23 Gregorio era medico, ma non sapeva curare il proprio amore |  
 26 Chalderie caldarie *Vat.* | 27 vel ass-estu ind - ad ferv - *codd.* (gioco di  
 parola tra il cognome *Calderia* e \**calderia* = caldaia) | 28 vel et *codd.*  
 | 33 It - vale *Quer.*, *om. cold.*

846, 1 Friderico *Mar.* | 4 istie *Mar.* | in tuam dominationem *Mar.*

10 bat, eadem veridicum me comprobavit. Ceterum triumpho non tam munere ipso, quam quod abs te datum est; quod in re quoque bellica fit; milites nanque, de magnanimis loquor et gloriae cupidis, non tam hastis equis armis et sorte praedae laetari solent, quam quod a sapientissimo imperatore et fortium commilitonum  
 15 aestimatore donati sint: illa enim a fortuna plerunque, hoc autem a virtute proficisci gaudent; illa quoque vel malo vel gregario militi, hoc vero nisi strenuo et claro evenire consuevit. Quantus vero et abs te mihi splendor comparatur, cum non modo praesentes sed et posteri me non ignobilem virum sentient ac  
 20 praedicabunt: « Hicne est Guarinus ille quem Federicus vir sapientissimus, homo benignissimus, ductor fortissimus, princeps magnanimus singulari caritate benivolentia et intima familiaritate complexus fuit? Igitur Guarinus quantivis pretii homo erat, quando tali tantoque hominum iudicatori non vulgaria non abiecta non  
 25 quotidiana, sed praecipua spectata et rara placebant ». Curabo invicem ut vel testibus litterulis meis et « si quid mea carmina possunt » tuo nomini et gloriae dedecori non sim nec obscurari tuum in me amorem sinam. Tu modo, magnifice domine, Guarinum tuum amare perge vel quia magnificentiam tuam colo et  
 30 observo. Vale felix.

E Ferraria X iunii 1451.

### 847.

(Marc. lat. XI 80 f. 143<sup>v</sup>, pubblicata dal Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 377).

Bartholomeus Faccius Guarino Veronensi preceptorि optimo  
s. d.

Etsi iam diu nihil a te litterarum accepi, statui tamen neminem notum pretermittere, quem quidem Ferrariam petiturum sciam, cui non dem aliquas vel breves ad te litteras; videor enim hoc officium absque reprehensione non posse preterire. Itaque cum Antonium Panormitam virum gravissimum ac prestan-

27 et dedecori Mar.

847, 4 praeterire Mitt.

tissimum regium legatum, quo viro utor familiarissime, istuc venturum scirem, non sum passus eum sine litteris meis ad te ire. Sed minus multa mihi scribenda sunt, quoniam ex eo quicquid 10 scire volueris de rebus meis, plene scire poteris. Omnia enim mea consilia illi adeo nota sunt, ut nemini notiora; cognovi enim et summam in eo viro prudentiam et parem fidem cum benivolentia singulari coniunctam multaque ab eo in me profecta sunt et magna officia. Nihil omnino unquam pretermisit, quod ad me 15 ornandum pertinere cognoverit; nec solum optime de te sentit sed etiam predicit et in omni sermone non dubitat te doctissimum nostri temporis appellare. Optavit diu te videre, ut quem fama et litteris te cognorat, ipsis oculis intueretur aliquando; itaque tuum fuerit tantum ei deferre, quantum possis eumque 20 omni officio et humanitate prosequi. Quod cum in omnes doctos et probos viros facere solitus sis, multo magis in eum debes, qui et dignitate et auctoritate plurimum excellit quique te vehementer amat; nanque apud regem tantum valet gratia, ut perpaucos purpuratos cum eo conferendos putem. Sed tu hominis eximias 25 ac singulares virtutes nosti et de eius summa auctoritate satis audire potuisti; quapropter in hanc sententiam plurā non scribam. Tu vero velim existimes mihi gratissimum fore si aliquid rescripseris.

De Hieronymi fratris valitudine seire cupio, a quo nunquam 30 scire potui an res suas acceperit, quas Iohanni Faccino de mandato eius commisi. Si quid autem est quod a me agi velis, scribe. Vale.

<Napoli primi mesi del 1451>.

#### 848.

(Marc. lat. XI 80 f. 144: pubblicata dal Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 378).

Guarinus Veronensis Bartholomaeo Faccio sal. d.

Cum tuae litterae mihi pergratae soleant afferri, accessit ad

---

16 me *Mitt.* | 19 cognoverat *Mitt.* | 30 filii *Mitt.* (il Facio chiama *frater* Girolamo per affezione, 851, 23).

gratiam insignis viri mentio Panormitae, quem vultu ignotum, nomine et fama cogitum, amplexus sum ut pristinae admirationis  
5 et celebritatis virum; felix effulsit dies, qua eum visere contigit propter hominis doctrinam et rerum multarum cognitionem. Tibi igitur pro litteris et pro adducto nobis Panormita gratias ingentes ago et habeo. Te autem imitans acceptum officium reddo;  
nam qui virum talem adduxisti, et virum generosum et eruditum  
10 meis adductum litteris recipies, ut par pari referatur. Ecce Nicolaus Stroza omni laude dignus ad vos iter habet: eum tibi eique te concilio; hominem amabis ut primis videris congressibus.

Te oro ut Hieronymi vestem et quod commode ferri possit eidem assignes; facies gratum in primis nobis officium. Vale.

15      Ex Ferraria <primi mesi del 1451>.

### 849.

(Marc. lat. XI 80 f. 144<sup>v</sup>; pubblicata dal Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 378)

Bartholomeus Faccius Guarino Veronensi s. d.

Nicolaum Strozam tuum libenter vidi: cognovi eum dignum te preceptore et bonorum hominum amicitia ac properea maiorum suorum gloria. Longus mihi sermo secum fuit tum de te et  
5 tuis, de quibus libens loquor atque audio, tum de multis ac variis rebus; ex quo illum non solum perhumanum, sed etiam doctissimum iudicavi. Itaque scito amicitiam eius mihi non minus gratam et iocundam extitisse, quam Panormite mei tibi fuisse scribis. Pollicitus sum ei omnem laborem atque omne studium meum,  
10 tum sua ipsius causa tum tua gratia. Detulit ad nos Cornelium Celsum illum prestantissimum, cuius elegantiam in eo genere scribendi satis mirari non potui; si mihi commoditas dabitur, curabo eum transcribi ut eius apud nos copia relinquatur.

Miratus vero sum vehementer quod scripsisti de Hieronymi  
15 nostri vestibus ad te mittendis. Putabam enim te iam diu eas

848, 5 videre *Mitt.* | 11 Strozza *Mitt.* | 12 cognoveris *Mitt.* | 13 ferre *cod.*

849, 2 Strozzam *Mitt.* | 5 de tuis *Mitt.* | 14-15 de vest - H - n - *cod.*

accepisse, nam supra novem aut decem menses eas tradidi Iohanni Faccino, quemadmodum mihi per litteras Hieronymus ipse mandaverat. Itaque statim conveni Iohannem, qui ait se eas non misisse sed propediem missurum. Te cum omnibus tuis valere gaudeo, quem utinam aliquando videre possim. Vale. 20

<Napoli 1451>.

### 850.

(Marc. lat. XI 80 f. 146; pubblicata dal Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 380).

Guarinus Veronensis Bartholomaeo Faccio sal. d.

Alteri molesta esset totiens facta de Hieronymi rebus iteratio, tibi vero non modo non est molesta, sed iocunda; hoc facit caritas tua in eum, quae laborem in aliis quietem in te reddit. Eapropter non formidavi curam huic Nicolao meo imponere, ut 5 tecum recordationem quandoque ipsius rei suscipiat, ut si quammittendi praestaretur occasio, instet; cumque res ipsae uno emitti nequeant agmine, multis emitti poterunt actibus. Quod ut faceres, rogaturus etiam atque etiam eram, sed vetus et verus amor noster uno contentus nutu multas recusat preces; mavult enim ultroneo acceptum referri studio quam ingruentibus efflagitationibus obsequi. Ascribo et hoc ceteris in eum officiis tuis, quibus hominem tibi perpetuo devinxisti. Tu autem patiare quaeso, cum maiora ferre et soleas et velis; ceterum mutua nonnunquam inter nos confabulatio ex hac ut sic dicam sar \*\*\*\* pro sua iocunditate 15 dicere iubebit. Vale.

<Ferrara 1451>.

---

850, 8 nequeunt cod. | actibus] aciebus? | 14 perferre soleas *Mitt.*  
| 15 sar om. *Mitt.*

## 851.

(Mare. lat. XI 80 f. 146; pubblicata dal Mittarelli *Bibl. S. Mich.* 381).

Bartholomeus Faccius Guarino Veronensi s. d.

Mihi quidem, ut scribis, nullus pro te aut tuis suscipiendus labor molestus esse posset; id enim tibi debeo, ut nihil recusare iure possim, quod tibi ac liberis tuis aut ntile aut honestum sciam,  
 5 nisi omnium ingratissimus haberi velim. Illud modo mihi molestum est, quando res huiusmodi accedit, ut in ea perficienda voluntati tuae satisfacere non possim, quanquam scio te existimare. id quod verum est, tibi in ea re nec diligentiam nec studium meum defuisse. Sed cum pro tuis omnibus mihi laborandum puerum, pro Hieronymo tamen in primis, propter nostram diuturnam consuetudinem mutuamque benivolentiam. Conveni Iohannes que  
 sivique ex eo quidnam fecisset de rebus illis; respondit se omnia ante misisse partim per Nicolaum Strozam partim per quendam alium prius cuius nomen non satis meminerat. Que omnia  
 15 in illo brevi chirographo, quod litteris eius inserui, continentur: que mihi a domesticis meis in memoriam revocata sunt. Utrum ea miserit, scire poteris ex iis quibus illa se commisisse scribit; miror tamen, si ea misit, cur non sint Hieronymo aut tibi redditia. Itaque egi quod potui pro Hieronymi re. Pro domino Ma  
 20 nuele fieri curavi litteras. quas requisivit, in optimam sententiam. Si quid aliud a me volet quod possit opera mea effici, non deero voluntati sue quantum in me fuerit: ego enim omnes liberos tuos mihi fratres existimo atque habeo. Vale.

<Napoli 1451>.

## 852.

(Berl. lat. 2.<sup>o</sup> 667 f. ultimo).

Guarinus Veronensis cl. physico m. Nicolao Leonardo sal.

Cum cuperem post longum silentium, vel obmutescentiam quandam lethaeam, « refricare » tuam de me « recordationem »,

*Cic. Phil. III 18.*

---

851, 2 tuis liberis *Mitt.* | 3 potest *Mitt.* | 12 ab eo *Mitt.* | 13 Stroz-  
 zam *Mitt.* | 17 ille (*om. se*)*Mitt.*

deerat sane scribendi argumentum, nisi Gregorius filius aliquid ad scribendum obtulisset. Venit in mentem amicitiae conditio ab iu- 5 venilibus incohatae annis, dum studiorum in utroque societas et voluptas floreret: ea iussit nostra esse ac fore communia, τὰ γὰρ τῶν φίλων κοινά. Filium itaque tibi trado, ut qui meus est, tuus quoque proinde fiat, et qui meus ad te venit, noster ad me reveniat. Quod eo facilius fiet si adulescentem talem esse agno- 10 veris, qui sit amari a te dignus, cum tuo de grege dici cupiat. Egregia in primis est probitas singularisque illi modestia; artium doctor, medicinae studens pleno iam gradu; in hisce studiis quae humanitatis dicuntur paululum eruditus graecarumque non ignarus litterarum. « Quid agis, Guarine? Tu proprium ita laudas 15 filium? cave quid agas ». Immo vero illius, quem accepturus es filium, notas et indicium facio. Quis autem verius facturus est testimonium quam ego, cum quo vivit assidue; qui hominem, ut dicitur, intus et extra novi; cui pater cui educator cui magister sum? Itaque ut eum cariorem iam nunc tibi faciam, has litteras 20 bonam in partem pie familiariterque interpretabere. Utcunque sit, eum vel ut talem vel ut meum accipe acceptumque conserva et intime commendatum toto amplexare pectore. Vale.

E Ferraria XVI augusti 1451.

### 853.

(Wolfenbüttel 2.<sup>o</sup> 10, 8 f. 15v e 40; Trivulz. 873; pubblicata da Th. Klette *Beiträge zur Gesch. und Litter. der ital. Gelehrtenrenaiss.*, III 117 e da E. Legrand *Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfe* 55).

Γαρύνφ Οὐερωναίφ Φραγκίσκος ὁ Φιλέλφος χαιρεῖν.

Οἶδα μὲν ἔγωγε μάλα καὶ πάλαι σε μάλιστα πάντων γῆμιν φίλον ὅντα τυγχάνειν. τοῦτο δὲ καὶ χρεών τῶν αὐτῶν γὰρ διδασκάλων τε καὶ μαθήματων τοῖς τετυγχησόι πρέπειν οἵμαι καὶ τὴν ποθεινοτάτην ἀλλήλοις εὖνοιαν τρέψειν . . . . ὑπάρχειν δοι γάρουσα καὶ τὰ τοῦ Στράβωνος Γεω- 5 γραφικὰ καὶ τὰ τοῦ Ἀριστοτέλους Ἡθικά. τοῦνομα μεγάλα. τούτων τοίνυν ἐγὼ τῶν ἐκατέρων ἐν τοῖς μάλιστα ἐπιθυμῶ . . . .

Τικινόθεν τῇ i πρὸ καλενδῶν δεκεμβρίου (= 22 nov. 1451).

## 853 A.

(Bergam. A II 32 f. 86<sup>v</sup>).

Guarinus insigni physico Petro Thomasio sal. pl. d.

Virum atheniensem Hippolytum per insidias novercae et Thesei patris insectationem ad inferos olim detrusum fuisse memoriae posteritatis est proditum; deinde Aesculapii, celeberrimi 5 per id tempus medici, artibus « herbisque potentibus » in lucem revocatum « superas caeli venisse sub auras »: quo facto Virbii cognomen assequutus traditur. Non aliter mihi de te factum est hactenus, vir clarissime, quem sinistro et vere novercante nuntio vita excessisse dudum acceperam. Subinde dum hac in urbe sermo et quidem honorificus de te proxime ortus esset cum viro senatorio et ordinis litterarii primario Nicolao Barbo, altero sane mihi Aesculapio, te vivere didici et quasi Virbium alterum ad aetherea, ut poetae dicent, sidera restitutum intellexi. Qua ex laetitia et ut ita dicam resurrectione recreatus, non claimare non 15 potui: « Salve care parens iterum mihi reddite, salve; Amissum flebam, reducem complector amicum ». Hunc autem diem perinde ac denuo tibi natalem a me celebrandum et festum solemniter agendum pie dulciterque suscipio: et recte profecto. An tali amico nuper quidem recepto, olim vero summo cum honore et hilariitate comparato, non gratuler? Nam si hominis boni saluti et incolumitati pristinae restitutae gratulari convenit, vel ipsa invitante humanitate, qua factum est ut, quemadmodum Terentianus ille Chremes inquit, « humani nihil a me alienum putem »: quid 20 viro tam excellentis ingenii tam eximiae virtutis tam variae multitudinisque doctrinae faciendum est, in quo tot artes, sicuti bene olens corona, florent? quid autem tam praestanti medico, quem velut Apollinis oraculum ad communem mortalium incolumitatem unicum in terris perfugium habent? Ea propter iure quidem ac merito litterarum et omnis disciplinae parentem Homerum cecinisse 25 dixerim: ἵητρὸς δὲ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Id latine sic converterim: Vir medicus pretio multis aequav<er>it unus. Quid 30

*Verg. Aen. VII  
761-77; Serv. ad l.**cfr. Verg. Aen.  
v 80.**Hecat. I 1, 25.**n. XI 514.*

tua denique vetus et adeo gratiosa benivolentia, omni ratione,  
toto ut aiunt pectore, modis omnibus suscipienda colenda praedi-  
canda? eam tanto mihi decori laudi famae ornamento duxerim  
ut nullas ei vel Crassi vel Croesi divitias opesque comparaverim. 35  
Quis enim non magni me fecerit cum me tam praestantis viri et  
omni laude celebrati familiaritate dilectione praedicatum esse co-  
gnoverit? Efficiet nostra nimirum coniunctio et necessitudo, uti  
me non modo praesentes, verum etiam posteri cognitum per ora  
ducant: « Guarinum illum, inquiet, nostin Thomasio illi physico, 40  
eloquentissimo medico, omnibus paeclaris disciplinis, sicuti mem-  
bris unum in formosum corpus conspirantibus, ornatissimo carum  
intimum et in primis amicum »? Has ob causas, vir spectatissime,  
glorior laetor et triumpho, te mihi reviviscentem amplector, no-  
men exoscular, per cuius splendorem ad venturos usque longe 45  
lateque lucecam et propagabor; tua<m>que benivolentia<m>  
et cum honore caritatem ad liberos iam nunc quasi quoddam ius  
hereditarium cum dignitate gloriaque transibo. Nam si filios in  
bonorum partem ac fortunarum possessionem vocamus, quae quasi  
fortunae ludibria sunt, quanto firmius et certius in paternae laudis 50  
et amicitiae societatem alligamus, quae illis praesidio commenda-  
tioni et bene beateque vivendi rationi esse solent et vera quae-  
dam virtutis insignia. Vale et me ut soles ama.

<Ferrara 1450-51 c.>

#### 854.

(Bergam. A II 32 f. 82<sup>v</sup>; cfr. Tiraboschi *Stor. d. lett. ital.*, Firenze 1809,  
VI, II p. 445: « Una lunga lettera a lui (al Tommasi) scritta da  
Ferrara il primo giorno del 1452 da Guarino Veronese, in cui lo  
ringrazia di sì buon ufficio prestato alla letteraria repubblica »; la  
lettera fu veduta dal Verani in un cod. del sec. XV, che non era  
il nostro).

Guarinus Veronensis clarissimo physico Petro Thomasio  
sal. pl. d.

Utrum magnum te medicum an verum philosophum dignius  
appellem et praedicem, utriusque rei in te nobilitas et excellentia

---

37 praeditum? | 42 carum] earum cod. | 48 transcribo?

5 me facit ambiguum. Nam cum tot tantarumque rerum ad sanitatem pertinentium <vel recuperandam> vel retinendam cognitione ac peritia polleas, quis in eius artis fastigio atque arce stare te nesciat? cum in ipsa doctissimorum hominum iudicio facile princeps tantum emineas « quantum lenta solent inter viburna cu-  
 10 pressi ». Effecisti profecto singulari primum ingenio, tum eximia scientia simul et usu perfectissimus, ut non modo viros illos doctrina et prudentia mirabiles, sed etiam semideos sive deos artis auctores extitisse credamus, <de> quibus dictum est: « tibi se mortalia saepe Corpora debebunt, animas tibi reddere ademptas  
 15 Fas erit »; ac illud: « et vita functos revocas ad auras »; atque Phoebus ipse de se iactans dicat: « Inventum medicina meum est opifere per orbem Dicor et herbarum subiecta potentia nobis ». Cum igitur per istius praeclarissimae artis acumen calleres penitusque cognosceres ad salutem vel tutandam vel repetendam  
 20 pertinere maxime ut humores cuncti unum in consensum concordia inque conspirent, cum alioquin eorum dissensio atque seditio in morbum perniciemque deducant, hanc ipsam corporis conditio-  
 nem et medicinae *καύσωνα* ad animorum incolumitatem conservan-  
 dam vel revocandam concinnasti et ita concinnasti, ut quantae  
 25 illic medicus admirationi, tantae hic praedicationi philosophus habearis et integerrimorum hominum gratias consequaris. Noras enim omnem « virtutis laudem » non in disciplina sola aut dis-  
 putatione, sed « in actione ipsa consistere », cum alioquin Saty-  
 30 tyrus ille diversos carpat et insectetur, qui de virtute loquuti « Curios laudant et bacchanalia vivunt ». Quis est qui nullis de officio praeceptis dandis et navandis, quod « ab effiendo » derivatum est, philosophum sese praesumat asserere? sicuti nec militem aut agricolam, qui thoracis clipei telorum gladii vel aratri ligonis vel falcis usum prorsus abhorreat.

35 Quorsum haec tam longe retro series et tam remoto repetita principio, dum tecum sermonem producere et longius confabulari mirifice delector? Cum filius, natura quidem meus caritate vero etiam tuus, Gregorius epistulas quasdam legendas e Venetiis, idest urbe regum, rediens attulisset, tui amabilis et honorifici si-  
 40 gnum hospitii intellexi et, ut dici solet, manu ipsa palpavi quanta

Verg. Ecl. I 23.

Ovid. Met. II  
643-6.Ovid. Met. I  
521-2.Cic. de off. I  
10.

Iuvenal. II 3.

cura studio bonitate prudentia operam adhibueris pro redigendis  
in gratiam Poggio et Philepho, quos veteri benivolentia et familiari-  
tate mihi iunctissimos et studiorum necessitudine mihi du-  
dum copulatos amo et magnifacio. Proinde istius quoque particeps  
beneficii immortales tibi gratias et dico et habeo, ut pro amicis 45  
meis in antiquam caritatem pietatemque abs te reconciliatis tibi  
omnia debeam et perpetuo devictus esse nil recusem. Eos  
cum diuturna indignatio in aperta erumpens odia velut corrupta  
humorum confusio in ἀναρράσια pestiferumque morbum infixerat,  
reliqua membra, idest contubernales socios aequalesque infecerat 50  
et tabe contagiosa letaliter affecerat et sicuti virus late serpebat.  
Et, quod ignominiosius erat, hinc invidorum ac malivolentium lin-  
guae in litteras et bonarum artium studia vehementius acuebantur  
et pessimum reliquis ostendebatur exemplar: quod viri duo tantis  
excandescere notabantur odiis, qui doctrina qui tanta litterarum 55  
cognitione qui facundia qui magnarum rerum usu insignes, quasi  
duo latinae linguae lumina, tam pueriliter in se ipsos incursarent,  
morsus exercent et mutua scripta convitiis effunderent. In qui-  
bus legendis id mihi obveniebat, quod per spinas et tribulos et  
putrida loca iter habentibus, cum ex tam asperis et tam fasti-  
diendis sordibus praecipites erumpant et in aliquem sese amoe-  
niorem agrumi recipient: nam cum spurcissimos et abominandos  
ex illis percurrerem sermones, in tuas subinde, velut iocundissi-  
mum et floridum diversorium, meme discludebam epistulas, gra-  
vitate prudentia suavitate modestia integritate, christiana pree- 65  
ceptione plenissimas et salutari complectendas ἀντιδότῳ. Neutrum  
damno aut absolvo nec ius aut iniuriam *<in>* alterutrum reicio:

Verg. Ecl. III 108. « haud nostrum est tantas expendere lites » ; illud tantum dico,  
tantorum virorum scripta fugisse, « improviso aspris veluti qui

Verg. Aen. II 379. sentibus anguem pressit humi nitens » et occlusis, quoad licebat, 70  
auribus atque oculis, misericordia *<\*\*\*\*\*>* tam ardentibus  
impartisse animis. Eos autem cum bonitate tua, sapientia pietate,  
inisericorditer in unum animum unamque mentem contraxeris ac  
veluti aegrotantes in pristinam valitudinem reduxeris, quis non 75  
te sapientem medicum verumque philosophum admiretur praedicet  
gratuletur et in astra tollendum esse contenterit? Non sumus

nescii quam difficile quamque arduum sit mortalibus contentionem tam pervicacem avellere, quae diutius inveterata ac innutrita radices altius infixerit, sicut insenescensem magis ac magis canerum quis e membris extirpare conetur. Quocirca qui tua consilia et conatus de reconciliandis illis antea noverant, officium quidem probabant, effectum autem et ἐνέργειαν desperabant <et> de te illud Tolosani Statii dicebant: « Scopulos et ahena precando vincere corda paras ». Sed enim tantum in te virtus et christianae mentis ardor valuit, ut aliis desperata et impossibilia certam ad salutem, opitulante Christo Iesu, redegeris, qui pacem olim seminiaturus in mundum venerat. Tu igitur invictus, qui adamantina corda fregisti, immo vero Christus, te ministro, mollivit. Quantopere mutata in utroque tuo ex beneficio conditio ! maledictis in alterutrum antea laetabantur, nunc benedictis favent ; successibus prius tristabantur, modo bonam utriusque fortunam laetis excipiunt auribus ; mala exertis augebant linguis, hoc tempore amici bona, ceu propria, tollunt in caelum ; conyitia et ignominiose scripta disseminabant, quae demum utrique dolent ; manum et tabellas emissas odere, muti ut ea in parte fuissent, magniemptum esse vellent ; contemni turpiloquentia et illudi effrenata invicem obtrectatione solebat<n>t, per hoc tempus laudari et magnificeri se sentiunt, et qui servi fuere irarum, nunc victores furorem subie<ce>re pedibus. Talis autem Xenophonti quondam et Platoni, deinde Ciceroni et Crispo et nostro Hieronymo ac Rufino affuisset reconciliator interpresque Thomasius ! non tantum eorum laudi famae ac dignitati posteritas detraxisset.

Maius aliquid et pestilentius de ipsorum facto dicam. Hactenus alter alterius homicidae fuerant ; nam « qui fratrem suum odio prosequitur », ut praeceptio christiana tradit, « homicida est ». Quoniam modo tanti temporis intervallo sacrificium altari offerentes omnipotentem orare deum poterant, ut non eius faciem a se atque oculos abiceret, cum dicerent « dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ? » Nonne obsecratio illa verius erat execratio ? nonne adversum se iudicem precabantur et se damnatos et geenna dignos testabantur ? Tu vero salutis, et desperatae quidem, auctor et patronus, nec minus philo-

Th. III 28<sup>a</sup>

Ioh. 13, 15.

---

83 abena cod. | 86 redigeris cod. | 108 aliceret cod. (an averteret?)

sophus quam medicus, immo in utroque factus uterque, non modo unum alteri sed etiam se sibi reconciliasti ac viros bonos christianosque fideles restituisti. Te igitur, ut dixi, laudo, te amplector,<sup>115</sup> tibi gratulor, qui non tibi soli sed pro magni viri officio et humanitate principis amicis et hominum generi natus esse vis. Tu studia tua, tu vocem, tu corpus, tu bona hominibus impartis ea- que ad munificentiam liberalitatemque convertis ipsamque natu- ram, ut video, tua virtute superas. Nam cum unus homo genitus 120 sis, tua te bonitas plures reddidit et, ut poetae memorant, tri- corporem Geryonem et centimanum Briarea in dies ostendis: huic auxilio, illi consilio, alteri opera te promptum ultro non mi- nus quam rogatum exhibes. Testis sum ipse, testes erunt sermo-nes mei « si quid mea carmina possunt », in optimo filio meo 125 Gregorio, quem uti filium suscipis, tam benigne secum agis, tam studiose faves, ad spem bonam sublevas, ut eum tibi quoque aliqua ex parte gignas, quod sane beneficium non minori in laude quam paternae procreationis posuerim. Ipsa nanque generatio vel casu vel ex alio pendet instituto; qui vero sic amplectitur, de- 130 lectu consilio gratia munus absolvisse et accumulasse agnoscitur.

Salve igitur, nostra princeps aetate Thomasi,  
In commune parens. Hostes componis amicos,  
Allicis externos, gignis sine coniuge natos.

Vale. <Ferrariae kal. ianuar. 1452>.

135

## 855.

(Archivio Comunale di Verona. Atti del Consiglio F p. 26; pubblicata dal Rosmini Guarino I 105).

Duodecim et quinquaginta rei publice Veronensis presidentes  
cl. atque amantissimo concivi suo Guarino s.

Etsi vir nobilis Franciscus Turris legatus noster a te rediens  
retulerit receptam esse a tua in patriam pietate cum solito cen-  
tum et quinquaginta ducatorum stipendio vocationem nostram,<sup>5</sup>

---

121 tu corporem cod.

tamen ut libentius atque expeditius venias, te iterum sub annuo  
atque perpetuo ducatorum ducentorum tributo vocamus, nostro quo-  
dam iure affectuose repetimus, pie cogimus, fidenter urgemos: id  
quod et illustrissimum Dominium nostrum suis ad illustrem Mar-  
10 chionem litteris facit, quas idem Franciscus tam noster, quam eius-  
dem Dominii ad te atque illum legatus defert. Et propterea fidei  
habeas ac venias omnino expectatus quidem haud aliter quam a  
suis Athenis Demosthenes. Vale.

Ex Verona VIII ianuarii <1452>.

15

Cl. v. d. Guarino Veronensi  
tanquam fratri honorandissimo.

### 856.

(Archivio del Comune di Verona, Atti del Consiglio F p. 76<sup>v</sup>; pubblicata  
da me *La scuola e gli studi di Guarino* 211).

Spectatissimi patres et maiores honorandissimi.

Per nobilem ac prudentem virum Franciscum de Turri civi-  
tatis nomine legatum litteras a vestris dignitatibus qua debo  
reverentia nuper accepi sicut a patribus et maioribus meis ob-  
5 servandissimis, immo et benefactoribus liberalissimis, quippe qui  
prius minori me salario revocabatis in patriam, postinodum aucta  
summa ad annos perpetuos ducentos aureos pro vestra li-  
beralitate ad natale solum honore insuper accumulato me redu-  
citis. Oblatum igitur a vobis munificum et liberale stipendum li-  
10 benter et reverenter amplector, gratum acceptumque suscipio:  
pro quibus quidem meritis cum immortales et infinitas vobis et  
patriae gratias debeam, in declaranda mentis meae erga civita-  
tem gratitudine nulla a me pro dignitate reperiri valet oratio. Ce-

---

**856, 1** Item die vigesimonono ianuarii. Receptio litterarum. Nobiles et prudentes viri Tomasius de Mafeis et Bernardus de Lombardis provisores Communis Verone receperunt a nobile viro Francisco de la Turre ambasiatore Communis Verone referente et ore confirmante a domino Guarino predicto eiusdem litteras infrascripti tenoris *cod.* La copia è di mano di Silvestro Lando cancelliere della città.

terum enitar non modo pro viribus sed etiam supra vires, ut  
expectationi de me vestrae noctes diesque respondeam et vestrum 15  
mihi beneficium contulisse minime doleatis: adeo servire laudi  
famae commodis vestris vestrorumque studio cura et opere cona-  
bor. Ita vero me ad digressum accingam, ut dies unus iam nunc  
videatur annus. Ut autem hinc me dissolvam omnis adhibebitur  
diligentia et festinatio, quando cum pace bona Princeps illustris- 20  
simus exoratus est, sicuti legatus vester coram planius omnia  
vestris prudentiis renuntiabit, quibus me intime commendo.

Ferrariae XXVI ianuarii 1452.

Vester servitor Guarinus Veronensis.

Amplissimis et sapientissimis viris 25  
duodecim et quinquaginta rei publicae  
Veronensis praefectis, maioribus honorandis.

### 857.

(Verona Comunale 1393 f. 128).

Verona Guarino s. d.

Romani graiique simul celeberrime princeps  
Eloquii, patrie decus ingens, noster alumne,  
Huc ades expectate tuamque revise parentem.  
Te voco, nate, redi: venerabilis ecce senatus  
Te vocat ipse meus, vocat ipsa scholastica pubes, 5  
Et tibi dignus honos et premia digna parantur.  
Quid procul a nobis crassoque sub aere tantum  
Esse iuvat? tandem nebulosas desere terras  
Undantesque lacus, fulicas ranasque loquaces  
Effuge et hospicium pulchre pete matris amenum.  
Urbs ea, que externis dudum te detinet oris, 10  
Numine nescio quo, liceat mihi dicere verum,  
Non habet ut possit merito contendere mecum;

---

857, *il crasso aere*, per il quale Ferrara godeva cattiva fama.

Non habet ut laudi se comparet emula nostre,  
 15 Sive loci ingenitas vires feliciaque arva,  
 Sive situm aspicias, quo non formosior extat.  
 Ecce ego turrigerum caput elevo menibus altis,  
 Colle sedens plano circumfero brachia campo  
 Meque Athesis medium placidus perlabitur amnis.  
 20 Finibus immensis extenditur undique campus  
 Dona ferens large Cereris Bacchique potentis.  
 Orchades et radii quodque obtulit ipsa Minerva  
 Pingue oleum, nec fallor enim, prestantius a me est.  
 Insigni, Benace, lacu preclarior ipso  
 25 Lucrino eternis matrem me laudibus ornas.  
 Adde tot egregias passim quas prospicit arces  
 Adiceque ingentem pulcherrima rura per agrum;  
 Lanicumque meum Milesia vellera vincens  
 Orbe fere toto fama volitante recurrit.  
 30 Sed me nulla magis succedit gloria, quam quod  
 Sim sortita sacrum redditem iura Leonem,  
 Qui terra pelagoque potens procul executit hostes.  
 Plurima pretero, tibi que memoranda linquo,  
 Quare, ubi te fuero visentem regna parentis  
 35 Iocundo complexa sinu, laudabile totum  
 Splendidius meliusque tuo celebrabitur ore,  
 Quod certe altiloquum sacris de fontibus hausit  
 Aoniis habilem cantum vocemque canoram.  
 Nos quoque te vatem veneramur Apolline plenum.  
 40 Ergo veni tandem musis comitate, mihiique  
 Si quod inest decus ingenii auxiliare faveque  
 Atque tui similem, doctissime, suffice prolem.  
 Tolle Catullum iterum priscosque effinge Secundos;  
 Nam licet ob plures alias ferar inclyta dotes,  
 45 Hac equidem contenta magis mihi blandior una,  
 Ornatis ornata viris dum fulgeo tota,

---

22 Verg. *Geo.* II 86 | 30 succedit cod. (Verg. *Aen.* VII 496) | quam-  
 quam cod. | 31 *Leonem*: il leone di S. Marco, insegnà della repubblica  
 veneziana | 33 Verg. *Geo.* IV 148 | 42 suffire cod. | 43 *Secundos*: i due  
 Plini, allora ritenuti veronesi.

Iaspidibus cunctis cunctoque nitentior auro.  
 Sed satis in longum patior mea damna diuque  
 Conqueror orba parens absentia commoda nati,  
 Commoda que, ut nosti, patrie sunt debita grata. 50  
 Iusta peto; tandem mea vota Ferraria reddat,  
 Scilicet extrema te *<ut>* saltem, nate, senecta  
 Perfruar ac demum foveam tua molliter ossa.  
 Ad me igitur converte animum converteque gressum.  
 Tempora cornicis, superans quoque tempora cervi, 55  
 Transige Nestoreos mecum feliciter annos.

*<Verona gennaio 1452>.*

### 858.

(Padova Univers. 1261 f. 26).

Guarinus Veronensis Valerio Balbalio sal. pl. d.

Tuus nuper adventus *<effecit>* ut dubitarem laetandumne  
 an vero tristandum mihi sit. Nam cum primus ille congressus  
 mirificam mihi attulerit suavitatem ex morum tuorum dexteritate,  
 ex sermonis dulcedine illa cygnea, ex subapparente prudentia 5  
 singulari, mixta secum pari bonitate, tanta nascebatur inter fa-  
 bulandum iocunditas, ut prorsus oblitus mei viderer. Cum vero  
 tam repentinus adventus fuerit, *<quam>* invicem discessus, ut  
 prius ademptus quam concessus mihi videare, reliquisti post  
 mella, brevia quidem, diurniorem aculeum, ut non tam dulce 10  
 fuerit mihi *<te>* vidisse, quam triste te ipso carere: praesertim  
 cum ex incohata familiaritate fructus magna ex parte pereat, qui  
 ex consuetudine augeri atque servari solet; nam ut conterraneus  
 meus Catullus ait, « amantes non longe a caro corpore abesse  
 volunt ». Huic autem desiderio et molestae sollicitudini res una 15  
 futura remedio est sive solatio, si vel crebra invicem recordatione  
 mutuam supplebimus absentiam, ut datis ultiro citroque litteris

66, 32. 52 *extrema senecta*: Guarino aveva allora 78 anni | 55 *cornicis, cerri*; cfr. Plin. N. H. VII 153.

858, 6 simul? | 10 quod cod. | 16 sive] sine cod. | si vel] sine cod.

virgilianum assequamur illud: « absentem absens auditque videtquē ». Quam ad rem ipse, ut dicitur, glaciem frango; simul 20 comites mihi Iani versus quos laudarem, ut muneris pretium et excellentiam ostenderem, cum ad antiquorum vātum praeconia proxime accedant, nisi tu satis tuo valeres iudicio. Accedit quod Iani commendatio, mēa forte iudicari posset commendatio, quod de se ipso fieri vitae magistri vetant.

25 Vale et me quem diligere coepisti, amare perge et de litterarum et comitum adventu me certiore facito.

Ferrariae 16 augusti 1452.

### 859.

(Padov. Universit. 1261 f. 37; Padov. Seminar. 598 f. 34<sup>v</sup>; Berl. lat 2.<sup>o</sup> 667 f. 137).

Guarinus Veronensis clarissimo physico Nicolao Leonardo sal. pl. d.

Memini, pater Nicolae, te primis ab annis, quibus nostra familiaritate iocunde fruebamur, illud et crebro et libenter usurpare 5 proverbium τὰ τῶν φίλων ζοιγά. Id in hanc usque aetatem tibi inhaesisse video ut senectus ipsa, licet annos mutaverit, mores bonos non mutaverit. Testis ipse sum, quem cum pro tua mansuetudine semper carum habueris, ita <ut> primo dilexeris, deinde ut fratrem amaveris, in hunc usque diem tuam dilectionem 10 serves et amorem. Nec eo in me servando contentus, in filios quoque benivolentiam tuam hereditario iure transmittis et ita transmittis, ut pro tuo instituto filios tibi quoque communes esse et fore constituas et qui natura et procreatione mei sunt, beneficiis cura studio favore tuos efficias. Nam ut Gregorii mei, seu verius 15 nostri, litteris certior factus sum, nihil omittis quo ipsum iuvare ornare et ampliorem efficere valeas: quod eum mihi gratissimum

18 assequemur cod. | 21 ab cod. | 25 litterarum] earum (harum?) cod. | 26 comitum: cioè i versi.

859, 5 Il greco qui è sotto è dato dal solo Berl. | 7-10 Il periodo è anacolutico.

Plut. Mar. 3,  
2-3.

sit, ipsi magis et magis honorificum est. Nam quis illum non magnifaciat et vehementer probet, quem tibi, scientia sapientia fama laude clarissimo, acceptum carum coniunctum esse videat? Quid magnificentius eidem obvenire in vita potest, quam <ut> 20 tibi placere probarique cernatur, qui in laude vivis, in laude vi-xisti et primarius habearis doctrina virtute vita? Mario laudi datum est, quod in re militari cautus sapiens fortis esset; sed non minor fuit eius praedicatione et ad favorem hominum vendi-candum claritatemque nominis adipiscendam via, quod sub Sci-pione posteriore Africano meruisse stipendiaque fecisset. Contra tibi non inferiori laudi et εγνωμίω est, quod Gregorium tibi filium conciliebat, quam quod alios genueris multosque saluti et vitae re-stitueris. Quis enim benefaciendi et munificentiae delectum et ad altiorem dignitatis gradum homines tollendi propositum atque 30 consilium cum ceteris factis conferre audeat? Perge ut in filio coepisti et hoc laudatissimo proposito illud tibi nobilitatis nomen quaesisse gaude, ut et praesentibus et posteris dubium disputatu relinquas, maiorne languentium sanator an sanorum benefactor extiteris. Utriusque testes plurimos, sed in primis Guarinum, im-mo Guarinos habiturus es nostros, quorum sermone ac litteris « semper honos nomenque tuum laudesque manebunt ». Vale phy-sicorum decus et decor.

Ferrariae pridie kalendas octobris 1452.

## 860.

(Guarner. 28 f. 126<sup>v</sup>; Vatic. 5220 f. 22; pubblicata dal Querini in Fr. Barb. *Epist.* p. 289).

Guarinus cl. viro et equiti splendido F. Barbaro s. d.

Et mecum gloriior et cum aliis, quod tua ita me benivolentia donaris, ut in ea non parvum ius habere me volueris. Quod tam mihi contingit honorificum in vita, ut id piae me feram, pae-sertim cum tuae humanitatis adiuncta sit commendatio qua effe- 5 cisti ut cum ortus tui partem amici vendicent, ego <fero totum

---

19 vel clarissime codd.

te possideam. Eo> igitur, te volente, perveni ut non minus de te quam de me amicis polliceri audeam, qui vel ideo, quia mei sunt, et tui fiant necesse est. Ecce Iacobus Peregrinus vir et  
 10 bonus et prudens, cui et longi temporis familiaritate et stricta sum affinitate coniunctus, petere gratiam a serenissima dominatione nostra instituit, cui exaudiendo non parvum in te ipso momentum divinitus attributum est, sicut coram ipse planius et plenius intelliges. Quid mihi apud alios faciendum esset, non ignoro ; preces  
 15 adhibendae, causae pietas explicanda. Apud te id satis esse non dubito, quod meum et esse et dici Iacobum agnoscas, qui sponte tua meis non rogatus, non vocatus occurras, et beneficia ultro conferas. In Iacobum tantum oro tribuas, quantum tuum in Guarinum conferres. Quod mihi futurum est ad laudem, cum Iacobo  
 20 gratias multis ex officiis reddidero tuam per operam, et cum apud virum omni ex parte commendatum, idest te, litteras et commendationes meas tantum valere dicetur. Servi igitur saluti Iacobi, qui mearum semper laudum accumulator extitisti ; unde et nostra civitas semper te praedicatura est, et Peregrinorum familiam tibi perpetuo facturus es obnoxiam et me vel novo beneficio tibi ἀθανάτως obligabis. Vale, nobilitatis decor et decus.

Ex Ferraria 22 octobris 1452.

## 861.

(Harleian 2580 f. 76<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis suo Othobello causarum patrono veronensi sal. pl. d.

Tua mihi in praesentiarum opus est opera, non ista tua forensi et clamosa, sed quieta ex bibliotheca, quae mihi quidem  
 5 eo iocundior est, quo materiam laetiorem praebet ad scribendum et litibus tuis alieniorem, ut vel sic tecum sim si non corpore, at recordatione atque sermone : obvenietque Virgilianum illud « absentem absens auditque videtque ». Quod <quia> tibi ut mihi gratum propter diuturnum inter nos silentium arridebit,  
 10 promptius et alacrius exaudies Quidnam est ? inquies, Othobelle

Aen. IV 83.

carissime. Praeceptorem habui iuvenilibus ab annis Byzantii Manuelem Chrysoloram, virum nulli aut doctrina aut virtute secundum: quibus duabus rebus tantopere excelluit ut non modo aetatis suae hominibus doctissimis atque optimis, sed etiam priscis illis divinis sane viris si non maior, at certe par fuit: generis 15 nobilitatem et majorum suorum gloriam taceo, cum maiorem poscerent orationem. Huic cum aliam referre pro dignitate gratiam non possim qui me aluit erudivit et honore quantum in se fuit ornavit, statui pro virili mea illum laude invicem et gloria viuentem apud posteros reddere et spirantem illi dicare statuam et 20 quodammodo post se ipsum superstitem efficere. Ita fiet ut pro brevi corporis vita diuturnam eius memoriam reddant superstites de quibus optime meritus fuit. Quam quidem ad rem scripta et litterarum monumenta plurimum valent et ita valent ut, cum Athenae Carthago Roma denique collapsa moenia et solo aequata 25 seu vetustate seu bellorum violentia cernant, scriptorum tamen beneficio needum e mortalium memoria evanuerint, quin late florent.

Itaque, sicubi possum, odorari et investigare pergo scriptas ad eum vel de illo epistulas et investigatas invenire, inventas 30 colligere et unum quoddam corpus conficere, unde venturi hominem legant, lectum agnoscant, agnatum ament, amatum colant praedicent nomenque propagent. Tu igitur huic meo desiderio et honestissimae diligentiae subvenias oro et adiumento sis. Quidnam facturus sun? inquier. Memini nanque grandius tibi volumen ex plurimis confectum et auctum epistulis, in quibus si qua est ad Chrysoloram ipsum aut de ipso suisque laudibus rogo ut recenseas et eius inventae mihi facias copiam. Percurrendae nanque sunt cursim et eius generis excreibendae et scriptae ad me per diligentem nuntium mittendae. Tuus iste labor sit « nec te 40 gravet » obsecro vel mea causa vel officio tuo: debes nanque tu illius honori dignitatique favere, qui cum mihi disciplina et domestica consuetudine pater extiterit, tibi avus et habendus et appellandus est, cum simus uterque litteraria cognatione devincti. Quae illius cura et diligentia latus adeo sparsit per Italiae re- 45 gna radices grandesque et uberes fructus disseminavit, ut Ital-

Verg. Aen. II  
708.

rum studia immo vero Latinitatis disciplina cuncta, quae dudum per inextricabiles vagabantur umbras et errores, Chrysolorae ductu et luminis accensione illustrata et directa perdurent. Quo quidem  
 50 tam divino et immortali beneficio factum est ut huius aetatis felicitate perinde ac ortae ac resurgentes in lucemque denuo productae litterae Chrysolorinae iure meritoque dici et sentiri debeant. Nam si cerasa, si poma quaedam, si fruges vel Luculliana vel Appiana vel Cereales in hoc usque saeculum vulgo appellantur nomenque ab auctoribus servant, cur non et hae alendis vivificandisque animis et hominibus fruges cultoris appellatione et Chrysolorae cognomento decorabuntur et nostra in benefactorem gratitudine perpetuo cognomento servabuntur? Nostrum enim est ut naturae defectum posteritatis recordatione suppleamus, quin  
 60 pro gratae mentis officio ad dominum ad patrem ad magistrum Chrysoloram sempiternum decantemus illud, acceptorum memores beneficiorum: « in freta dum fluvii current, dum montibus umbrae lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet semper honos nomenque tuum laudesque manebunt ». Quae cum ita sint huic  
 65 tam grato tam debito instituto propitius accedes et intermissa clientulorum turba eisque tantisper expectare iussis, praesertim qui cervice leves et vacuis adventant manibus, Chrysolorae meo atque adeo nostro tuam ut dixi et oravi navabis operam, ut gratum et memorem superstitem testetur habere nepotem.

70 Ferrariae VII idus augusti 1452.

Verg. Aen. I  
607-9.

## 862.

(Harleian 2580 f. 80; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 212).

Guarinus Veronensis suo dilecto filio Nicolao sal.

De proximo tuas una cum binis alteris gestatis in sinu litteras accepi, quibus miraris vel potius tacite mordes dictionem meam quibusdam ex epistulis meis quas olim paene puer lusi.  
 5 Vocabula quoque nonnulla latini sermonis proprietatem minime redolentia et aliam loquendi atque eloquendi formulam prae se

---

862, 6 redditio cod.

ferentia perpendis. Qua de re tuo de paterna scriptione iudicio  
gratulor; scriptis vero meis perinde ac ab inferis in lucem re-  
volutis et ferme mihi ipsi incognitis nonnihil erubesco, quae post

X Plat. de r. p. p. 614.

lethaeos haustus ad superos instar platonicae illius παλιγγενεσίας 10

Mercurius alter revocasti. Hoc in loco virgilianum illud venit in  
mentem: « quae te tam laeta tulerunt saecula, qui tanti talem  
genuere parentes ». Nam sicut infeliciter olim nobiscum actum  
erat, ut ad ineuntes usque annos nostros tantopere studia ipsa  
humanitatis obdormissent iacentis in tenebris, ut avitus ille ro- 15  
manae facundiae lepos suavissimusque scribendi flos emarcuisset  
et nescio quae « sartago loquendi venisset in linguas », unde  
acerbata erat oratio: sic aetas haec « felix sorte sua », de qua  
longius provehar, ut docente me tenetrum varietatem addiscas.

Lucan. VII 62. Ignorabatur « romani maximus auctor Tullius eloquii », 20

Cic. de sen. 31. « cuius ex lingua » penes maiores nostros « melle dulcior fluxerat oratio », a qua velut e speculo Italia dicendi formarat imaginem; solaque ciceroniane dictionis quandam aemulatio ac delectatio vehementem proficiendi causam induxerat. In eius autem locum longo post intervallo cum Prosperos, Evas Columbas et Chartulas irrumptentes quaquaversum imbuta absorbusset Italia, quaedam germinabat dicendi et scribendi horrens et inulta barbaries. Ut beata quaedam tunc adorabatur ubertas, si quis ita dixisset: « Vobis regratior, quia de concernentibus capitaniatui meo tam honorificabiliter per unam vestram litteram 30 vestra me advisavit sapientitudo ». Inter has sermocinandi tenebras aliqua tamen ex naturae bonitate scintilla elucescebat, quae nullo duce caliginosum illum aerem avertere conaretur; nondum tamen, lippiscentibus oculis, illum avorum nostrorum splendorem ferre poterat; idque nobis obveniebat, quod e Germania proficientsibus in Italiam percipiendae linguae latinae causa: qui si ad inulti et horridi oris populos divertant, imbibita locutionis sorde et spinosa verborum asperitate offendunt potius aurem quam allicant; sin ad innatae facundiae et ingenitae dulcedinis linguas transmigrent, gustata mellitae dictionis suavitate cultus 40 mox sermo suscipitur et vox ipsa cygnea.

Mercurius interea, ut poetae aut astrologi dicerent, immo,  
ut verius christiana de fide loquar, Mercurii creator Dominus et  
moderator deus nostram miseratus imperitiam Manuelem Chry-

45 soloram misit ad nos, virum omni doctrinarum copia abundantissimum, in quo nescias scientiane magis an virtus eniteret: utrum in eo perpendas, altero maius dices; et profecto nec laude crescere nec taciturnitate minui poterit. Quocunque ibat, suus ut dies festus celebrabatur adventus: gratus imperatoribus, acceptus 50 pontificibus romanis, exoptatus populis veniebat. Diceres missum e caelo in terras hominem. Is delatus Florentiam quasi reflorescentis eruditionis auspicium et magnificentissimae civitatis delectatus hospitio, ibi sedem habuit multis conditam honoribus nec parvis fructibus laetissimam; ut, quae artium egregiarum mundi- 55 tiarumque ac expositionis parens altera semper extitisset, ea ex urbe cooperit, sicuti Triptolemus alter, litterarum fruges per nostrorum ingenia dispertiri et nostrates ad colendum animare, unde germinantia late semina brevi fructus mirificos edidere. Sensim augescens humanitas veteres, ut serpens novus, exuvias depo- 60 nens pristinum vigorem reparabat, qui in hanc perdurans aetatem romana portendere saecula videtur. Contigit igitur quod de stiis civibus Tullius factum affirmat: « Post autem auditis oratoribus graecis cognitisque eorum litteris adhibitisque doctoribus incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt ». Huic 65 itidem rei conduceit scitum illud de Catone maiori testimonium: « Qui si eruditius videbitur disputare quam consuevit in suis ipse libris, attribuito litteris graecis quarum constat perstudiosum fuisse in senectute ». Longa itaque desuetudine infuscatus ante latinus sermo et inquinata dictio Chrysolorinis fuerat pharmacis 70 expurganda et admoto lumine illustranda.

Ne feras gravate, Nicolae fili, si resurgentis disciplinae limatioris originem et paternam commonstro diligentiam simul et peregrinationem, quam ipse per aetatem ignorabas, <ut> et posteris prodas et ad studia calcar accipias. Seniori deinde Mediolani duci Iohanni Galeaz augustae sane dignitatis principi Manuel mirum desideratus in modum et grandioribus aecitus praemiis fuit, quia suorum familiarium honestamento solus ille cumulus deesse videbatur et laudi, cum dux ipse incredibiliter gloriae avidus esset. Eo dehinc mortuo redeuntem in patriam Chrysoloram subsecutus suu, ut discendi ardoribus anhelantem instrueret erudiret informaret, modo id assequi potuissem. Hoc in tempore, ut initio dixi, cantare virgilianum potes illud: « Quae me tam

*ad or. 11.*

*Cic. de sen. 2.*

laeta tulerunt saecula », in quibus politiora iam studia non solum  
nostrates sed etiam exteris nationes occupant. Ad paratam, ut  
dicitur, mensam accessisti, ubi reiecto putamine mundum ac de- 85  
licatum nucleus esse potuisti. Post tot percursos oratores et poe-  
tas aliosque scriptores, qui ubique iam leguntur, emendatum pu-  
rissimumque nactus es sermonem; quae quidem ab exordio res  
mihi nequaquam obtigit. Iam non hominum sed aetatis laus esse  
incipit, ut diserti dicantur homines latinaque sermocinatio; nec 90  
tam bene dicere commendatio est, quam male convitium; plus-  
que latine nunc loqui decet, quam pridem barbare dedecepbat.

Eapropter, carissime fili, siquid improprie ineruditeque scrip-  
tum a me olim fuisse deprehendis, cogitare debebis id prioris  
saeculi vitium et depravatum fuisse morem. Proinde tu quasi 95  
balbutientem patris infantiam risu complectaris, quam derideas  
aut contemnas; nec vero lactentibus de labiis eruditionem exigas,  
quam adulta et grandior profiteri debet aetas. Nonne, « si parva  
licet componere magnis », vides alio Ennium alio modo cecinisse  
Virgilium? alio item Censorium alio genere orasse et scriptitasse 100  
Ciceronem? non eo Fabium Pictorem modo quo T. Livium res  
gestas posteritati commendasse? Sic qui blaese balbeque mutire  
puer impune solitus erat, idem graviter et ornate dicere iam  
potest.

Haec sunt quae tecum vertens mirari de meis iam scriptis 105  
desines et varietatem censorio non insectaberis iudicio. Vale.

E Ferrari. III kal. sept. MCCCCLII.

### 863.

(Harleian 2580 f. 83: pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino*  
215; due brevi passi in Calogerà *Opuscoli* XXV 275: 276; 280-281  
« dalla libreria del sacro eremo di Camaldoli in Toscana »).

Baptista patri suo amantissimo Guarino s. p. d.

Nuper cum e Ferraria in Polyzelanum nostrum laxandi ani-  
mi gratia diverterem, genitor amantissime, tuum mihi volumen  
epistularum, quas in praceptoris recordationem chrysolorinas ap-  
pellari iubes, perinde ac comites praebuisti, ut si quando rusti- 5

---

96 potius quam?

canae voluptates satis etiam afferrent, ego animi molestiam litteraria illa confabulatione levarem. Accidit igitur, quemadmodum rerum paene omnium natura existit, ut longo auctoriorum et venerationum usu eiusmodi voluptatum nobis fastidium suboriretur; 10 cumque in otio vitam degeremus, chrysolorinarum tuarum mihi venit in mentem; arreptoque statim volume illo cum Manuelis Chrysolorae, qui tibi pater mihique avus de praceptorum lege adiudicandus est, laudes perscribi cernerem, tanta profecto legendi delectatione afficiebar, ut librum illum a fronte usque ad calcem 15 uno, ut aiunt, spiritu perlegerim.

Ego cum tuam saepenumero humanitatem doctrinam integratatem antea cognovissem, ex illis tunc epistulis insignem certe animi tui gratitudinem intellexi. Qui cum Manuelis memoriam temporis edacitatem consumi videres, qui apud omnes tollendus 20 erat in astra praeconiis, praceptorum tuum tanto involvi silentio tolerare minime potuisti; patris inquam tui famam, aliorum incuria cadentem, solus tuae in ipsum pietatis diligentia exceperisti eumque ab lethaeis, ut poetae dicerent, undis vendicasti. Nam cum dupli modo ad posteros virorum fama transmitti valeat, 25 aut solidis statuis aut scriptis eorum monumentis, tu prudentia tua meliorem delegisti. Saxeа nanque vel aerea simulacra et incendiis corrumpi et imbris ac temporis longitudine vastari queunt; laudes vero quas poetae ac oratores scriptis illustraverint suis nullos metuunt ignes nullis fluctibus aut aetatis vetustate 30 labefactantur nullos denique formidant interitus. Accedit etiam non mediocris utilitas, quod si marinoram intueamur imaginem nullo nos pacto ad illius similitudinem transformare possumus; si vero excellentis viri mores et bene vivendi regulam per litteras memoriae proditam legamus, ad illum imitandum omni opera 35 studioque et cura contendimus. Quam etiam ob causam veteres illos maiorum suorum signa in aedibus habuisse conperimus, ut illa posteris incitamento forent, ne a praeclaris avorum gestis degenerarent. Optimam igitur, pater suavissime, donandae Manuela immortalitatis rationem delegisti, cum de ipsis laudibus confec- 40 tas epistulas unum in corpus redegisti, immo verius redigere coepisti. Infatigabilis enim illius aut de illo quaquaversum scripta perserutaris et quasi molossicus canis eorum vestigia odore sectaris ut, si qua in latebris recondita sint, tua opera et acuta in-

vestigatione in lucem prodire cogantur, adeo ut Manuelis gloriam  
nulla obscuratura sit oblivio.

45

Si quis enim sui generis splendorem, vitae sanctimoniam,  
integritatem doctrinamque cognoscere cupiat, huic certe Andreeae  
Iuliani patricii veneti et viri sane eruditissimi satis abunde fune-  
bris demonstrat oratio, quam tu in voluminis tui fronte quasi  
quoddam ad notitiam celebritatemque Manuelis vestibulum praे- 50  
posuisti. Sunt et aliae in codice illo epistulae a doctissimis viris  
et a te quaeque in eius praeconia compilatae, quae ignotum antea  
pluribus Manuelem nunc omnibus plane notissimum reddunt. An-  
diveram equidem ex te saepius, cum de illo frequenter consue-  
veris usurpare sermonem, adeo eximiae ipsum corporis formae 55  
extitisse, ut paucis postponere auderes. Meini enim te dicere  
solitum illius staturam haud nimis longam fuisse nec tamen bre-  
vem, quae quidem res auctoritati suae et doctrinae conferebat.  
In his nanque longiusculis minus naturae vires operari minusque  
per totum corpus probe diffundi queunt; unde non ab re de iis 60  
a conterraneo nostro Catullo dictum est: « nulla in tam magno  
corpore nica salis »; parvuli vero caeteris contemptui esse solent.  
Erat praeterea subrubicundus in facie et ut ipse asserebas ru-  
beam patrio de more barbam ac visu speciosam gestabat in mento.  
Vultus semper hilaris videbatur, non tamen insipientium more 65  
ridibundus, adeo ut hilaritate condita gravitas appareret. Eius  
effigies intuentibus illorum referebat imaginem, quos in sapientia  
primarios colebat antiquitas. Ipse omnibus affabilis et consuetudine  
iocundus erat omnesque sua morum elegantia ad se diligendum  
alliciebat.

70

Haec quidem, pater carissime, ex te audivisse memoria te-  
nebam. Caeterum posteaquam illas perlegi epistulas in unum  
abs te coactas magnam profecto eius viri notitiam habere coepi.  
Intellexi quantæ apud illustrem Mediolani ducem Iohannem Ga-  
leaz aestimationis fuerit, quem bonarum et liberalium artium por- 75  
tum atque perfugium sua aetas habuit. Is cum hunc de quo lo-  
quor Manuelem in Italiam adventasse percepisset et cum maxi-  
mis apud se salariis habere cuperet nullaque id argenti multitudine  
fieri posset, cum iam ille in nobilissima urbe Florentiae domici-

---

863, 76-85 Is cum — profectus esset *Calog.* | 77 eum *Cal.*

80 lium collocasset, a serenissimo Graecorum imperatore Manuele Palaæologo, qui tunc Byzantii obsidionem fugiens in Galliam pergebatur, ut ipse refers, impetravit ut auctoritate sua Mediolanum accerseretur. Qua quidem in re singularem Manuel Chrysoloras animi sui modestiam declaravit, cum nulla auri cupiditate tractus  
85 sed sola sui imperatoris maiestate permotus illuc profectus esset.

Intellexi quoque ipsum ab eodem constantinopolitano imperatore ad summos pontifices Romam, ad Gallorum et Britannorum reges quandoque oratorem missum fuisse. cuius cum virtutem cognovissent, ipsum amabant colebant et summis honoribus pro-  
90 sequebantur. Ex epistula praeterea tua quam ad cl. v. Iacobum Fa-  
brum elegantissime de Manuelis epitaphio consecisti percepit quan-  
tae apud Constantiam generalis tempore concilii existimationis fuisset, qui antequam ibi diem suum obiisset ab omnibus summo sacerdotio dignus habebatur. cum eo in loco tollendi ex romana  
95 ecclesia scismatis gratia de singularis papae creatione ageretur.

Magna sunt haec profecto iudicanda et divini paene hominis indicia censenda, cuin uno in viro omnia honorum genera coacta sint. Nam sicut abs te frequenter praedicante cognovi et ex libro tuo legendo perdidici. fuit ille et externis et corporis et animi 100 dotibus praeditus. Fuit enim ex praeclarissima parte orbis Europa oriundus, quae cum plurimis et magnificis urbibus polleat, Byzantio in primis. Manuelis patria et civitate opibus « atque ubere glaebae » fertilissima, decoratur. Chrysolorarum vero stirpe progenitus erat. quae non solum Byzantii sed totius ferme Grae-  
105 ciae clarissima putabatur, ex qua cum ingentem ipse splendorem susciperet, non minorem illi gloriam suis virtutibus et equestris ordinis dignitate reddebat. Rectam praeterea valitudinem optimamque membrorum et corporis habitudinem sua ex continentia genitam possidebat adeo ut quamvis magnam senectutis partem  
110 transegisset, tamen cum legatus foret nullis equitandi laboribus nullis navigandi fluctuationibus nullo frigore nullo aestu gravabatur. Quid ipsius animi virtutes recensere opus est? Nam ut eius prudentiam magnanimitatem iustitiam religionem omittam, nonne ipsius doctrinam saxa quoque proloqui deberent? qui suo  
115 in Italiam adventu cadentes et iam prorsus extinctas litteras su-

---

82 refert Cal. | 85 est Cal.

stentavit et in pristinum fulgorem revocavit. O festum diem et annua recordatione concelebrandum quo Manuel Chrysoloras toti salutifer Italiae has ad oras perrexit! o salubrem inquam ad nos viri illius adventum! Quis enim antea bene doctus et vere eruditus poterat appellari? Quis Ciceronem aut Virgilium aut aliquem probatum seu poetam seu oratorem perlegerat? Quis romanorum principum res gestas a Plutarcho descriptas, nisi Manuelis beneficium accessisset, cognoscebat? Quis denum linguae latinae proprietatem callebat? Postea vero quam suam ipse doctrinam hominibus nostris impertivit, quamplures eloquentissimos 120 et dicendi facundia eruditissimos extitisse videmus. His quoque temporibus disertos homines qui ab eius disciplina originem ducent quasi scaturientes undique eloquii fontes manare cernimus; ipsam denique eloquentiam et nostra humanitatis studia, quae iam penitus occiderant, Manuelis industria revixisse fateri sane 130 debemus. Et profecto universi harum imitatores artium quemadmodum Ciceronem linguae latinae parentem nuncupant, ita Manuelem ipsius amissae restauratorem appellare pro suaे gratitudinis officio non recusabunt; nam cum graecas ipse litteras doceret, a quibus nostrae, ut Quintilianus ait, effluxere, tunc de- 135 munum nostri veram latinarum cognitionem habere easque cognoscendo exercere et in lucem revocare coeperunt.

Quae omnia licet tibi non ignota esse sciām, tamen in praesentia recensere volui, ut materia haec utrius nostrum et tibi auditu et mihi narratu gratissima quoddam absentiae nostrae solamen afferret. Si vero quisquam adeo ingrati fuerit animi, genitor carissime, ut ipsum salubritatis huius auctorem negare audeat, huic de te ipso non infirmum ante oculos argumentum proponam. Scio enim hoc gravata mente non feres, cum in praceptoris tui amantissimi laudem redundet ac gloriam. Nam, sicut ipse in apologetica eiusdem tui voluminis ad Nicolaum filium testaris epistula, cum in Graios discendi gratia profectus esses, rudes et ob illius temporis dicendi desuetudinem incomptas litteras ad Italos remittebas; quantum vero deinde sub Manuelis disciplina proficeris, ego quidem ne ad arrogantiam loqui videar reticebo; caeterum tua nec pauca opera ac edita volumina declarabunt, pae-

---

145-50 Nam - reticebo Cal.

sertim cum haustum quoque ab illo doctrinam sic longe lateque disseminaveris, ut eius utilitatem universa in dies decantet Italia.

Quae cum ita sint, ipse medius fidius de prisorum more a 155 nobis immortalitate condonandus esset. Nam si illi accepto grandi merito nullam satis dignam referre posse gratiam existimabant, nisi beneficii collatorem divinitate consecrarent, cur non istum qui toti fuit salutifer Italiae mediis in astris collocamus? Quod cum faciendum sit abs te, genitor amantissime, ut eo revertatur 160 unde mea discessit oratio, cum Manuele bene actum et pro tui animi gratitudine bene agi intelligo, cum ob prorogandam eius ad posteros memoriam de ipsius laudibus epistulas collegeris et in dies colligere non graveris. Mihi vero codicis tui gratissima fuit lectio, tum quia molestiam ex otio insurgentem ab animo 165 repellebat, tum quia avi mei praesentiam referens intimam mihi de illo notitiam exhibebat, quem tuo exemplo « dum spiritus meos reget artus » in caelum tollere et quantum in me fuerit collaudare minime defatigabor. Vale, pater optime, et me tibi commendatum habeas.

170 Ex Verona idibus octobr. MCCCCLII.

## 864.

(Harleian 2580 f. 88).

Guarinus Baptistae Guarino filio dilecto sal. pl. d.

Si linguae quidem innumerabiles, resonantissimus sermo, vox denique stentorea mihi divinitus tribuatur, vix explanare posse crediderim quam amoena quam grata quam postremo iocunda 5 fuerit epistula, quam tuae quidem ambulatiunculae comitem, revisionis autem praenuntiam e nostro mihi Polyzelano misisti. Nam cum ad recreanda musarum studia aucupiis et venationibus mentem relaxandam instituisses, ad fastidia nanque vitanda novosque labores induendos non parum ad tempus libata valet 10 intermissio, in turdos ac lepores participem me fore sperabam et satis habebam ut vel sic tuae, dum abesses, de me recordationis testimonium non parva delectatione capesserem. Opinionem autem

et expectationem meam tua in me pietas superavit; talis enim ad me venit epistula, ut istius agri poma odore, flores suavitate, uvas dulcedine referat, immo totum repraesentet autumnum et 15 Bacchum Minervamque redoleat: unde strictis eam complexibus, dulcissimis osculis, hilarissima fronte venientem excepti. Non solum enim ornatissima verba, nestoreas sententias, rerum ordinem, dictionis formulam exosculatus sum, quibus lacteum Ciceronis saporem imitaris et exprimis, sed etiam <quod> Manuelem 20 meum seu maius nostrum tibi scribendi argumentum delegeris: excitavit credo absentis memoriam Manuelis fratri praesentia, cuius ipse nomen successor possidet et heres.

Eum autem sic ante oculos mihi sistis, ut Manuelis Chrysolorae statram, vultum, barbam, colorem, gestus totiusque cor- 25 poris faciem cernens piae gaudio modo non clamitare cooperim:

Verg. Aen. III  
490.

«sic oculos sic ille manus sic ora ferebat». Quo fit ut ad meum sensum Zeuxim, Apellem, Polycletum et, ut de nostris dicam, Gentilem, Pisanum, Angelum pingendi artificio superaris et eo magis quod primum quidem illi caducis et vanescientibus in dies 30 coloribus pingebant aut pingunt, deinde quia mutas reddebant effigies et in quibus longe magis artificis quam effectae personae laus emineret, tu vero Manuelem meum sic firmiter sic perpetuo duraturum sic viventem exprimis coloras et pingis, ut maior in dies illi vita accedat et nominis immortalitas. Adde quod Manue- 35 lis religionem continentiam moderationem liberalitatem mansuetudinem integritatem sapientiam doctrinam eloquentiam ipsa, te pingente, piae se fert imago. Quod illorum ars nullis assequi conatibus valet cumque illi mortua vivis membra monstrarent, tu viventem et vivis et nondum natis cognitum amabilem vene- 40 randum admirandum ostendis et extendis animum mores et posteris exemplar. Bene igitur mones atque prudenter, plurimum a scriptura potestate usu dignitate distare picturam, cum haec tacens iaceat, illa semper loquens vigeat, illa praeterea ad imitandos bonos et probitatem imbibendam animet, haec ad pascendum 45

Verg. Aen. I  
464.  
Parad. 38.

duntaxat oculos vix maneat. Unde et a poeta dictum est: «atque animum pictura pascit inani», et Tullius «oblectamenta puerorum» appellavit. Olim censente Cicerone et approbante senatu

statua Ser. Sulpicio, qui in legatione perierat, pro rostris est posita. Ubinam est ea, tanto labore cura studio quae sita constituta, quam idem « tempestate vi vetustate interire » confessus est? At in una Ciceronis Philippica Ser. Sulpicci vivit honos decus, praeclare suscepta legatio; virtus denique non extinguitur nec extinguetur quoad romanae vivent litterae. Quocirca Spartiarum regis Agesilai providum illud laudari consilium solet a doctis, quod nullam de se pietam aut fictam imaginem fieri passus sit; <sup>Plut. Ages. 2.</sup> <sub>4.</sub> quia sicut in illis secunda quandoque deleri morte contigisset. sic uno insigni Xenophontis libello nominis sui et rerum gestarum gloria in dies magis reviviscit ac reviviscet quam diu graecarum notitia litterarum et apud suos et apud nostrates Manuelis opera et beneficio permanebit.

Quae cum sint non possum non tibi gratulari et mihi gaudere et gratias dicere, qui Manuelem meum, Manuelem inquam meum ita obviam mihi obtuleris. ut te auctore quasi viventem et loquentem post tantum annorum curriculum Manuelem ipsum amplectar veneransque salutem: cumque te antea carum amabilem intimum pro tuis moribus et litterarum amore haberem, duplicatis dehinc affectibus, ut Manuelis nepotem suscipiam amplectar amem. Inieisse debes non parvum iis ruborem, qui a tanto praceptorum fama dignitate honore fructuque donati, ipsius immemores extitere et amplissimo benefactori nullas saltem scriptis grates persolvere meminerunt. Vale et tales mihi saepenumero laetitias exhibe, quibus te genuisse laeter et glorier.

Ferrariae idibus decembris MCCCCLII.

## 865.

(Harleian 2580 f. 96).

Hieronymus Guarinus Guarino suo honorando sal. pl. d.

Legenti mihi nuper epistulas nonnullas in Manuelis Chrysolorae praceptoris tui viri excellentis laudem editas, summa est orta delectatio. cum apud animum proponerem et viri illius pra-

---

54 invenit cod. | 57 deserit monte cod.

stantiam et tuam adeo spectatam erga ipsius praeceptoris tui no- 5  
men et memoriam celebrandam ex veri discipuli officio gratitu-  
dinem. Postea vero quam vacatum est mihi a lectione coepitque  
animus, ut fieri solet, illarum cogitatione rerum duci, in quibus  
novissime versatus esset tanto cum studio et oblectatione, suc-  
currit quaedam consideratio, ipsa quidem per se iocunda, longe 10  
vero iocundior si ita oculis potuisset perspici sicut considerantis  
mentem atque animum diu peregit et maxime confirmavit: quanto  
videlicet eimerent homines ut virtute et laude aliqua primaria  
caeteris praestantes et egregii forent et haberentur. Nihil sane  
pulchrius nihil dignius nihil magis honore cultu et admiratione 15  
prosequendum et complectendum; cumque omnia humanis in re-  
bus bene animadversa forent, caetera omnia fortunae ludibria et  
minimi facienda esse, sola denique virtutis opera apud immorta-  
lein deum atque homines ipsos grata pretiosa et perpetua extare  
ac permanere. Ecce vir ille, ille inquam Manuel Chrysoloras, 20  
vitae integritate, morum sanctimonia, doctrinarum splendore, di-  
vinarum rerum studio et humanarum plurimo usu et prudentia  
quantam de se laudem disseminaverit, quantam auctoritatem com-  
paraverit quantumque admirationem apud viros primarios ac prin-  
cipes ipsos, non respectu generosae Chrysolorarum gentis qua is 25  
fuit oriundus, non veneranda corporis dignitate qua praestitit, non  
veste pretiosa qua fuit usus, non opibus amplis quibus floruit,  
non Constantinopolitani imperatoris gratia qua longe polluit et  
primas apud illum partes obtinuit, sed suis ipse virtutibus suo-  
que clarissimorum operum studio factitavit! 30

Quo in genere permultos olim fuisse legimus. C. Marius  
oriundus Arpini, homo novus, in r̄em p̄ublicam r̄omanam  
convectus est ex magno eius animo et rerum fortissime  
gestarum usu et peritia, ut ille totiens imperator p̄copuli  
r̄omani fuerit, totiens ei decreti triumphi, septies consul crea- 35  
tus, quod nemini unquam licet patricio licet primario viro contigit.  
Tullius eodem ex Arpino Romanum ductus tantum laudis tantum  
auctoritatis virtute et eloquentia sua apud senatum et universum  
p̄opulum r̄omanum comparavit, ut tanquam gubernaculum  
quoddam verteret eo quo vellet et eius opera effectum sit una 40

omnium confessione, ut Pompeio Magno ubi de superato rediens <sup>Cic. de off. I  
78.</sup> Mithridate triumpharet, dederit; postremo, qui supremus illi titulus constitui poterat, sicuti testis est Satyrus, « Roma patrem <sup>Juvenal. VIII  
24.</sup> patriae Ciceronem libera dixit ». Legimus et ad Africanum superiorem, cum exularet Linterni, non parvam piratarum manum classe advectam esse, adversus quam cum Africanus, haud ignarus bellicae artis et propulsandi hostilis impetus, impigre vim pararet, illos id cognoscentes procul declarasse se non hostes sed spectatores et admiratores tam ingentis viri adventare; amice igitur exceptos limina Scipionis perinde ac templum cuiuspiam numinis osculatos, etiam statuas ipsis postibus sicuti ex diis eorum uni appendisse. Quid vero gentilia sectamur, cum fides nostra christiana tot locupletissimis eiusmodi abundet exemplis? Petrus, Andreas, Bartholomeus, Thomas, ambo Iacobi et Barnabas caeterique Domini et Salvatoris nostri domini Iesu Christi discipuli et sancti eius quam plures, quanquam humili et obscuro profecti loco, quia tamen divino afflati spiritu sanctissimisque et stupendis illustrati operibus fuere, « in universam terram exivit sonus eorum » tantoque studio et veneratione a summis principibus culti sunt.

Prolixius iusto fieret a me volumen, si singula recensere in animo esset quaecunque virtutis et clarissimorum operum exempla nobis admiranda reicta sunt atque in dies praebentur et a Manuele ipso pro quo noster coepit sermo. Sed sane virtuti eius illam quoque contigisse felicitatem nequaquam silentio praetermissum, qui te discipulum habuerit (praeter virtutum tuarum claritatem quas alteri commemorare magis licebit sine legentium morsibus) ista praesertim erga praeceptorem tuum perpetua gratitudine praeditum, quam sicuti mihi licet ita velim indefessus extollere ac praedicare. Nunquam enim, quantum tua viva vox et scripta valuerunt et audita sunt, conticuisti et silentio suppressisti ipsius praeceptoris tui virtutes ac laudes praestantissimas atque in te ornando et optime instituendo industriam operam studium benivolentiam et pietatem singularem: merito hac in parte Platoni tuo et Xenophonti meo aequiperandus, qui utrique Socratis discipuli praeceptorem ipsum omni cultu omni laudum

49 viri Africani cod. | 52 quod cod.

genere sunt prosecuti, et Alexandro Magno qui se non minus praceptoris eius Aristoteli quam Philippo patri debere ipse <sup>Plut. Alex. 8, 3</sup> parlam profitebatur, « quod ab hoc vitam unicam, ab illo bene beatitudine vivendi » et tantae acquirendae gloriae rationem acceperat. <sup>80</sup> Tales esse discipulos convenit et idem sentit Satyrus, de quibus inquit: « dii maiorum umbris tenuem et sine pondere terram spirantesque crocos et in urna perpetuum ver, qui praceptorum sancti voluere parentis esse loco ». <sup>Iuvenal. VII  
207-10.</sup>

<sup>Jul. Capitol.  
Anton. phil. II 4.</sup> M. Aurelium Antoninum memoriae proditum est praceptoris <sup>85</sup> suo Frontoni statuam auream dicasse ut illi, a quo sanctae vitae et virtutis documenta accepisset, auri, quod est metallorum pretiosissimum, praemia et honorem redderet et constitueret; et tam id ipsum praemii et honoris genus edax vetustas aut temporum pravitas aut hominum avaritia demolita est et abolevit; ac <sup>90</sup> nisi doctorum hominum perpetua scripta essent ei rei opitulata et ad nos ut aiunt « de manu in manum » porrexissent, nec aureae statuae nec *<in>*structionis Aurelii nec praceptoris eius Frontonis ulla nobis deinceps haberetur cognitio. Tu vero praceptoris tuo Chrysolorae eam perpetuam memoriam, id decus, eam <sup>95</sup> gloriam scriptis constituisti et stabilisti tuis, quam « nec Iovis ira nec ignis nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas »; nec uno tantum in loco, sicuti statuam illam, sed per diversa loca diversaque personas perpetuo intuendam admirandam ac celebrandam. Nec sane praceptoris tuo si revivisceret liceret id, <sup>100</sup> quod suspirans inquit Alexander ille Magnus de Achillis tumulo, <sup>Ovid. Met. XV  
871-2.</sup> dicere: « fortunate adulescens, qu~~o~~*<on>*am claro fungeris tuorum praecone meritorum », quando huic discipulus pius et gratus clarissimusque ac resonans laudum suarum buccinator prospera eius sorte contigeris. <sup>105</sup>

Qua in re singularem profecto apud quocunque genus hominum commendationem es promeritus; et praceptorum tuum sic perpetuae commendans memoriae, tu ipse tuis iisdem scriptis perpetuae commendatus es memoriae, perinde ac ille Phidias in perficienda Minerva et ornanda Iovis haegide nomen suum divinumque ingenium uno eodemque opere immortalitati consecravit. Exemplumque nobis, liberis tuis, et caeteris discipulis facile

praestas, tanquam spectatae vir modestiae et insignis pietatis  
 parens: caeteris quidem discipulis, ut ita praeceptores eorum co-  
 115 lere observare praedicare extollere ac indefesso animo indefesso-  
     que studio ex grato eorum officio prosequi discant; quod si con-  
     tempserint et agere dignati fuerint, quam ingratii quam inhu-  
     mani quam rудis et efferati ingenii, quam horridae et a bonis mo-  
     ribus alienae rusticitatis quamque merito et iure optimo impro-  
 120 bandi detestandi et censoria nota tanquam infames notandi sint,  
     quando potissimum nullum in terris crimen prudentissime Xeno-  
     phon in Paedia Cyri comprobat erga familiares propinquos pa-  
     rentes patriam, ipsum denique immortalem deum latius patere  
     ingratitudine: nobis vero liberis tuis ita exemplum praebes ut  
 125 cum te intueamur tanto honore cultu et observantia erga prae-  
     ceptorem tuum, alienae linguae, gentis, habitus et moris homi-  
     nem, praestare, quo tandem animo qua mente qua reverentia nos  
     liberi tui erga te futuri sumus, a quo geniti educati docti in-  
     structi atque instituti tanto cum amore studio caritate et paterna  
 130 pietate fuerimus cuique et omne naturae et officii ius nos non  
     solum ab ipsis, ut aiunt, incunabulis, sed ab ipsa ut ita dicam  
     genitura, obnoxios reddidit et effecit. Ego quidem pro mea virili  
     parte, quod nequeo satis per me ipsum facere, <quid aliud fa-  
     ciam> nescius sum, nisi sublatis ad immortalem deum et piam  
 135 Virginem Mariam manibus ita deprecari: « Dii tibi, si qua pios  
     respectant numina, si quid usquam iustitiae et mens sibi conscia  
     recti, persolvant grates dignas et praemia reddant debita ». Bene  
     vale diu felix, pii moris parens et gratitudinis exemplar.

12, 7.

Cic. Or. 42.

Verg. Aen. I  
603-4; II 537.

Mutinae kalendis ianuarii MCCCCLIII.

## 866.

(Harleian 2580 f. 92v; Rōma Vittorio Em. Varia X f. 372 molto guasto  
 dall' umidità; cfr. Mittarelli, *Bibl. s. Mich.* 490).

Manuel Guarinus integerrimo patri suo Guarino Veronensi  
 sal. pl. d.

Ingens hactenus me tenuit dubitatio, clarissime genitor, diu-  
 que mecum animo revolvi, an de praestantissimi viri praeceptoris

tui Manuelis Chrysolorae laudibus ad quicquam scribendum me 5  
conferrem, an vero tacitus illas mutusque praeterirem. Primum  
quidem id me plurimum videbatur absterrere et ab huiusmodi  
proposito mentem meam penitus avertere, quod ad laudes hominis  
recensendas mirantium fortasse procaces ac detrahentium linguae  
cuidam attribuent arrogantiae et quandam meam acriter accusa- 10  
bunt insolentiam, ut, de hoc qualicunque nimium fretus et confisus  
ingenio, velut exiguus culex cuius nomen magis scimus quam  
corpus, inter resonantissimas tubas aggredi et decantare voluerim,  
quod excellentium sane virorum studium potius exposcere vide- 15  
batur ac industriam. Subinde vero me magis accendebam et quo-  
dammodo conscientia mentis opprimebar, quod tanti viri perinde  
ac avi nomen referens idque propter dulcem et iocundissimam  
ipsius memoriam per te mihi fuisse impositum, tanquam ingratus  
et dignae appellationis immemor sic reticere et illius paeconia 20  
silentio praetermittere deberem. Caeterum licet non ea in me  
doctrina sit nec dicendi facundia, qua paecipua hominis virtus  
ac multarum rerum scientia merito commendari ac illustrari pos-  
sit, mihi tamen summopere nitendum est a paeclaro imprimis  
eius nomine non degenerare et ita ingenium et famam suam ex- 25  
tollere, quo si non a paestanti et digno, ab grato saltem lau-  
datore manare videatur.

Themistocles ille summus atheniensis philosophus et impe-  
Cic. p. Arch. 20. rator « cum ex eo quaereretur quod ἀνρόαμα aut cuius vocem  
libentissime audiret, eius ait, a quo sua virtus optime praedica-  
retur ». Id cum pro eius dignitate in me nequaquam esse sen- 30  
tiam, pater insignis, vereret magnopere tam grave pondus et  
molem imbecillibus subire humeris, nisi tot ac tantae ipsius Ma-  
nuelis paeicationes existerent, quae vel mediocri et sterili in-  
genio amplissimum et uberrimum afferre possent argumentum.  
Quis est enim tam agrestis et tam barbarus et penitus litterarum 35  
ignarus, cui Manuelis admirandi viri ac doctissimi philosophi lau-  
des et commendationes inauditae, obscurae sint et incognitae,  
sive doctrinam sapientiam et eruditionem, sive religionem inte-  
gritatem constantiam gravitatem fidem ac summam in omnibus  
vitae partibus aequitatem perpendere voluerimus? Quo factum 40

est ut cum apud illum serenissimum Graecorum imperatorem Manuelem Palaeologum familiarissimus ac intimus redditus sit maximamque fuerit consecutus auctoritatem, non minus per urbes eas graecanicas ac universam Italiam nominis sui fama gloria et immortalitate volitaverit; cuius ea celebrabatur ab omnibus excellentia ut vir imitatione dignus haberetur, a quo litterarum splendor optimarumque artium disciplinae perciperentur et cuius institutis atque praeceptis mentes hominum et studia vehementer incitarentur accenderentur et egregio conformarentur exemplo et sic conformarentur ut dulcissima eius patria, nobilis urbs illa Byzantium, eruditissimis tunc hominibus liberalissimisque utriusque linguae ac philosophiae studiis afflueret, ad quae quidem perdiscenda frequens illuc discipulorum multitudo se contulerat, ubi propter singularem et amplissimam illius virtutem gymnasia ipsa plurimum efflorescebant. Ex quibus cum plerique eruditissimi prodierint maximo ingenio viri, tu in primis tanquam de sole radius emicuisti et inter clarissimos illos uberior accessisti: tantum enim potuere vigiliae cura diligentia studium et mira quedam industria tua! cuius spectata excellentia non solum innumerabiles scientia et documentis eximios, verum etiam recte vivendi ratione insigniter institutos effeceris, qui perpetuam ac immortalē tibi laudem pariant atque gloriam; tuumque nomen et merita nulla unquam apud praesentes et posteros involvet oblivio. Unde factum est ut, quae Manuelem ipsum defunctum et eis abreptum fuisse deplorabant ac lamentabantur, haec saecula in te nimirum restitutum ac revocatum esse glorientur. Qua in re peritissimos idem Chrysoloras imitatus est agricolas, qui praestantes solent pomos fructuosasque arbores inserere, ne genus illud pereat et temporis spatio diuturnitateque minuatur et corruat. Nam cum excellentis esset ingenii optimisque artibus et variis virtutibus insignitus, non solum in eis Graeciae partibus, sed in Italianam ultro se conferens summo labore cura et opera innumerabiles disciplinis graecis aliisque clarissimis studiis praeditos et ornatisimos instituit, ne litterarum ipsarum fructus et lumen penitus extingueretur. Quid tantum Scipionis Africani maiestatem extolimus, quam quidem tam longe lateque diluxisse comptum est,

---

57 excelluisti? | 61 effecerit?

ut piratarum principes ea tempestate ad eam veluti divinum quod-dam in terris simulacrum contemplandam perrexerint? Desina-mus et « lacteum » Livium admirari, cuius fama nobiles illos sola perduxit, quando ad sui contemplationem Roma non traxit. Quid 80 Amphionem, Orpheum, Arionem apud priscos et excellentissimos illos poetas tantopere celebratos grandi stupore prosequimur, quod dura et aspera saxa, immanes ac indomitas feras et rigidas mul-sisse leaenas deformesque sinuosos ac horrendos delphines blando et mellifluo citharae cantu flexisse cecinerint, cum Manuelis ea 85 viguerit apud omnes laus et litterarum gloria, ut e longinquis in-finiti, praesertim Italiae, regionibus ac undecunque navigaverint eius ac disciplinarum desiderio succensi? in quo praecipua qua-e-dam praedicabatur humanitas, quod maxime doctrina cum beni-volentia contenderet. Gloriabantur nimirum talem sibi comparasse 90 praceptorum, cuius quemadmodum solis calore flores interdum e limo videmus exoriri, sic solum nomen et aspectus in eorum ani-mos virtutem ac sapientiam infunderent.

Longius efferrer, clarissime pater, si celeberrimi praceptoris tui laudes et praeconia pro eorum dignitate commendare volue- 95 rim; quae quoniam ab aliis uberius et ornatius explicata sunt, inpraesentiarum omittenda videntur non quia mihi defutura illa desperem, ut « effari incipiens media in voce resistam », cum praesentibus et venturis etiam scriptoribus memoranda de homine relinquuntur ampliora, sed ne ita de me confidere dicar ut illorum 100 iam scribentium ingenia superare vel adaequare et ab eis inten-tata supplere voluisse videar. Sat enim mihi satisfactum esse in-telligo quando in sapientissimum ac integerrimum Manuelem Chrysoloram a Manuele Guarino gratae mentis et magnae pietatis testata sunt indicia. Qui etsi crudeli a nobis et inexorabili 105 fuerit morte interceptus ac ob eius excellentiam videbatur omnino mori non debuisse, eundem tamen apud nos fama vivere et ad lucem potius e tenebris arbitramur emigrasse, praesertim cum a poeta illo Venusino traditum esse perlegeris: « dignum laude virum Musa vetat mori, caelo Musa beat », ubi propter singula- 110 rem bene actae vitae rationem et integritatem divinorum specta-culo et « aevo fruatur sempiterno ». Et cum non « detur ipsius

*Od. IV 8, 28.*

---

95 pro eius *Rom.*

ora tueri nec veras audire et reddere voces », illum sic dulci recordatione tenebimus et perenni amore prosequemur, ut non amissum quidem nec praesenti vita functum sed absentem quodammodo putemus abiisse. Vale doctissime genitor meque ut soles amando persevera.

Ferrariae VI kal. mar<ti> MCCCCLIII.

867.

(Trivulz. 776, che contiene l' *Istrias* dello Zovenzoni, della quale la *Monodia* fa parte; l' *Istrias* anche nel cod. Marc. lat. XII 144; pubblicata da me *R. Zovenzoni e la sua Monodia Chrysolorae*, Nozze Murani-Fiorio, Catania 1899).

Raphaelis Zovenzonii Monodia Chrysolorae

Invenies aliquas, ignosce Guarine, lituras :  
 Scribitur haec lachrymis Chrysolorina meis.  
 Non mihi sunt rigido praecordia frigida saxo ;  
 Non fera me, Stygiae non genuere canes.  
 Plango equidem extinctum mundi iubar atraque Ditis  
 Stamina pro summis invida facta viris.  
 Non secus Alcides cecidit lugendus Achivis  
 Aut qui Thebanis Inda trophea tulit.  
 At vos, Smirnaei, vatem flevistis Homerum  
 Solaque grandiloquum Mantua Virgilium :  
 Hunc omnes flevere deae ; fuit anxia tellus  
 Oceanusque senex ; hunc gemuere poli.  
 Tristior ante omnes insanos, Graetia, plane  
 Fundis, adhuc miseris unguibus ora secans.  
 Nec minus Italia illustrem foedata capillum  
 Ingeminat : quid me deseris, heu, Manuel ?  
 Tu mea Pegaseo fudisti labra liquore  
 Cinxistique meis laurea serta comis.  
 Per te barbaries Italica discessit ab oris  
 Erexitque suum philosophia caput.  
 Hinc te admirantes populi regesque colebant ;  
 Serpebat propius pontificalis apex.

- Sed prius aethereas mors saeva reduxit in auras :  
 Observat cineres urbs Basilea tuos.
- At pia mens patrio fruitur modo reddit a caelo, 25  
 Trinam unamque dei conspiciens faciem.
- Unde animus si forte plagas spectare iacentes  
 Gestit, ab Euxino littore verte genas.
- Hostis habet patriam, phana hostis dirus et aras  
 Polluit; abducti cum populo proceres. 30
- Cernes sub tristi natumque patremque corona  
 Venire; abstrahitur filia et orba parens.
- Despice Ferrariam: manet hic domus alta Guarini,  
 Hic sunt musarum numina, sunt hederae.
- Hicque frequens tibi surgit honos semperque Guarini 35  
 Chrysoloras Manuel nomen in ore sonat.
- Adde quod huc properant Grai properantque Britanni,  
 Ister et auripotens Illyrius properat,
- Pannonique simul iuvenes, simul Itala pubes,  
 Ut Manueleum combibat eloquium : 40
- Unde graves fulxere viri quique artibus amplas  
 Erudiere urbes, erudiere animas.
- Hinc doctus Iampetrus erat vatesque Tobias  
 Quique Trapezonti nomen in astra vehit.
- Strozigenae fratres hinc, hinc, Castelle, refulges 45  
 Sexque Guarineae pignora docta domus.
- Candidus hinc Carbo, labris Amphionis unus  
 Allectans querqus flumina saxa feras.
- Hinc gemini Venetae clarissima nomina gentis,  
 Barbarus insignis et Leonardus honos. 50
- Principis hinc magni mens osque Casella relucet;  
 Innumerosque alios lingua referre nequit.
- Si datur augostos musam hanc intrare penates,  
 Marchio doctiloquus hinc, Leonelle, venis.

---

867, 24 Non a Basilea, ma a Costanza morì e fu sepolto il Crisolora | 43 Giampietro da Lucca; Tobia Borgo | 44 Giorgio da Trebisonda | 45 I fratelli Strozzi: Niccolò, Roberto, Lorenzo, Tito; Girolamo Castello | 46 I sei figli maschi, allora viventi, di Guarino. | 47 Lodovico Carbone | 50 Francesco Barbaro e Leonardo Giustinian | 51 Lodovico Casella.

55      Estensesque alii, tuque o spes una poetis  
         Nicoleos, Borsi gloria magna ducis.  
 Totque simul, quorum lambunt sacra tempora lauri  
         Et quos iam caeli regia celsa tenet.  
 Hinc tuba christitonans dux Bernardinus Olimpi,  
 60      Albertus, Ioachin et Titus et Ciprius.  
 Hinc pius et varia redimitus Palladis arte  
         Glandifero digne robore nomen habens.  
 Timotheusque ingens divina oracula pändit,  
         Unde salutiferum mens bona carpat iter.  
 65      Quare agite, o quibus Italiae data summa potestas,  
         Laudibus et sacris hunc celebrate virum.  
 Aurea Chrysolorae surgat Mañuelis imago  
         Stentque novem circum numina Tespiades.  
 Huic laudes Aurispa canat veniamque Philelphus  
 70      Hunc petat, hunc dulci Pogius ore sonet;  
 Stentque omnes, quibus hic graecorum nectare fauces  
         Imbuit: ingratum sit procul omne genus.  
 Huc prius ante alios veniat veneranda Guarini  
         Canities: ornent Delphica sertá virum;  
 75      Effigiemque lubens noscat patremque salutet,  
         Figat et auratis oscula grata genis.  
 Hic mea si nati pietas in teque tuosque  
         Semper erit (nosti quanta, Guarine, fuit),  
 Testor ut hoc capias veluti sua munera divo  
         Acceptumque meo porrige carmen avo;  
 80      Nec minus appensis, si fas, precor, adde tabellis:  
         Obtulit has voto primitias Raphaël.

<Ferrara 1453>.

---

56 Niccolò d'Este, figlio di Leonello | 59 Bernardino da Siena  
 60 Alberto da Sarteano, Gioacchino Castiglione, Tito Novello, Filippo  
 Pedocataro da Cipro | 62 Bartolomeo Roverella | 63 Timoteo Maffei.

## 868.

(Archivio Comunale di Verona *Scripture et sententie lacus Garde Communis Verone contra Brixenses* f. 77).

Guarinus Veronensis Nicolao filio sal. pl. d.

Ne expectes ut more iurisconsultorum tibi respondeam ad ea quae de Brixianorum controversia scribis adversus civitatem nostram; maius spatium expeteretur et arma sane maiora: sat tibi fuerit in hac tumultuaria pugna quam ἀκροβολισμὸν dicunt, 5 ictus quosdam clipeosque ad retundendam audaciam commonstrasse. Nicolae fili, cum finitos illos nostros agri vastatione nuper vexatos pro belli violentia sentirem, eorum sortem atque fortunam sive δυστυχίαν miserebar et pro vicinitatis officio condolebam; 10 Ter. Heau. 11, 1 auctore nanque et magistro comicō didiceram quod « vicinitas in propinqua parte amicitiae putanda sit », unde et in Catullo legitur: « Brixia Veronae mater amata meae »; nec ab re cum eo 67, 34. 11, 25. 15 Hcau. 11, 25. auctore illo superiore « homo sim et humani nihil a me esse alienum putem ». Postea vero quam accepi eos non de finibus, qui mos interdum est populis, sed de Benaci nostri possessione nobiscum litigare velle, misericordiam in risum stomachationemque converti ut, cum bellorum incommodis indigne mulcentur, aequo animo Veronenses ferant, ubi Hesiod<i>um illud op. 346. venit in mentem: πῆμα κακὸς γείτων.

Magna illis otia esse profecto coniectura sum assecutus et 20 alienorum aviditatem, quando propinquas et suorum et hostium discursiones adeo parvifaciunt ut, sua obliti, aliena aveant et invadant. Cui quidem diligentia negligentiae vel negligentia diligentiae dari venia potest, cum terrarum iacturam aquarum vindicatione \*\*\*\* restaurare concupiscant et terrestres amissas bestias 25 aquaticis velint reparare piscibus; qua in re nil verentur ut, amissis fortium hominum vocabulo, ignavorum piscium, ut Tusci dicarent, appellationem induant. Callide medius fidius excogitatum in tempore vaframentum: « Poscamus inquiunt seu flagitemus hac

---

868, 16 risum] usum cod. | 17 et cod. | 25 La lacuna è nel codice | instaurare cod. | 27 novorum cod. | 28 invadunt cod.

tempestate Benacum, cum senatus venetus bello implicitus et nostro indigens auxilio negare vel iniusta non audebit. Audendum est inquiunt et inclamitandum est sermone gentili: « nam qui timide rogit negare docet » et: « quid tentare nocebit? » O male consiliati! ad quos orationem habere se sperant et confidenter arrogant? Num meminerunt senatum venetum proceresque patricios curiamque senatoriam iustitiae et aequitatis tutricem et cum reliquos eorum imperio subditos, tum veronensem populum carum intimum et amantissimum adoptasse, pro civitatis nostrae in venetum imperium constantia fide observantia civium iura protegere, bonorum possessionem tutari? Et qui praeclara civitati nostrae munera contulerint suaque nobis donarint propria possessione, nostram rem publicam ad alienos per iniuriam locupletandos spoliari patientur? non est ita, non est. Illud fortasse Ciceronis legati dicent: « sunt privata nulla natura », « terras et caelum fluvios fontesque lacusque communes natura dedit ». Sed contra respondebit Cicero « veteri occupatione victoria lege communia prius dehinc facta esse privata; ex quo quia suum cuiusque fit eorum quae natura fuerant communia, quod cuique contingit id quisque teneat; eo si quis plus appetit, violabit ius humanae societatis. Ex quo fit ut ager arpinas Arpinat*< i >*um, tusculanus Tusculanorum », veronensis Veronensium non Brixianorum dicatur.

Libenter utique senatum populumque venetum eorum legatos hoc pacto interrogantem audirem: « Dicite viri probatissimi, in hac usurpanda possessionis *< aviditate >* et Benaci petitione vistraene aequitatis au iniquitatis nostrae confidentia vos exuscitat? Nostrorum maiorum vestigia imitantes didicimus iure et aequitate servanda non autem violanda, imperii nostri iacta fundamenta perdurare. Quaenam aequitas est eius lacus occupare dominium, quod non emptione non usucapione non successione ulla occupatis? At contra noster veronensis populus, tot saeculis exactis impugnante nemine, Benacum possidet, locationes conductiones piscinas piscationes habet, fructus colligit, eos in urbem Veronam convehit, praetores magistratus praefectos Benaci custodiae mittit, dum interim exactis tot annorum curriculis utitur fruitur fungitur. Ubi

*Sen. Hipp. 593;*  
*Ovid. Met. I 397.*

*de off. I 21.*

*Ib. I 21.*

32 « gentile » nel senso di « pagano » | 33 debet cod. | 34 conciliati cod. | 42 spoliare cod. | 48 contingit? | 57 iactata cod.

dormitastis? Sapientissimi iurisconsulti rerum immobilium domini 65  
nium acquiri ita ut usucapi<a>tur possessio decennio diffiniunt  
si res inter praesentes agitur, aut annis viginti si inter absentes.  
Non anni tantum viginti, sed saecula plusquam viginti aguntur  
cum tacito consensu, honesto more servato, Veronae iura posses-  
sionemque perpetuam probastis ». Nonne muti redderentur et 70  
elingues?

31, 12.

Adde quod est in Benaco Syrmio speciosa et fertilis insula,  
a longioris tractus et producti situs forma vocata, quae nunc  
quidem in populi veronensis ditione retenta, olim autem fundus  
et possessio poetae veronensis Valerii Catulli fuit; idque anno 75  
ab hinc millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, Eusebio teste  
temporis huius; eam autem vates ipse post ipsius ex Asia redi-  
tum laetus invisens sic alloquitur: « quam te libenter quamque  
laetus inviso » et ut de illa possessione<m> mancipiumque pro-  
baret, adiecit: « salve o venusta Syrmio atque hero gaude ». Si 80  
enim herus erat, ergo et ipsa eius ancilla. Antiqua praeterea re-  
rum vocabula perenni more ad posteros usque retenta efficacissi-  
mum exhibent testimonium, fama ipsa (perinde ac immortalitatis  
voce) ad venturos indicium, publico gentium consensu, transmit-  
tente. Quocirca quam valida possessionis testificatio haberi debet,  
quod lacus ipse Gardae cognomentum assumpsit, assumptum  
servat, servatum vel puerorum notitia perdurat; est autem Garda  
in medio ferme nostro littore situm castellum nobile. Ad haec  
conterraneus quidam tuus, Nicolae fili, auctor sane non ignobilis,  
cum lacum ipsum olim inviseret de illius subiectione Veronae 90  
patriae non spernendo testatus est carmine: « At Verona parens  
tibi nos pulcherrima cives Dimisit: stirps lingua habitus mores-  
que loquuntur, Quam matrem prisco dominamque fateris honore ».  
Ad haec Claudianus quoque, poeta Alexandrinus, ceterum latina  
eruditione celeberrimus, cuius Veronensi natu grandiori gratu- 95

---

66 ita] et cod. | 73 Presunta etimologia da σύρπα | 76 Leggi « quin-  
gentesimo », se no dal 1452, l'anno della lettera, risalendo all'anno 87  
a. C., in cui secondo Eusebio nacque Catullo, si otterrebbe la somma di  
1540 anni | 84 iudicium cod. | 91-93 Sono versi dello stesso Guarino, che  
fanno parte della *Proseuche ad Benacum* | 94 Alessandrinus, secondo la  
notizia di Suida s. v.; i contemporanei di Guarino lo facevano invece  
nativo di Firenze.

lans quod non errans non vagus aliam <regionem> praeter patrīam Veronam eiusque confines in tam longa aetate adiisset nec ullam urbem cernere contigisset, civitatis suae terminum adiecit: « Proxima cui nigris Verona remotior Indis Benacumque putat <sup>v. 17-18 Koch  
p. 223.</sup> 100 littora rubra lacum ».

Non desunt testes et quidem locupletes ad nostram Benaci possessionem asserendām. Quis Plinio nostro gravior, quis magnarum rerum scientia nobilior, quis in omnibus naturae partibus aperiendis planior, quis in regionum fontium lacuum fluviorum 105 locis situ ingenio describendo veracior et curiositate monstrandi perspectior? ut si quis eum naturae ducem et expositorem appellaverit, recte senserit. Is ergo cum de Benaco in divino illo Naturalis Historiae volumine mentionem facit, his dilucide verbis de anguillarum captura utitur: « lacus est Italiae Benacus in 110 veronensi agro Mincium amnem transmittens ». Ei cum omnibus in rebus, tum vero de lacu patriae suae vicino, perspecto, cognito summa fides habenda est. Nam ut idem ait « commune ferme omnibus fuit ut eos quisque diligentissime situs disceret ex quibus ipse prodibat » Cui qui non credet, nec sibi ipsi credat 115 est necesse, cum hominis dicta apud sapientes oraculorum fidem habeant. Ne autem fictum aut simulatum tanti auctoris testimonium quisquam calumniari aut exprobrare audeat, eiusdem Plinii volumen nonum et capitulum primum ac vicesimum inspiciat.

Vale et primis hisce congressibus per haec paucula conten-  
120 tus esto, cum a reliquis studiis et lectionibus hoc suffurandum tempus fuerit.

Ferrariae IIII decembris MCCCCLII.

---

102 Guarino faceva Plinio veronese | 113 fit cod. Il testo della redazione guariniana della *N. H.* nel cod. Ambros. D 531 inf. ha *fuit* | 117 improbari cod. | 118 novum cod. | Nella redazione guariniana succitata il capitolo porta nel testo il numero XVIII, nell'indice del libro I il n.<sup>o</sup> XXI.

(Guarner. 28 f. 150<sup>v</sup>; Vatic. 5220 f. 45<sup>v</sup>; pubblicata dal Querini in Fr. Barbari *Epist.* p. 287).

Guarinus v. illustri Francisco Barbaro sal. d.

Laetum mihi nuntium proximis diebus obtulisti, ut filiam Paulam modestissimam adulescentulam et patris similem Iacobo Balbo, viro et genere et divitiis et prudentia primario, locaris. Bene atque prudenter, ut soles omnia, id mihi significas, ut omnibus cognitum et perspicuum facias Guarinum Barbaro intimum et inter suos familiares esse cui tua laeta, pro veteri proverbio, cupias esse communia: τὰ γὰρ τῶν φίλων κοινά. Id autem adeo insigne ac honorificum esse duco ut et praesentibus et posteris meis hoc ipsum decus perinde ac hereditarium et legatum nobile transmittendum sit. Quemadmodum Oreste Pylades, Scipione Laelius, sic et Barbaro notior fiat Guarinus. Illos patre ac maiori suo gloriari licet, homine non ignobili aut abiepto. Cuius rei fidem ac testimonium efferent, quod principibus et in primis Barbaro fuerit carus, acceptus, et intima familiaritate coniunctus. Ea vero res summae laudis et celeberrimae praedicationis futura sit, cum de filiis meis posteritas ipsa dicet: « Hi quidem e Guarino prognati sunt, quem tantopere dilectum domesticum et stricta necessitudine devinctum habuere cum alii homines doctissimi, tum Barbarus ille cuius nomen per ora virum perque aures volitat, crescit, vivet in dies ».

Gaudeo igitur et gratulor, quod, sicut rem Venetam rebus magnifice et bello et toga gestis, iuste ac prudenter administratis, per laudem, per decus, per gloriam amplificasti, sic et civitatem tuo sanguine propagare contendis, unde quasi immortalitate quodam nomen tuum conservent producantque « nati natorum et qui nascentur ab illis ». Utque olim Aemiliana Corneliae, et Octaviae Iulia permixta nobilitas, sic Balbae prosapiae Barbara insita dignitas admirandam cum splendore propaginem germinare conspiciat et gestiat et in Phoenicis modum recidivos aspectet pullos,

qui Barbarum suum reddentes et residentes « omnia vivendo <sup>Verg. Geo. II  
295.</sup> saecula vincant ». Hoc de bonis et illustribus viris optandum et votis omnibus exoscendum est, ut prospectent ex se natos sicut olivarum novellas circa se pullulantes et longe lateque virescentes, 35 sicut contra humano generi fructuosum est et ad recte vivendum et tranquille rationem etiam atque etiam conducibile, ut improborum semen extinguitur et velut lolium et tribuli de frugibus extirpetur. Quam optabile et memorandum bonis cunctis incitamentum, cum dicetur a praetereuntibus: « Hic nepos a magno illo et per 40 omnes gentes praeclarissime celebrato Barbaro, cuius ingenium, artes optimae, sapientia singularis, Nestorea gravitas, Socratica virtus, Ciceroniana facundia, Catoniana integritas huic aetati nitorem attulit et appellationem ».

Quod autem reliquum est, non Hymenaeum aut Talassium, 45 non Iunonem Gamiliam, quos gentilis error invocabat, sed deum immortalem oro, ut « felix, faustum fortunatumque sit » istud utrius coniugium, et dignos patria cives et maioribus suis amborum a sanguine respondentes filios nepotesque creari detur, tuque e patre avus cernas et osculeris « pignora cara, nepotes ». Vale, decus <sup>Ovid. Met. III  
134.</sup> 50 meum.

Ferrariae XXVI ianuarii 1453.

## 870.

(Guarner. 28 f. 150; Padov. Universit. 1261 f. 40; Vatic. 5220 f. 45; pubblicata dal Querini in Fr. Barbari *Epist.* p. 286).

Guarinus clariss. equiti et senatori sapientissimo d. Francisco Barbaro sal. d.

Nicolaus filius ἀγαπητὸς diem hunc festum tuarum missione litterarum reddidit, in quibus legendis te ipsum mihi 5 praesentem audire singebam « praesentiaque ora tueri ». In earum vero lectione non una τοῦ ἐσπάζειν causa suborta est; primum quidem in amoenissimo et suavissimis floribus olenitissimo requie-

---

35 vivendum: così per distrazione invece di *vivendi*.

Cic. ad. fam.  
16, 2.

scere visus sum hortulo, ubi non desunt apes Himettiae: adeo utrinque intus et in eute oriens voluptas animum capit et aurem, ut utrumque pascatur. Earum Nestorea quaedam sese legenti offerit eloquentia, maturum doctum eruditum peritumque redolens auctorem, adeo ut dempto e fronte scriptoris nomine iurare liceat sic eloqui et scriptitare Barbarum: studia sapiunt, doctrinam prae se ferunt, senatoriam sapientiam repraesentant nec minus πολιτειαγ quain studiosam. Adde quod cum tuae laudi doctrinae virtuti 15 sautor et buccinator semper accedam (ubi gloriae tuae ζωιωνδις quid malleum, quam meo in studio suffragatione ac favore versari?), ut Λυδὸς πρὸς ὅρόμου καλοῦμα:; cumque vel « a teneris unguiculis » tua de indole de ingenio de moribus de dexteritate magnifice semper senserim et tunc futura, nunc praesentia, fuerim 20 auguratus, veluti de Scipione, tenero adhuc, maiores natu praesagiebant praedicebant et praedicabant: quid est quod libentius perspiciam aut perlegam, quam tot scriptionibus et rescriptionibus meo de te augurio et Guarini, per aetatem molliusculam de te vaticinantis, testimonio fidem auctoritatem tanquam certam veritatem accedere? 25 qui per florentem aetatulam virum magnum, civem eximium, principem excellentem germinantem et pullulantem cogitaverim videbim praedixerim, cui et adstipulantur res a te domi et foris, in toga et in bello iuste fortiter et sapienter pro patria pro libertate pro imperio gestae, absolutae. Quare tu quoque gratulare meae 30 voluptati. De his hactenus.

Hunc Ianuim, contubernalem meum, gente Pannonium, Italicum moribus, doctrina mirandum immo vero stupendum, tibi commendo; eum suscipe in tuorum numerum.

Ferrariae V februarii 1453.

35

---

870, 16 particeps sive κοινονος codd.. particeps fere κοινωνες ed. |  
23 scriptoribus et rescriptoribus codd., ed.

## 871.

(Autografa, pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino* II 174, 176, e integralmente da E. Legrand *Cenit-dix lettres grecques de Fr. Filelfe* 58; prima stava nel cod. Vatic. 3908, donde la copiò il Tioli nella sua *Miscellanea* XXII 91).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. ven. domino Ioanni Arretino.

Peccasse in tuam R. mihi ipsi videor quod non sponte mea  
crebriores ad te litteras dederim, cum sic tuam P. visere et me  
ipsum oblectare debuerim. Quid quod tuis caritate ac mansuetu-  
5 dine redundantibus excitatus, et quidem binis, fuerim, in quibus  
cum tuam prae te feras diligentiam, subinde portantium neglig-  
gentiam sopitamque socordiam ostendunt? Nam posteriores datae  
Romae XIII ianuarii, redditae mihi fuere V martii. Ceterum ad  
rescribendum lentiorem me reddidit τοῦ Στράβωνος expectatio:  
10 quēm per Medicos mitti abs te nuntias. Volebam autem adven-  
tum eius nuntiare. Sed cum lentius adventare librum videam,  
constitui ultra non tardare, ne simul negligens appaream. Quod  
me pro tua benignitate summo pontifici commendes, non modo  
gratum habeo, sed etiam gloriō. Talis nanque viri testimonium  
15 omnis praefecturae superat insignia, quae saepenumero ad indi-  
gnos perveniunt; a viro autem doctissimo sapientissimo optimo  
commendationes assequi virtus ipsa solet.

Ad Straboneū vero ut redeam, mirum est dictu quam cadat  
interdum ingenium simul et industria, cum incohato plerunque  
20 sermonis capiti pedes ipsi succidantur et media mutescat oratio.  
Tamen ire pergo, sperans aliunde supplere quod intercipitur.  
Ardeo vero aviditate vel siti potius incredibili, hac in re ponti-  
ficiis maximi sanctitati morem gerere, ubi tanto splendori nomen  
meum promiscuum faciens, immortalitatem induturus mihi videor.  
25 Si autem alteri nostrum subire dabitur hospitium, quasdam ob-  
ducere cicatrices conatus, quampiam, degustationis gratia, parti-  
culam prius ad te mittam, ut, si dignam tantae maiestatis aspec-  
tu iudicaveris, tuo ductu et ὁδηγίᾳ secura proserpat. Quod si ne

---

871, 2 quia *Tiol.* | 20 succiduntur *Legrand* | 22 vel] ut *Legrand*  
| 28 perrepat *Tiol.*

reiciatur exoraverit, satis habebo : ea mihi merces, id mihi praemium, id pro labore « hostimentum » abunde fuerit. Bene vale, 30  
Pisut. Asin. 172; Horat. Od. I 1, 1-2.  
 « Maecenas et decus meum » et pontificis sanctissimi pedibus Manuelem filium patremque commenda.

E Ferraria VII martii 1453.

## 872.

(Autografa, pubblicata da E. Legrand *Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfe* 57; prima stava nel cod. Vatic. 3908 f. 161, donde la copiò il Tioli nella sua *Miscellanea XXII*).

Guarinus Veronensis c. v. ac vener. d. Ioanni Arretino sal.  
pl. d.

Quibus verbis et qua dicendi copia tuis in me officiis et magnifica de me praedicationi tuae respondeam, nescio, ut d. Manuel filius testis ad me rediit. Quibus quidem in rebus vim sane 5 et bonitatis tuae et amoris declarasti, ut μικροδύναμον tantopere extollens, pontificis maximi iudicio comprobandum tuo feceris testimonio. Καὶ γὰρ ἔρωτι Πολλάκις, ὡς Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέρανται, ut inquit Theocritus. Praeterea τῆς καλοκαγαθίας ἔργον ἔστιν, οἷος ἀν δὲ εὐαγδρος γένοιτο, τοιούσδε τοὺς ἑαυτοῦ εἰναι ἀν εὖξαιτο. 10 Tibi igitur pro sapientis more praemium sit virtus tua et « mens sibi conscientia recti », quae benefactori iocundissima est. De his ἀλις.

VI 18-9.  
 Ut primum liber ad nos relatus fuerit quem nosti, qui, ut ad sanctum dominum nostrum scripsi, foris erat hospes, rem « bonis, ut aiunt, avibus » aggrediar. Conabor ne tui in me beneficii pigeat. Vale et sancti domini nostri pedibus me filiumque humiliter commendes obsecro.

Ferrariae XXIII aprilis <1453>.

Venerabili ac sapientissimo viro 20  
 domino Ioanni Arretino  
 sancti domini nostri subdiacono  
 amico meo honor. Romae.

29 habeo *Tiol.*

872, 5 redit *Tiol.* | 15 S. D. *Tiol.* | 17 sanetissimi *Tiol.*

## 873.

(Padov. Universit. 1261 f. 26; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino 220*).

Guarinus Veronensis patricio viro d. Marco Zane sal. pl. d.

Cum redeuntis Nicolai filii gratus fuerit adventus, eo gratior factus est quia te mihi in memoriam revocavit adiecitque dulcem aetatis superioris mentionem, qua studiorum tuorum me vel com-  
 5 militonem vel ducem habebas, quae sane <iocundissima> iocun-  
 dissimae familiaritatis extitit recordatio. Adiecit et tuae in ipsum filium caritatis significationem, qua te illum complecti professus es; quae cum sopitam diutius familiaritatem nostram excitarint et novam inseruerint, faustum et hilarem hunc diem benedico et  
 10 tuae proinde humanitati gratias ago hortorque et pretiosi muneris instar tuam nobilitatem oro ut me, ut diutius coepisti, amare pergas et filium Nicolaum in tuorum intimorum numerum ascribas meque in Zana familia iam pridem <vestris> meritis accep-  
 tum serves. Vivit vivetque, « dum spiritus hos reget artus »,  
 15 Paulus Zane patronus et benefactor meus, cuius ductu et auspicio Constantinopolim petivi et in ea suis opibus honorifice substentatus graecarum litterarum sitim sedavi et quantum in eo fuit abundantius hausit; bone deus, quantae sapientiae vir, quam praeclari ingenii, quam suavissimae consuetudinis amicus. In eo  
 20 etiam, qui familiae vestrae decus et splendor extitit, diligas et meos iam tuos obsecro.

Verg. Aen. IV  
336.

Ferrariae 25º maii <1453>.

## 874.

(Autografa nell' Archivio Comunale di Verona, Ospitale, Varietà A 8, 3).

Guarinus suo dilecto compatri Damiano de Burgo sal.

Tuae mihi non mediocriter grate sunt litterae, quarum con-

fabulatione licet absens tibi praesens fieri videor, ut vere Vir-  
 gilianum illud dicere debeam: « illum absentem absens auditque  
 videtque ». Nonnihil autem subdubito tibine ad quae sita respon- 5  
 deam; suspicor enim fore ut cum cessatura sint scribendi et  
 rescribendi vices et causae, taciti quoque futuri simus. Tamen ne  
 4. *Sall. Cat. 20,* tibi roganti desim, cum amicorum « idem velle idemque nolle »  
 sit, accipe quae sita causam. Quaeris a me de dicto illo Ronchade,  
 quem abs te fratre que tuo Gusmino emeram superioribus annis. 10  
 Nostri vero tua pro prudentia ut rerum gestarum infirma et labi-  
 lis sit hominum memoria, nisi ad quas crebro respexerit vel re-  
 centiores dies sint. Attamen hoc ea de re affirmari, a vobis  
 ambobus fratribus pariter emisse de dictu libras XV et dimidiam  
 de anno MCCCCXXI seu MCCCCXXII, soluto pro precio vobis 15  
 ducatis LXII. Solvebat autem, ut arbitror, dictum dictum qui-  
 dam Zambonus Veronesii de Ronchada. Cum autem postmodum  
 aedificandum esset a me, quae res ut periti et experti noverunt  
 grandem exhaustit pecuniam, transferre coactus fui dictum pre- 20  
 cium in lateres et calcem et architectos; unde precio dicto ac-  
 cepto tuae socrui revendidi, anno ut arbitror MCCCCXXVII. Qui-  
 bus de rebus cum scripta quererem, nihil hic habere me video,  
 potissimum cum vel illa Verone reliquerim vel tanquam finita  
 pensione nihil ad me amplius pertinere visa sint. Zeno autem de  
 Otthobellis Thomasque de Fanis mea confidere solebant instru- 25  
 menta; quesistis credo vos in revenditione Dominicum de Colonia  
 notarium. Haec que quasi per nebulam revocata comparent, cer-  
 tius per tabellionum scripta conperies, quae ideo reperta videntur  
 ut quod parum recordantibus obscuratur, illis perpetuis immorta-  
 liter asserantur (*sic*); unde et apud maiores nostros fidelis me- 30  
 moria litterarum appellatur. Non fallet in primis publicum tabul-  
 larium, quod registrum vocamus, ad quod velut oraculum eundum  
 esse censeo.

Quod ais de servando ad posteritatem nomine meo cum laude  
 ac décore, reluctari non audeo, ne tam optabile repudiare munus 35  
 videar, cuius et magnanimi viri et philosophi fuere non parum

874, 9 Oggi Roncà | 16 S'intenderà un censo di ducati 62, che ren-  
 deva annualmente lire 15 1/2 | 19 fuit corr. in fui | 26 Ora Cologna | 29  
 parum superscr. | 34 meo superscr.

avidi; simul ne tue videar laudi minus consuluisse, nam non minus in Guarino Damianus, quam in Minervae simulacro Phidias legetur. De his hactenus.

40 Ferrarie XVIII iunii 1453.

Egregio et prudenti viro Damiano de Burgo Veronensi compatri dilecto. Verone.

### 875.

(Marc. lat. XIV 221 f. 105<sup>v</sup> = M; Berl. lat. 4.<sup>o</sup> 462 f. 28<sup>v</sup> = B; Bergam. A II 32 f. 86 = P).

Guarinus Veronensis R.<sup>mo</sup> d. Bessarioni cardinali Bononiae legato <sal. pl. d.>.

Reverendissime in Christo pater et magnifice domine.

Gaudere quidem mecum soleo, cum reliquis vero gloriari,  
 5 quod in tuae paternitatis amorem vel familiaritatem vel notitiam  
 non tam inciderim quam venerim tuae potius humanitatis opera  
 quam merito meo; nam « principibus placuisse viris non infima  
 laus est ». Ceterum mihi verendum est ne tua de me recordatio  
 si non obliteretur, at meam ob culpam ἀμαρτίαν fiat, qui tuam do-  
 10 minationem non frequentem saepiusque visam. Ea nanque ex  
 animis elabi perfacile nescii non sumus, quae raro tractantur aut  
 etiam negliguntur; quocirca non ab re negligentiae filiam obli-  
 vionem esse dixerunt. Quid igitur faciam? te visere non loca,  
 non nostra sinunt officia; te pulcherrimis ab legationis muneribus  
 15 interpellare et ab rei publicae negotiis abducere ineptum et ὄχις πον  
 esse metuo; nisi meis interdum litterulis vel nugis verius salutare  
 te audeam, non tam longis quam tempestivis et βραχυλόγοις, ut his  
 fortasse delectem, cum illis obtunderem.

Horat. Epist. I  
17, 35.

---

875, 1 R.<sup>mo</sup> in Christo patri et d. d. B. dignissimo cardinali epi-  
 scopo Tusculano et magnifice legato Bononie domino meo observantis-  
 simo P | 3 Rev - dom. om. M B | 5 notitiam iam pridem P | 9 αὐτοῖς  
 M B | 12 quamobrem P | 15 abd - inept - om. M B | 16 nisi forte P.

Ter. Hec. IV  
2, 83.

A. P. 323.

56-58.

Verg. Aen. XI  
123; Ecl. V 81.

Id autem ut aggrediar argumentum et λαβήν tua mihi nuper sapientia praebuit. Nam auditor meus Marcus Aurelius singulari 20 modestia et bonitate praeditus cum e Bononia regrediens, ut qui peregre redeunt suavia quaedam et iocunda bellaria, idest τραγύματα, se attulisse diceret, Xenophontis Commentaria abs te romane conversa deprompsit et deprompta obtulit. In eorum autem lectione sic 25 ἀγασθῆναι contigit ut vix « essem apud me »: tantis et tot me oblectationibus delibutum sensi, immo vero prae magnitudine laetitiae non sensi. Illa me in primis afficit φιλησία, cum ipsum tam alacrem video in sui praceptoris patrocinio discipulum qui, in dicendo pro eo causas, tam multas tamque magnas et eximias amplectitur de magistro laudes, ut tanta divini paene hominis commendatione sanc- 30 tum, salva fidei maiestate, virum decantare fas sit. Accedit ipsa tuae dictionis suavitas et latini ex te sermonis elegantia, quae effecit ut mutata veste Xenophon ipse suum non amiserit cognomentum, quin utrobique, sive in toga sive in pallio, iure quidem ac merito musa vocetur attica. Romana loquens lingua simul 35 et graecanica lectorem oblectat, qui scriptorum maturitatem concinnasque sententias contemplatur. Hoc tanto teste vel probari possunt Horatii carmina velut oraculum: « Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo musa loqui ». Tuo pridem gratulabar ingenio, observandissime pater, qui per acre studium et accuratissima 40 mente nostras hauseris litteras, quibus abunde florescens in percipiendis nostris artibus mirificos fructus tibi colligeres; nunc studiis nostris gratulor, quibus tantus adiunctus auctor et gloriosus annumeratus patronus utramque nationem exornas et in Graecis Italos, Graecos in Italis splendore afficis et longe lateque disse- 45 minas. Horatius Flaccus in Arte poetica Catonem laudat et Ennium quod utrique sermonem patrium vocabulis quibusdam ditarerint et « nova rerum nomina protulerint »; te vero qui nostates homines non vocabulis sed voluminibus magnis et optimis locupletas, quibus « caelo laudibus aequem ? » quas dicemus gratias ? 50

---

19 aggrederer *P* | 20 meus M. Maurelius noster *P* | 22 idest τρόπο - om.  
*M B* | 25 ἀγασθῆναι. *M B* | 28 dicenda - causa *P* | 30 felicem et sanctum *P*  
 | 31 cantarem *M B*, dicere *P* | 33 efficit *P* | 37 cont - perpendunt *P* | 37-38  
 teste horatianum id probare possunt orac - *P* | 42 nunc vero *P* | 47 u-  
 téisque *P*.

quibus te Italia meritis prosequetur? « quae tibi quae tali reddit pro munere dona? » Illud in te, pater amplissime et benefactor optime, Italicum nomen dixerit: « dignas persolvere grates Verg. Aen. 1  
600. non opis est nostrae »; at vero id pollicebitur et praestabit venu-  
55 tura posteritas, ut qui apud nos vivere cum Socrate Xenophontem fecisti, cum Socrate ac Xenophonte perpetuo vivas. Quocunque peragrabunt te comitem amplexabuntur, te ducem appellabunt, te sedis honore dignabuntur, te quiescente manebunt, te peregrinantem sectabuntur, te patrem observabunt, te dominum verebuntur  
60 et qui te auro donare non possunt, nominis immortalitate donabunt.

Hac qualicunque epistula tuam de me refricaturus memoriam venio; tu me pro tua constantia R.<sup>me</sup> pater absentem ut praesentem suscipe susceptumque teneas oro. Valeat felix tua domi-  
65 natio, cui filium et servulum d. Manuele in intime commendo.

Ex Ferraria <1453>.

## 876.

(Marc. lat. XIV 219 f. 44v = a, f. 91 = b; alcuni estratti presso il Rossini Guarino III 191, 197).

Antonii Ilicini epistola edita pro magnifico d. Octaviano Ubaldino ad Guarinum Veronensem virum doctissimum.

D. Octavianus ad Guarrinum Veronensem.

Ex litteris tuis, vir doctissime, intellexi amorem erga me  
5 tuum singularem esse; quod quidem eo mihi gratius fuit, quo te probitate atque litteris reliquos nostri temporis viros precedere video. Tibique itidem persuasum velim eodem me tibi animo affectum esse; nanque hominis vel precipue esse videtur in amore

---

51 reddet P | 53 dixerit Italia P | 54 pollicetur P | 57 te ducem sectabuntur te com - amplectentur P | te ducem app - om. P | 58 te per - sect - om. P | 62-63 ac qualicunque episcopatu. Ut ad institutum redeam tuam de me refricare memoriam cupio P. Mai come qui si coglie sul fatto l'impudenza d'un interpolatore | 64 Vale M B | 64-66 felix - Ferraria om. M B.

omnibus respondere. Quod cum sit facile, cognoscis quam gratum  
quamque acceptum mihi esse debeat et te eloquentie patrem di- 10  
ligere et abs te diligi. Quantum enim omnis Italia vel omnes  
nationes tibi debeant neminem latet, qui romanam linguam vel  
exoletam vel perditam ad pristinam lucem redigis; greca vero  
vel in primis auctore te Graeciam deserere et Italianam colere  
velle videtur.

15

Ceterum cum me tibi multa debere fatear, hoc unum qui-  
dem nescio quoniam pacto unquam persolvam, quod ad nos Mar-  
tinum Philethicum litteris grecis pariter et latinis pollentem mi-  
seris. Is enim probitate et doctrina opinionem nostram superavit  
adeoque omnibus et gratus et acceptus est, ut non facile ad te 20  
scriberem; qui sane non modo disciplinam, verum etiam mores at-  
que humanitatem abs te combibisse videtur eo usque ut liquido  
appareat omnibus in rebus tibi fuisse discipulum. Quare omnis  
hec civitas agere tibi gratias debet innumeras, quippe quoniam  
eloquentie studia, eo auctore iam apud nos orta, virescere incipient. 25  
Multa essent que de eo scriberem; sed hec ad presentiam satis  
multa esse arbitror. Vale.

<Urbino 1453-1455 c.>

## 877.

(Marc. lat. XIV 219 f. 45 = a, f. 91v = b).

<Guarinus Veronensis cl. v. d. Octaviano Ubaldino sal. pl. d.>

Plut. Coniug. praece. 23. Memoriae proditum est, vir magnifice, administrum quendam  
Olympiadis, Alexandri matris, adulescentulam quampiam obscu-  
natam genere sibi matrimonio copulasse. Unde cum indignabunda  
Olympias excandesceret, quoniam ea diceretur suis incantibus 5  
artibusque magicis virum implicuisse, alioquin sibi genere et ma-  
iorum claritate disparem: itaque puellam ut castigaret et male

---

876, 14 auctor et a b | 17 qui ad nos b, quid ad nos qui ad nos a  
| 18 philethicum a | 21 sed etiam b | 26 ad presertim a b | 27 Vale  
om. a.

877. 1 Responsio Guarini viri clarissimi a b | 7 itaque: anacoluto.

multaret ad se accersiit. Ea vero cum forma quidem venusta,  
 verbis autem suavissimis moribusque modestis venustior Olympi-  
 10 piadi conspecta est, adulescentulam toto complexa pectore, et  
 eximia iam allecta caritate, « valeant, inquit, malae caluniae,  
 hinc facessant maledicta: tui mores tua probitas tua suavitudo  
 incantus sunt, artes magicae, quibus ad te diligendam et intuen-  
 tes implices ». Idem, vir magnifice, de te mihi usu venit, ut te  
 15 amem colam et observem, cum mei singularis in te amoris in-  
 cantus geras. Tibi sic amabili, non mihi sic amanti gratia est  
 habenda; quod mellis dulcedo sic gustatorem alliciat, in melle,  
 non autem in gustante causa subest lausque praecipua. Quis enim  
 est qui in tam amplissimo statu moderationem tuam audiens, hu-  
 20 manitatem benivolentiam in omnes, caritatem in bonos, liberali-  
 tatem in egentes, integritatem et luculentos mores in vita et talis  
 nominis magnificentiae congruentes non moveantur ad te diligen-  
 dum venerandum extollendum? quas quidem virtutes vel in mor-  
 tuis cum benivolentia contemplamur. Quis non admiretur quod,  
 25 cum apud Principem primus gradu ac dignitate sis, dexteritate  
 atque modestia ita te ad humiles redigas, ut quantum illic ex-  
 cellas et illustres, tantum hic lauderis et non degeneres? Eapropter  
 scito potius tibi gratias habendas quod me prae morum sua-  
 vitate non asperneris, quam mihi qui te amore admiratione praet-  
 30 dicatione prosequar. An illud parum est quod me tanti facis et  
 scriptis nobilitas tuis, ut qui tibi fidem habeat me doctum me  
 peritum me in sublimi dignitatis et auctoritatis loco ponat? Hoc  
 vere magni hominis, ex humili magnum facere et qualem me  
 esse velis, talem et praedices: solem imitaris, quem aspicimus  
 35 ex infima valle suo splendore flores et bene clementes herbas e-  
 ducere.

Cum igitur omnia magnificentiae tuae debeam, quanto effor-  
 gaudio quod in mittendo ad vos Philethico me tibi et civitati  
 morem gessisse intelligam! in cuius doctrina et virtute istic  
 40 propaganda simul et nomen propagatum iri meum vaticinor; tan-  
 tum <valet> vestra illa divina benignitas et gratitudo, quibus

---

10 totam a b | 13 diliges a b | 22 m<sup>ti</sup> (sic) a b | moveantur: co-  
 struzione a senso | 26 ita] et a, om. b | 27 illustres - eapropter om. a  
 33 vero b | 37 M.<sup>tie</sup> (sic) a b | 38 philectio a.

per ora per aures vestras volitare <ac> meum perpetuo vigere  
nomen video et, quod maxime opto, absens et longinquus <prae-  
sens et> propinquus ero. Vale decus meum.

<Ferrara 1453-1455 c.>

45

873.

(Vatic. 3908 f. 162 autografa; pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino II* 175).

Guarinus clarissimo viro domino Io. Arretino sal.

Ecce venienti ad vos homini oculatissimo Strabonem dedi,  
qui eo utatur ἔθηγῷ, cum viarum sit ignarus, nuper Latii  
iure donatus a me. Qui si tardius et diutius expectatus veniet,  
debebis causas assignare exemplari vestro tardius facienti iter: 5  
id autem expectationem fefellit meam, quia meo longe inventus  
est strabonior aque (= atque) adeo luscus *καὶ μονόφθαλμος*. Acce-  
dunt et domesticae non parvae occupationes, quae ad educandam  
numerousam familiam ingruunt ad victum quaeritandum. Accipe  
autem pater et patronē optime villicationis rationem. Eius volu- 10  
minis quartus est in manibus liber prope absolutus, cui assiduam  
nunc operam impendo, hanc potissimum nactus occasionem vaca-  
tionis ab quotidiana lectione. Primi autem libri partem misi, tum  
quia non totum more meo limavi, tum quia minus gratum lectori  
arbitratus sum ad ipsum orbis situm festinanti. Ipse inquam 15  
Strabo dum locorum peritiam peculiarem in Homero esse con-  
tendit, indignatus non idem cunetos secum sentire, longiorem  
quandam suscipit contra eos disputationem, ἐπιμελῶς μὲν, μακρολόγως  
δὲ, plerisque vero minus gratam. Eam vero ut gratiore tempera-  
rem lectione, immiscui diligentem Hispaniae περιγραφὴν cum Gal- 20  
liae parte, quas vides nunc. Intermisi partem aliquam disputa-  
tionis ipsius, quam totam ἡρμήνευσα quidem, sed ad unguem non  
perpolivi. Id autem factum est eam ob causam quam tibi dico.

---

42 volitant a b.

878, 6 *inventus*: pensava a *Strabo*, dimenticando che aveva scritto il sostantivo neutro *exemplar*.

Tantam vero καὶ κατὰ λεπτὸν adhibitam cernes in designatione  
 25 Strabonis diligentiam, ut qui in eiusdem loci demonstratione accurate copioseque scribere videbantur, dehinc tibi iejune ac somnolenter describere iudicabuntur.

Auguror profecto futurum ut et presentes et venturi gratias et laudes immortaliter acturi sint s. d. nostro tante utilitatis tan-  
 30 teque iocunditatis auctori ad nostrorum hominum, idest latine legentium, studia, quae suae S. cura et liberalitas iuyerit fulserit amplificaverit locupletaverit pro suae dignitatis officio, ut qui in litteris natus, in litteris auctus, litteras quoque tam benigne propagarit, sicut alma Ceres, ut poetae dicent, fruges mites humano generi elargita,  
 35 asperas adeo glandium escas abiecit et ferinum mundo victum propulsavit. In cuius rei memoriam prologum preponere conatus sum operi, si tu id faciendum iudicaveris nec inepte a me factum dixeris. Vale patrone mi carissime et s. d. nostri pedibus me filiumque d. Manuel commenda.

40 Ferrarie XII septembris 1453.

Venerando et sapientissimo domino  
 Io. Arretino S. R. ecclesiae subdiacono  
 maiori honorando. Romae.

### 879.

(Tioli XXII 87, dall'autografo, ora perduto, nel cod. Vatic. 3908; pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino* II 175).

Guarinus pl. sal. d. sapientissimo d. Iohanni Arretino.

Ecce mitto partem alteram Strabonis. Longe plus transtuli, sed fui paulo tardior dum τὰ ἐρμηνευθέντα limare studeo; nam cum in praesentia quinternos supra quatuor mittam, sunt apud  
 5 me supra octo, qui tamen crescunt in dies totamque Galliam absolvi, modo limaverim paululum; iamque Italiam ingressus et aggressus sum. Propediem et reliquos ad te mittam; quia vero librarius oblitus est ultima postremi quinternionis verba, quem ante misi, rogo ne sit molestum annotari ea facere, ut librarius  
 10 coeptum prosequatur scriptum.

Cures velim pro tua in me caritate idque oro magis ac magis ut apud s<anetissimum> d<ominum> nostrum intercedas ut τὰ τοῦ Ἀριστοτέλους προβλήματα ἐλληνιστὶ γραφέντα commodare mihi dignetur: id mihi beneficium maximum abs te fuerit, quo me perpetuo tibi devincias. Senties et consenties mea causa, ut 15 benefactor meus, cum viro magno domino d. Petro Nuseto ὡς συνεργοῦται super ope quam a s<anctissimi> d<omini> nostri liberalitate supplex exoro. Bene vale.

Ferrariae XVIII febr<uarii> 1454.

### 880.

(Vatic. 3908 f. 235, autografa, pubblicata dal Rosmini *Guarino II* 60, 175).

Guarinus sapientissimo d. Io. de Arretio sal.

Mitto ecce quinterniones tres qui s. d. nostro reddantur. Sunt et alii qui mox sequentur; sunt autem limandi paululum et denuo recurrendi. Habeo hanc absolvendi operis curam, ut nulla intermittatur dies quin partem aliquam interpreter; quod 5 ut faciam liberius, alias privatas lectiones intermisi, e quibus καρποῦσθαι τι solebam ad meorum commoditatem: sic urget « res angusta domi ». Quocirca te oro ut apud s. d. nostri munificentiam τὰς ἀνάγκας μου commendare libeat ἐν καιρῷ. Nam cum sextus mihi liber sit in manibus, usque in finem ὑποφέρειν οὐχ οἶσαν τὸ δια 10 εἶναι μοι ἀνδρὶ μὴ πλουσίῳ: quod si dignetur eius S. μέρος τι εὑρεγετεῖν μοι, ἀνεκτότερος ἔσται ὁ πόνος. Hec tibi ut patrono, licet subvere- cundius, dicere non reformato, ut causam meam complectare. Scito autem multa et multotiens in vestro deficere codice, que in altero subrogata repperi et sic uberioris ἤρμηνεσσα. 15

Unam (== unum) ab gratia tua exorare cupio, ut τὰ τοῦ Ἀριστοτέλους προβλήματα græce scripta habere a s. d. nostro va- leam, que post remittam; id mihi erit grandis beneficij loco. Bene vale καὶ με φίλει.

E Ferraria XXII iunii 1454.

20

Sapientissimo d. Ioanni de Arretio  
S. Ro. ecclesiae subdiacono maiori  
meo venerando. Romæ.

## 881.

(Ottob. 2251 f. 197; Parig. 14394 f. 99<sup>v</sup>, già di S. Vittore; pubblicata dal Mai *Spicil. Rom.* X 357 e dal Tonelli in Poggii *Epist.* III 24).

Poggii p. s. d. Guarino Veronensi v. cl.

Cum essem in balneis Petriolanis, reddite sunt mihi abs te suavissime littere, quibus me rogas ut curem ut Problemata Aristotelis et Hippocratis Aphorismi, quos grece scriptos aīs hic 5 haberi a quodam viro latinis grecisque erudito litteris, mutuo concedantur preclarissimo viro Gregorio filio tuo, quem flagrare dicis libris potiundi cupiditate..... Verum quis libros quos cupis habeat ignoro: neque antea de his voluminibus verbum ullum audivi neque intellexi aut hic esse aut apud quem essent. Memini 10 iam ferme biennium cum Rome essem, te de Problematibus ad me scripsisse, quos pontifex habet, quocum locutus sum diligenter; et ipse benigne respondit se eiusmodi libros tibi concessurum postquam eos vir doctissimus Theodorus Gaza transtulerit, quos iam magna ex parte latinos fecerit: et arbitror opus illud 15 iam esse absolutum. Potes rogare Aurispam, ut illos a pontifice petat et ad te curet deferendos...

Antequam ad balnea proficiscerer, respondi tuis litteris quibus te purgabas ab iis que nebulo ille laureatus in te coniecerat, scribens et te et filios tuos nescio quid contra me et loqui et 20 sentire. Que littere si, ut existimo, ad te delate sunt, iudicabis abunde satisfactum tibi. Non enim ad Marescalcum id scripsi, ut quicquam crederem aut te aut filios in Poggii tui contumeliam locutos, sed ut refricare possem eo mendacio os illud impudens atque impurum male lascivientis aselli...

25 Hec scripsi postridie quam tener ex balneis redii... Hieronymum Tifernatem virum doctissimum meo nomine salvare iube.

Florentie <estate del 1454>.

(Ottob. 2251 f. 192<sup>v</sup>; Parig. 14394 f. 93<sup>v</sup>, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist.* III 110).

Poggius p. s. d. Guarino suo v. cl.

Si verbis fraudolentissimi nebulonis Nicolai Perotti fidem habuissem, pro comperto quod scripserat credens, non scripsisse ad Franciscum Marescalcum ut a te percontaretur quenam ea verborum fabula esset... Ut autem intelligas quam mendax 5 quam impudens sit furunculus ille (Perottus), vide quid de te scribat in quadam epistola ad virum doctissimum Albertum Parisium Bononiensem: « Cum multa contra me latrasset caniculus furens, inter cetera vidisti, inquit, tu litteras quas prestantissimi viri ad me scripserunt. Intellexisti quid Guarinus, cuius nomen 10 immortalitati debetur, quid filii eius doctissimi viri, quid Hieronymus Castellus homo inter philosophos acutissimus, inter oratores facundissimus, quid Petrus Balbus et Athanasius, duo Achaemie nostre lumina, quid alii complures clarissimi viri in hac causa sentirent ». Certus sum illum petulantem maledicum de te 15 deque reliquis plane fuisse mentitum... Imitatus est in arte mentiendi magistrum suum Laurentium Vallam..., cum me arguat scripsisse contra te, ut nunc extimari velit te mihi gratiam retulisse... Ego te mi Guarine amavi semper unice summeque colui... Adde quod tu solus nobis ex illa priori scola relictus 20 es quem sepius et animo et mente complectar.... Accedit tua- rum litterarum testimonium et auctoritas, quibus suavissimis ver- bis te ab ea suspicione purgasti. Quid, forsan inquies, sibi vo- lunt littere ad Franciscum scripte? Non id egi, ut aliquid de tua in me benvolentia dubitarem, sed ut, cum eliciisset sen- 25 tentiam tuam, uberiore stilo possem illius dicacissimi scurre iac- tabundam loquacitatem et mendacem iactantiam conterere... Lit- ttere tue fuerunt mihi gratissime...

Florentie XII augusti <1454>.

## 883.

(Tioli XXII 93 dall'autografo, ora perduto, nel cod. Vatic. 3908).

Guarinus Veronensis cl. v. domino Iohanni Arretino sal.

Licet superiori aestate alias ad te dederim pro quibus unas mihi debes, non verebor meum in te augere creditum, immo vero gaudabo e creditore tibi fieri debitor et versuram, ut dicitur, fa-  
 5 cere. Est sane honorificum ut seribit Isoocrates παρὰ ἀνδρὶ επουδαίῳ  
 χάρις ὁφειλομένη. Nam cum prioribus tibi multa debeam officiis,  
 non vereor aliam novam inire gratiam. Ecce filius meus dilectus  
 in primis et animo meo annexus d. Manuel Romanus sese confert.  
 Tuum erit ut cum τὰ τῶν φίλων κοινὰ ὔστι, sic in sinum tuum  
 10 accipias, ut qui meus istuc ad te venit noster esse incipiat ob-  
 tuam in eum caritatem studiumque paternum. Is partem unam  
 Strabonis secum affert; mox succedit et altera quam inter manus  
 limandam habeo. Hoc tulit mihi εὐτυχία ut cum vestrum volu-  
 15 men aliquas per fenestras afferat tenebras pluribus ex chartis,  
 alterum volumen supplementum faciat quod hic nactus sum. Bene  
 vale et s<anctissimi> d<omini> nostri pedibus patrem me  
 filiumque commenda.

Ferrariae X novembris <1454>.

Cic. ad Att. V  
21, 12.

ad Dem. 29.

## 884.

(Vatic. 2251 f. 203; Parig. 14394 f. 109. già di S. Vittore: pubblicata dal Tonelli in Poggii Epist. III 126).

Poggius p. s. d. Guarino suo.

Quesivi diligenter apud nostros libros grecos quos desideras, ut satisfacerem tue voluntati. Magister Petrus, quem nominas, latinis et grecis litteris eruditus, nullos habet eiusmodi libros,  
 5 sed existimare se dixit esse Aristotelis Problemata in biblioteca Sancti Marci inter Nicolai libros. Quesivi statim in biblioteca et omnia volumina discussi, in quibus nullum comperi eiusmodi codicem. Legi quoque repertorium librorum Nicolai, neque in eo

inventi sunt Hipoeratis Anforismi. Cum de eis a multis investigarem audissemque libros eiusmodi esse apud virum doctissimum 10 Franciscum de Casteliunco, conveni hominem petens an ii apud se essent: respondit non omnes, sed maiorem partem se habere, quos mihi pollicitus est se meo arbitrio concessurum; eos si cupis, me facito certiorem, ut satisfaciam desiderio tuo. Letor te Strabonem traducere ad Latinos...; potes antequam libros omnes 15 absolvias, aliquam particulam tanquam primitias ad me destinare... Saluta meis verbis tum filios omnis, quos audio esse a te et doctrina et moribus institutos; tum Hieronymum Tifernatem virum etatis nostre doctrina et ingenio prestantissimum rogaque et hortare ut, quoniam Nicolaus Perottus ipsum testem contra me citat, 20 male de me sentire asserens, paucis ad me verbis seribat, illum nebulonem... plane mentiri...

<Firenze 1454>.

### 885.

(Trivulz. 776, *Istrias* di Raff. Zovenzoni, lib. II 78, 79).

Cum pepone dysticon ad cl. Guarinum.

Si superi hunc Croesi vertant in regna peponem,  
Non vincant animum, dive Guarine, meum.

### 886.

Responsio divi Guarini.

Si ditem faciunt animi, nec gaza nec aurum,  
Regia ne dubites dicere dona tui.

<Ferrara autunno del 1454?>.

### 887.

(Tioli XXII 83 dall'autografo, ora perduto, nel cod. Vatic. 3908 f. 170; pubblicata in parte dal Rosinini *Guarino* II 176).

Guarinus Veronensis cl. v. domino Iohanni Arretino sal. pl. d.

*Plut. Flam. 1, 3.* T<itum> Q<uintium> Flaminium tristari solitum accipimus

quotiens vel alienum caperet officium vel sibi pro collatis in alios  
meritis gratiam referri contingere, cum contra laetari et « serio  
5 triumphare » videretur si in aliquos beneficia conferre sibi dare-  
tur: id nanque magni in primis animi est beneficiis afficere qui-  
dem, non autem affici. Ea ipsius hominis recordatio meam tecum  
rem consideranti mihi solatio est; nam eam tantia in me beneficia  
tua repeto quantumque onus sustineam animo certo, qui magna  
10 et multa conferas, cum ipse nihil invicem referam, non tristari  
non possum. Tu nanque nominis mei buccinator, tu laudis ampli-  
ficator, tu commodorum inventor et effector quibus me modis no-  
disque perpetuo astringis! cum interim ne tantillam quidem re-  
latae tibi a me gratiae vicem perspiciam eoque maius tuum a-  
15 gnoscam in me meritum, quo abs te viro doctissimo sapiente ce-  
leberrimo et singulari laude dignissimo praedicer; et, quod sum-  
mum est, pontifici maximo tua me commendatione gratum accep-  
tum iocundamque reddis et, ut Plautino utar verbo, « magis in-  
cordias » vereque « tu das epulis accumbere divum ». Ceterum  
20 cum instar Flaminii me tibi laetitiae ac oblectationi esse recorder  
simque tuorum campus meritorum et tibi praemio fiat « mens  
sibi conscientia recti », idque ipsum in conferenda gratia gaudium  
referendae gratiae vicem habeat, me ipsum magna ex parte consol-  
sor, potissimum quia non oblivione non negligentia non igno-  
25 ratione id a me committi intelligas, sed quia tu mea non indiges  
opera, nec ad referendas grates vis ulla suppetat, pro tuo gra-  
vissimo iudicio fortunam magis quam animum incusabis; satis  
mihi fuerit, si non ingratam in te mentem dixeris aut senseris.  
At virgilianum illud optavero: « dii si qua est caelo pietas quae  
30 talia curvet, persolvant grates dignas et praemia reddit debita »;  
tu tamen ut coepisti mihi patronus esse perge, cum tua in clien-  
tela censeri glorier.

Partem Strabonis accinetam ad iter habeo, sed duce aut co-  
mite opus est filo, qui rarus ocurrat et quem servabo, ut mox  
35 ad te mittam. Filium communem d. Manuelem tuae humanitati  
commendo et tibi commendatum s<anctissime> d<ominio>  
nostro intime commendes oro, ut « tantum dicitur verbo et sana-

Clet. 116.  
Verg. Adu.  
79.

887, 18 Dove allora coi codici si leggeva *in cordi*, ora col Camerarius si legge *mi cordi est*.

bitur anima sua ». Is filius tuam invocabit opem ad unam Ὀδύσσειαν,  
de qua illi scribo; nostro conduceat operi.

Ferrariae XXVI ianuarii 1455.

40

### 888.

(Tioli **XXII** 89 dall'autografo, ora perduto, nel cod. Vatic. 3908; pubblicata in parte dal Rosmini *Guarino* II 175, 176).

Guarinus Veronensis sal. pl. venerabili d. Iohanni Arretino.

Proxime unas ad te scripsi quibus declararem animum erga te meum si non munificum, at memorem et minime ἀγνόμονα protua in me benivolentia, immo vero beneficentia. Postmodum acceptis a d. Manuele litteris tuum intelligo tantopere patrocinium 5 excubare ut novis me devincias officiis. Quid faciam? Si prioribus illis gratias referre pro eorum magnitudine non poteram, cum nova in dies accedat beneficiorum crebritas ἐξ ἀδυνάτου ἀδυνάτωτερον me facis. Itaque te oro ut in te causam non in me esse animo vertas si minus gratus aliis magis quam tibi videbor, qui 10 satis credo habes animum meum qui tuus totus est et usu et possessione. Perge vero et coeptum porrige perpetuo in me patrocinium benignitatis tuae.

De opere vero nostro id ἀληθέστατον nullam occidere diem quin bonam traducam partem et crescere faciam opus in horas 15 pluresque esse quinternos traductos, quos et emendare et limare oportet, licet multis agitantibus praeter spem adversis: sed « superanda omnis fortuna est » ut s<anctissimi> d<omini> nosti cupiditati faciam satis. Adiutandum est tam magnificentum tamque illustre propositum suum quo sermonem quo scientiam 20 quo virtutes latini nominis locupletet atque amplificet: legatum posteritati sane immortale futurum. Amplum est et magni christianorum principis officium episcopos cardinalesque creare; at longe magnificentius est tam diversa studiorum decora procreare. Illos enim vel sibi vel semel profuturos, haec aliis et aeterne 25 commoda fructus gloriam paritura. Quando autem pontificis aviditatem in videndo Strabone integro nunc inspicio, non vigiliae deerunt non etiam ieunia ut suae S<anctitati> respondeam.

Verg. Aen. V  
710.

Occurrunt multae ad obscuritatem ac defectum nunc fenestrae  
 30 quae obstrusae plus luminis afferrent contra reliquarum naturam  
 si perfectius habere volumen possem: quae res tuam poscit opem  
 et patrocinium. S<anctissimo> d<omino> nostro filium meque  
 suppliciter commendando.

E Ferraria \*\* februarii 1455.

### 889.

(Canon. lat. 301 f. 2<sup>v</sup>, con correzioni autografe di Guarino; Albi in Francia 4; Phillipps in Cheltenham 6645; Bologn. Universit. 1608; Laur. 30.7; Napol. Nazion. V F 29-30; V F 31; Parig. 4796; 4797; 4798; Malatest. XIII sin. 4; Ferrar. 185 NA 7; Mantov. Comun. D V 15; Est. VI H 16; Marc. lat. X 87; Guarner. 12; Vatic. 2049; Palat. 1360; Class. 407; cfr. I. Pasinius *Cod. ms. bibl. r. Taurin. Athen.* II 172; pubblicata nelle edizioni di Strabone tradotto e in *Bibliot. Smith.* 105. Naturalmente tengo conto solo del cod. Canon. Tutti i codici sopra notati contengono la traduzione guariniana di Strabone).

Clarissimi viri Guarini Veronensis prohoemium in Strabonis translationem ad beatissimum papam Nicolaum quintum.

<Guarinus Veronensis beatissimo papae Nicolao V sal. pl. d.>.

Tuarum plerunque rerum contemplatione adductus, beatissime  
 5 pater, in eam venire soleo contentionem, plusne tibi litterarum et  
 bonarum artium studia an tu illis debeas, quippe cum illarum in  
 te tuique in illas ultro citroque singularia extent merita. Illae  
 quidem tibi fructum famam decusque pepererunt et ingenium  
 multis et magnis rebus adornatum reddiderunt; tu vero contra  
 10 illis splendorem dignitatem gloriamque comparasti, quae maiestatis  
 sedem et pontificale nactae fastigium sibi ipsis triumphare  
 et vere in caelum, ut dicitur, adscendisse videntur. Quid enim  
 splendidius magnificentius aut gloriosius vendicare possunt disci-  
 plinae et haec humanitatis studia, quam ut Romano pontifici et  
 15 christiani nominis ductori adsistere se cognoscant et iacent?  
 Tantum nanque artes extolluntur et tanti fiunt, quanti earum  
 cultores professoresque memorantur et celebrantur; unde milita-

rem disciplinam, iuris civilis scientiam, philosophiam ceterasque  
id genus vel hinc maxime commendamus probamus admiramur,  
quia generosos homines, clarissimos principes, inclytos reges in 20  
eis versari solitos dicimus eisque operam dedisse testamur. Quo-  
circa memoriae proditum est Alexandrum illum magnum cum ad  
Plut. Alex. 4, 3. currendi certamen Olympiae invitaretur, id libenter et strenue  
se facturum respondisse, si reges aemulos habiturus esset in sta-  
dio. Ut autem dominum nostrum Iesum Christum et hac imiteris 25  
in parte, cuius vicarius vestigia fere sectaris in reliquis, absum-  
tos iam morte scriptores, ut ille Lazarum et alios permultos, ad  
vitam revocas et mersos in tenebris in lucem retrahis labentes-  
que per aetatem auctores quasi putrescentia cadavera in iuve-  
niles annos renovas. Hinc factum est ut illi te patrem recreato- 30  
remque cognoscant, pretiosissima bibliotheca quasi praeciarissima  
supellectile Romanam locupletaturum ecclesiam. Quae tanto reliquis  
vasis potiora sunt, quanto argentea vasa vel aurea alios usus et  
quidem mutos expectant, codices autem ad sapientiam, ad reli-  
gionem informandam loquentia sunt instrumenta. 35

Eos tua cura vigilantia sumptibus magnis, ad christianam  
praesertim religionem pertinentes, e graeca lingua in romanum  
conversos eloquium esse fama est, in quibus tuae pariter maie-  
statis nomen in dies germinare ac florere posteritas aspiciet, eo  
quidem amplius quo magnificentius ipsum beneficium minores in- 40  
telligent, intellectum amabunt, amato fruentur. E sanctorum nanque  
virorum libris lucubrationibus et divinorum mandatorum lectionibus  
datum est nobis ut ad humanae fragilitatis auxilium intercessores  
invitemus angelos, daemones propulsemus, peccata deleamus, vitae  
sanctitatem exoremus, regni caelestis beatitudinem fruendam, fide 45  
ipsa pollicente, speremus et, quod summum et amplissimum est,  
ipsa interprete lectione, dei veri fruamur alloquio. Pro quibus  
quidem maximis et immortalibus tuae sanctitatis meritis omnis  
aetas tibi laudes tibi gratias tibi honorem non minus quam Pto-  
lemaeo Philadelpho secundo Alexandriae regi decantabit et per- 50  
solvet, qui divinarum secreta scripturarum per septuaginta inter-  
pretes ex hebraea lingua convertenda curavit et ante incarnati  
Verbi mysterium annis ducentis et octoginta in lucem eduxit et  
posterioris manifesta reliquit atque legavit.

Postremo cum memoria teneas domini dei nostri verbum a 55

patribus antiquis in te legitima serie derivatum : « quicquid ligaveris super terram, ligatum erit et in caelis », ut quam late patet divinitus attributa pontificali solio potestas ostenderes, terrae ac maris ambitum, cuius imperium penes te esse voluit, per singulas descriptum regiones mortalibus cognitum esse voluisti ; et quanquam per nostros quoque homines mundi formam compertam haberemus, graecum etiam testem adhibere instituisti, Strabonem scilicet virum doctissimum et magnarum rerum cognitione peritissimum, qui vel omissas vel neglectas aut vetustate abolitas orbis partes ad unguem restituit et diligentissime designavit, populos nationes res gestas flumina montes maria terminos ante oculos ponens. Eum tuae sanctitatis tractus imperio in latinum vertere conatus sum, non tam meo, id est tenui, ingenio, quam mandantis gravitate fretus. More autem maiorum, qui praeclaras actiones consulari nomine insignibant, hunc in codicis fronte titulum insculpendum esse censui : Strabo recte et acute perspiciens, mundi designator acutissimus atque soller-tissimus, ut et Latinis per agrandi orbis viam commonstraret, Guarini Veronensis interpretamento Italis quoque se aperuit, pontificante Nicolao quinto eodemque mandante .

<Ferrara 1455>.

## 890.

(Canon. lat. 301 f. 4, con correzioni autografe di Guarino. Le altre fonti come nella lettera precedente ; fu ripubblicata da G. Berchet *Nozze Marcello-Del Mayno*, Venezia 26 luglio 1893).

Guarinus Veronensis insigni ac patricio equestris ordinis viro  
d. Iacobo Antonio Marcello veneto sal. pl. d.

Veteres illi, quorum auctoritas cum sapientia ad posteros usque proiecta est, memoriae prodiderunt Atlantem virum illustrem regemque potentissimum late quondam terris imperitasse ;

---

890, 1 Eiusdem Guarini in absolutionem Strabonis incohati prohoemium alterum ad insignem ac patricium equestris ordinis virum d. Iacobum Antonium Marcellum Venetum cod.

de cuius magnitudine cum alia permulta, tum illum humeris caelum fulsisse praedicant; ceterum longo aliquando labore fessum cum deficeret, Herculem Iove, ut aiunt, natum et rerum gestarum gloria ea tempestate celeberrimum invocasse, qui tantum subiret honus et robusti hominis munus impleret. Idem meo de Strabone 10 in praesentia dicendum offertur, quod quidem opus arduum et caeleste volumen cum sanctae memoriae Nicolao papae quinto terras caelumque regenti destinasse, cum de illius maiestate ac potentia veritas ipsa loquatur: « quicquid ligaveris et solveris super terram, ligatum et solutum erit et in caelis », et invida 15 viris bonis et hominibus doctissimis fortuna ipsum litterarum duc-torem benignissimum intercepit et spes nostras abrupit. Interea circumspicienti mihi et animo cuncta lustranti, amplitudinis tuae splendore et digno immortalitate nomine quasi Hercules alter occurristi qui deficientis honus subires et arduum munus impleres. 20 Nam cum nobilitatem tuam, sapientiam resque tuas domi ac militiae fortiter prudentissime ac prospere administratas contemplor et mente revolvo, quid tibi ad summum gloriae cumulum desit nequaquam intelligo, sive genus sive tua gesta perpendo.

Consideras nanque et ipse ponderas quanta tibi sit indita 25 necessitas e tot terrarum regina patria et e Marcellorum prosapia ortum esse. Quid cum M. ille Marcellus laetis offertur auribus, Liv. XXIII 16. qui primus Hannibalem superari posse docuit? cuius memoria cum tibi ante oculos obversatur, ad sublimia ad magnifica ad miranda totus accenderis, ne in tanto nomine degenerasse videaris. 30 Nam si antiquis annalibus et auditis fides abroganda non est, numerosam Marcellorum familiam Romana cadente re publica quatuor ingentibus onerariis navibus Venetas adventasse fama est, quae immensis opibus refertae fuerant, quarum auxilio speciosissimas aedes condidisse marmoribus et aliis ornamentis instructas, 35 tantae nobilitatis vestigia et antiquitatis documenta constantissima.

Ipsae mecum obstupescere videntur litterae cum praeclara tua facinora non minus fortiter quam sapienter ac magnifice administrata praedicare instituunt. Venit in mentem Casale Maius, cuius praefectus cum esses eo bello quod Philippus Maria Me- 40 diolani dux adversus Venetum gerebat imperium, ita defendisti ut nullo capi consilio aut robore siveris, cum eius potiundi avissimus hostis esset: et erat quidem obsidio robore militum ad

triginta milia et omni machinamentorum genere apparata et due-  
 45 toribus cunctis sub imperatore Picenino florentibus, qui omne va-  
 lidissimum oppidum populaturi primo videbantur impetu. Multa  
 quidem ingentia de te sese offerunt, quae prologorum compendio  
 et brevitate potiusquam pro dignitate memorari dolent et conqueri  
 videntur, cum grande ex illis confici corpus et possit et debeat:  
 50 « quae aliis post me memoranda relinquo ». Quaedam tamen prae  
Verg. Geo. IV  
148.  
 illorum nobilitate reticere non possum, spreta prohoemiorum for-  
 mula; malo enim ipse supervacua verborum copia damnari quam  
 meis pro viribus tuorum te laborum laude fraudare, praestatque  
 ut potius redundans quam ingrata notetur oratio. Cum bello quod  
 55 supra commemoravi eo res deducta esset ut in Brixiae captivi-  
 tate aut defensione terrestris et veneti pondus vergeret imperii,  
 hostilibus copiis et ingenti exercitu civitatis urgebatur obsidio:  
 spes quidem hostibus, Venetis autem desperatio crescebat in dies,  
 fames et inopia premebat obsessos « nec spes opis ulla dabatur »;  
 60 campus enim tractusque montanus in hostium potestate ita tene-  
 batur, ut nulla adeundae urbis via praestaretur nec inclusi pro  
 paucitate contra tot milia auderent erumpere. Tu igitur, Marcella  
 vir sapientissime, ad tanta pericula propulsanda et malorum re-  
 media excogitanda missus per silvestria loca et rupes iniquissimas  
 65 transvolans ex insperato urbem intrasti civesque ac milites adeo  
 animasti, ut te duce obsessum per id tempus vehementer ab  
 hoste Roatum castellum, civitatis vere clavem et Brixiae colu-  
 men, ex hostium faucibus eripuerint. Subinde civitatem firmatam  
 munitamque dimittens, ut morae vir impatiens, assumpto milium  
 70 circiter triginta exercitu, maiore ex parte inutili, quippe qui com-  
 meatus absumeret et cum hoste, qui maiores copias et vires re-  
 paraverat, congredi longe impotens esset, per inaccessa rupium  
 cacumina collesque tristissimos invictus, velut Hanibal alter per  
 alpes cursitans, in agrum veronensem revertisti. Eo sane adventu  
 75 exercitum ipsum, cui brevi intra moenia pereundum erat, inco-  
 lumen servasti ac tractum omnem cis Mintium dubium fir-  
 masti, debilem roborasti, ruiturum sustentasti, donec illo ingenti  
 exercitu subsidia maxima attulisti. Quibus quidem fortiter ac sa-

---

52 ipse add. Guarin. | 63-64 et malorum - excogitanda add. Guarin.  
 | 72 montium in rupium corr. Guarin.

pientissime gestis cum vehementius hostem adversus Brixiam exasperasses, quoddam humanis viribus maius et vix posteritati credibile facinus invasisti; quod unum pro sua magnitudine et admiratione ne omittatur exposcit et quod Xerxis Persarum regis facto non modo conferre sed anteferre non dubitaverim. Ipsum inquam regem potentia et audacia nobilitatum sic navibus Hellespontum stravisse et in mari pontem construxisse fauna canit, ut exercitui permeabile pedibus mare conficeret. Opulentissimo regi facile fuit iactis inter undas ancoris, instratis tabulatis, salva rerum natura conficere; tu vero animi magnitudine, mentis acuminis, ingenio perspicaci terrestre iter stravisti navibus et loca per asperrima montanosque tramites in Benacum, veronensis agri lacum, non mediocrem sane classem myoparonum, biremium, triremium et alia varii generis navigia induxisti; cum interim Piceninus adversis repugnaturus apparatus a te fusus profligatusque profugerit. Daedalum non tam mirarentur homines « praepetibus pennis ausum se credere caelo », quam tuum istud inventum laudibus et admiratione prosequuntur. Nemini dubium est ea via consilio et industria solvendae Brixiae quaquaversum obsessae aditum patuisse, commeatu pecunia armis abunde suppeditatis eiusque liberationem tuo acceptam beneficio referri debere. Et quoniam prae tuarum cupiditate laudum coepi verecundiae fines transire, non verebor bene et graviter impudens esse. Quam praeclarum factum illud, quam rei venetae perutile, quod cum Nicolaus Piceninus, redintegratis instar hydrae viribus, veroneses fines maximo cum imperii veneti discrimine occupasset et vicentinum nonnihil agrum et ingenti contra comitem Franciscum Sfortiam fossa et munitis se cinxisset, qui apparatu instructus maximo subsidio liberandae Veronae adventabat nec ullus comiti Francisco transitus praestaretur, tu veluti Veronae dictator, vi redactis in potestatem montibus ab hoste possessis, per invia loca rupesque vastissimas comitem ipsum Franciscum et militum quadraginta milium multitudinem incolumem perduxisti tantumque Picenino terroris incussisti, ut qui timendus antea fuerat, nunc denique timidus traecto Athesi salutem fuga comparuit: atque eo momento omnis citra transque Mintium res veneta ab omni metu periculoque liberata est. An vero quisquam huius aetatis est qui nesciat, cum urbe Verona furtim potitus

Herod. VII 33  
30.

Verg. Aen. VI  
13.

hostis esset et intra moenia cuncta in potestate praeter arces teneret armis, ad extrudendos hostes imperatorem vestrum tua ope consilio et celeritate usum reparasse? illum autem in tuae vir-  
 120 tutis testimonium dixisse memoriae proditum est: «Marcelle, tua non minus opera Veronam quam virtute nostra recepimus». Testis est etiam insula Padi tuo ductu et auspicio in ea fusum profligatumque exercitum fuisse: qua clade non sane mediocri nobilitata est. Novissime traecto Adua fluvio, qui finis est impe-  
 125 rii, cum adversas ripas adversariorum copiae pro statione tenerent, tantus injectus est terror, ut populationibus incendiis vastitati incustoditus relinquetur ager, unde inclyta illa et semper imperiosa Mediolanum suis in portis Venetorum affigi vexilla spectaverit: quo praeclaro et memorando facinore tuo au-  
 130 ratae militiae et equestris ordinis insignia, magnanimitatis et fortitudinis tuae monumentum, meruisti et approbante exercitu adep-tus es. Dux igitur Philippus tanta rerum permutatione commotus, ut qui aliis antea bellum inferre longius soleret, nunc ad portas bellum fervore cerneret, mentem dolore saucius ex aegritudine  
 135 morbum contraxit et paucos intra dies mortem obiit «vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras». Mox ubique popula-tiones factae, Laudum et Placentia sub venetum venit imperium et, ut fama constans et una omnium lingua testatur, nisi livor aemulorum et felicitatis comes semper invidia et hostis vafra-  
 140 mента, ne tuis sapientissimis consiliis senatus venetus fidem adhi-beret per insidias obstitissent, Mediolanum ipsum sub Venetorum iuga pervenisset atque inde illi universae terrae marique facile imperassent. Illud tua de continentia integritate innocentia occurrit saeculis omnibus celebrandum, Fabriciis Curiis Aemiliis Catonibus  
 145 sane conferendum, quod in tanta opum auri et spoliorum facul-tate atque licentia cum tui locupletandi praestaretur occasio, nihil divitior domum revertisti; quin pecuniae publicae parcus ac sobrius administrator maiorem in contemnenda quam in adipiscenda pecunia gloriam collocasti: nihil enim tam angusti animi esse quam amare  
 150 divitias, nihil tam fortissimi quam illas ad liberalitatem munificientiamque convertere constituisti.

Verg. Aen. XII  
952.

---

130 dignitatis *in ordinis corr. Guarin.* | 136 cum *add. Guarin.* | 142  
inde *add. Guarin.*

His ipse de causis Strabo e Graecia in Italiam nuper adventans triumphatus est tam illustrem nactus hospitem, praesertim quia certior factus est te, orbe peragrato, maria terras portus insulas littora montes lacus flumina, de quibus dicturus 155 est, noscitare et quae cernendo didiceras legendo recognosces et proinde tibi eas gratias habiturum, ut quocunque iter et cursus aget, nomen tuum disseminet, maxime cum tantum opus, quod pontifex incoharet, mancum imperfectumque reliquerat, magnanimus eques Iacobus Antonius Marcellus confectum et absolutum sua 160 cura et opera reddidit: unde litterarii ordinis homines et studiorum ac latinae eruditionis professores perpetuo sibi etiam atque etiam devinxit officio.

<Ferrara 1458>.

## 891.

(Gambal. 67, già D III 33, f. 204v. Minuta autografa. La riporto scrupolosamente, correggendo solo pochi errori nell'accentazione del greco. Metto tra parentesi le parole rifiutate dall'autore e cancellate nell'atto dello scrivere. Pubblicata da A. Battaglini in Basinii *Opera*, Arimini 1794, II 153; cfr. Affò e Pezzana *Scritt. parmig.* VI 172).

Basinius Parmensis Guarino Veronensi sal. d. pl.

Accoepi nuper a te litteras (suavitatis) iocunditatis et humanitatis plenas, quibus plane intellexi quanti pater filium quantique praecoceptor discipulum faceres. Habeo itaque tibi gratias immortalis ac sempiternas: primo quidem quod incolumitati salutique meae gratularere quodque in mea valitudine te valere dices, quae res mihi (fuit certissima) non erat ignota: *καὶ γὰρ τὰ τῶν φίλων κοινά, ὡς αὐτὸς ἔσης.* Secundo loco gaudebas quod tui memor essem (quodque non utinam ita rem tuam) quodque apud regem hunc meum (rem tuam) res tuas diligenter saepae ac multum curavissem. Quod desiderium si minus adhuc tibi explere ac

---

156 La proposizione *et quae cernendo - recognosces* forma anacoluto; si aspetterebbe *recognitum*. Essa si trova solo nel cod. Canon.

perficere potuerim, tamen quantum in me fuit, quantum ingenio industria (fide) occasioneque valui nihil praetermissum est quo minus tibi satisfecerim (*καὶ ὅπεσπέχετο δὲ σπότης πάντα διατελέσαι*  
 15 *ώς τάχιστα*) ac puto propediem ita ut optamus eventurum : (*καὶ γὰρ*  
*ἔλ* *ἐλεύσεται γὰρ* (*ώς ως*) *ἐς ὑμᾶς οὗτος*, *ώς ἐγώ φημι.* *ἄλλὰ τοῦτο*  
*γε* (*κεν μηδενὶ λέξης*) *κεῦθε νόῳ*, *ώς ἔφη "Ομηρος.* Tui autem, ut  
 19. <sup>n 1363; XXIII</sup>  
 homericus ille Achilles de Patroclo inquit, memor ero *καὶ εἰν*  
*'Αίδο δόμοισι.* (Tu quoque ita fac Guarine doctissimorum homi-  
 20 num humanissime « qui revehis Latio dorica vela mari »).

(Tibi) Laudes (autem) vero tuae, quibus adeo accumulate  
 me donas etsi non omnino, ut venia tua dixerim, verae sunt, ta-  
 men mihi fuere non ingratae ; (tanti) talis enim viri laus, qualis  
 ipse es, (vir) hominem vel segnem ut excitet atque moveat ne-  
 25 cesse est: *καὶ γὰρ ἀθλον ἀρετῆς γη τιμή.*

Tὴν κατὰ τοῦ χοίρου ἀπολογίαν σοι πέμπω.

<Rimini 1455>.

## 892.

(Parig. 14394 f. 133, già di S. Vittore; Riccard. 759 f. 284<sup>v</sup>; Ottob. 2251  
 f. 218<sup>v</sup>: pubblicata dal Mai *Spicileg. Rom.* X 353 e da Shepherd-Tonelli *Vita di Poggio Bracciolini*, App. LXXXI).

Guarinus Veronensis sapientissimo viro d. Poggio Florentino  
 sal. pl. d.

Pungor interdum, me stimulante conscientia, quasi negligen-  
 tiae ac socordiae reus, quod tam diurno erga te silentio teneor  
 5 et, quasi amore sopito, relanguescere litteras sinam, quas tibi fre-  
 quentes uti primitias templo cuidam offerre deberem, in quo re-  
 nascentis et pristini saeculi floret ac viget eloquentia virtutisque  
 thesaurus et nostrorum pridem aequaevorum memoria veluti sanc-  
 tae quedam manent reliquiae. Itaque inpraesentiarum experrectus  
 10 has ad te vigilantes dedi litteras testes in te recordationis meae

891, 20 Questo verso di Basinio è nei *Iuvenilia* IV 28.

892, 4 vel secordie codd. | 5 relanguere Ott. | 7 eloq - om. Par. |  
 8 pridem: non capisco. Si può tentare: nostrorum quidem aequaevo-  
 rum ac avorum memoriae.

ut cognitum faciam, licet manus dormiat, non dormire tamen meam in te caritatem ac benivolentiam. Eas cum non minus tibi in accipiendo quam mihi in dando gratas fore sperem et compertum habeam pro tua in me dilectione et amore verissimo atque veterrimo, non verebor huius facti mercedem abs te postulare, 15 quae danti pariter et accipienti iocunda et honorifica fiat. Quae-nam ea sit paucis accipe.

Quanta debeam Manuela Chrysolorae sapientissimo philosopho et divino huius aetatis homini, suavissimo praeceptor meo, ipse mihi sum testis; cui et praesens saeculum et veniens obnoxium 20 vehementer est pro suo in disseminandis ad nostrates homines litteris beneficio, quae certe vel languebant vel expirabant, nisi Manuelis sicut Aesculapii alterius opera ad salubritatem vitamque revocatae fuissent. Huius gratia meriti cum Manuela triumphales columnas et aureas statuas deberet Italia itaque meruisset, non 25 parva etiam persolvere munera vel immemoris vel ingratifi videatur esse. Itaque si qua via praestetur nominis perpetuitatem et glo- riae immortalitatem homini servare, tuo et querundam doctorum hominum auxilio tento et aggredior et statuas si non aureas, at litterarias illi erigo. Eas ob res quia fama est, illius immortalita- 30 tate digni hominis te laudationem olim scripsisse, quem mirifice coluisti et observasti, ad te confugio ut eius mihi copiam facias et si quam ab alio conscriptam habes. Nam collegi quasdam unum in corpus epistulas, quibus quantum datur posteritati vir ipse commendetur, ut si corpus obiit, ipse tamen gratorum hominum 35 officio vivat legatur ametur observetur et per amicorum scripta

Verg. *Geo.* II  
235. « durando saecula vincat ». Vale decus meum.

E Ferraria XXVI maii 1455.

### 893.

(Ottob. 2251 f. 219; Parig. 14394 f. 134, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist.* III 178 e dal Mai *Spicil. Rom.* X 354).

Poggius p. s. d. Guarino Veronensi v. cl.

Merito accusas, mi Guarine, taciturnitatem nostram, qui tan-

---

21 homines om. Ricc. | 37 vincat om. Ottob.

quam infantes ita raro inter nos litteris colloquamur.... Quod si cuius in mentem venit, tu primus es, cuius memoria versatur  
 5 in animo, ad quem sepissime etiam inter legendum mentem revoce, considerans ex tot egregiis doctrina et eloquentia viris, qui in illa nostra antiqua academia versabantur, te solum superesse nobis, quocum tanquam altero me, hoc est cum amico, loqui possim..... Cognovi enim ex tuis litteris te Strabonem facere latinum: quem an absolveris, ignoro.... Quod scribis audisse te, me laudationem clarissimi quandam viri doctissimique Manuelis Chrysolore nostri scripsisse, vellem id verum esset... Laudassem illum cum defunctus esset Constantie; ego autem otiosus essem, si licuisset per Cincium romanum eiusdem discipulum, qui  
 15 eius laudandi munus sibi desumpsit... Sed et ipse nihil edidit et mihi scribendi sustulit facultatem. Libentius profecto Manuelis quam cardinalis florentini laudandi tune officium sumpsisset... Hoc idem in morte clarissimi viri Antonii Lusci contigit, cuius laudationem cum me scripturum professus essem, et iam scribere  
 20 ceperam, Cincius quoque se id omnino destinasse dixit... At et ipse tacuit... Quod Manuelis epistulas in volumen coegeris, recte fecisti.....

<Firenze giugno 1455>.

## 894.

(Ottob. 2251 f 226v; Parig. 14394 f. 145, già di S. Vittore; pubblicata dal Mai *Spicil. Rom.* X 358 e da Shepherd-Tonelli *Vita di Poggio Bracciolini*, App. LXXXIII).

Guarinus Veronensis cl. v. Poggio secretario <apostolico>  
 sal. pl. d.

« Quas tibi quas referam tali pro munere grates? » quod-  
 nam autem illud munus laude fama decore plenum! Nam cum  
 5 tantopere me Poggius diligit amet, carum et intimum habeat, ut  
 nulla temporis intercapedo nullumque locorum <spatium> sua

Verg. Ecl. VI  
 81.

---

894, 6 spatium om. in lac. codd. (forse c'era una parola greca έπιστημα).

me a benivolentia separet paulumque remittat idque suis testetur epistulis, quantum immortalitatis nomen ac posteritatis memoriam videor comparasse! Non tacebunt praesentes resonantiusque posteri celerabunt, Guarinum tanti a Poggio fieri solitum, ut ab 10 eo primarius inter amicos et quidem intimos censeretur: a Poggio inquam, qui praeclaro ingenio, doctrina singulari, virtute plurima, sapientia celebri, eloquentia nobili praeditus hanc ornavit aetatem. Soletis autem vos viri insignes nonnisi probatos diligere quos ametis: sic tuo ipse splendore fulgebo. Nonne Sulpicios, 15 Curiones, Trebatios innumerabilesque alios Ciceronis scriptis et familiaritate celebramus? Ita fac mi Poggi, perge et meos adopta, complectere, tuos habe, ut filii qui <φύσει> mei sunt, tui humanitate ac <ρήλιξ> quoque fiant. Sic \*\*\*\*\*. Vide quantam de te in meos fiduciam accepi et sponte indui. 20

Est mihi filius inter mares natu minor, Baptista nomine, egregiis moribus, ingenio peracuto, litteris bonis tam latinis quam graecis non alienus. Is nuper ad lectionem horum studiorum publice Bononiam vocatus et profectus, sic a me digressus est, ut si quoius libri indiguerit ope, cuius te compotem esse intelligat, 25 tuo in me amore interprete a tua liberalitate petere ne reformidet, quasi et tu illi pater sis. Quod consilium non male a me praeoccupatum praeconceptumque fuisse testaris ipse, qui tuis litteris tam benignis tam liberalibus tam denique paternis me ac filium meum artium et medicinae professorem invitas ultro, ut librum 30 Aristotelis a te emptum <περὶ Προβλημάτων> suos ad usus capiat. Id erit ei commodum et fructuosum, si volumen ipsum mittere volueris, quod me seque tibi perpetuo devinctum reddet, ita ut tantis pro meritis «nullas referre posse grates opis nostrae sit», nisi ut tibi mentem dedamus nostram, qui, ut scribis, filios 35 meos uti tuos benivolentia complecteris; invicem nos te colimus observamus et in dies aionem nostrum vincimus. Vale decus meum.

Verg. Aen. I  
600.

E Ferraria kalendis novembribus <1455>.

---

7 paulum *Par.* | 14 diligere *codd.* | 18-19 ut filios \*\* qui mei sunt tua humanitate ac \*\* quoque fiant. Sic \*\*\* Vide *Paris.*, ut filios qui \*\* mei sunt tua humanitate ac \*\* quoque fiant. Sic \*\*\* Vide *Ott.* | 20 fiduciam in meos *Par.* | 25 Si quibus aut libris aut indiguerit *codd.* | 32 ei] et *Par.*

## 895.

(Ottob. 2251 f. 227; Parig. 14394 f. 146, già di S. Vittore; pubblicata dal Mai *Spicil. Rom.* X 359 e dal Tonelli in Poggii *Epist. III* 201).

Poggius Guarino Veronensi s. p. d.

Egerrimis quidem pedibus, mi Guarine, veñerunt ad me littere tue; nam cum dies kalendarum novembrium in eis adscripta esset, idibus decembris mihi reddite fuerunt... Sed quo tardius 5 epistula venit, eo iocundior eius lectio visa est, que plurimum versatur in laudibus meis....

Librum Problematum Aristotelis, de quo antea scripsi, mittam ad te, cum primum nactus ero idoneum portitorem. Eo velim utaris arbitrio tuo vel transferendo vel scribendo vel dono accipiendo, quod erit mihi gratissimum. Unum volo: scribas Baptiste filio, id a me tanquam altero parente petat. Spem eius et expectationem tuam ipso officio superabo...

<Firenze dicembre 1455>.

## 896.

(Ferrar. 151 NA 5 f. 36; Class. 121 f. 82<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis <\*\*\*\*>.

R.<sup>me</sup> in Christo pater et domine singularis mi.

Titum Vespasiani filium, cum se creatum Caesarem accepisset, ideo sese gaudere et gratulari dixisse intelligo, quod et amici et rei publicae, quibus natus erat, consulendi praestita sibi facultas esset. Adeo nanque munifica illi ab natura et virtute voluntas tributa erat, ut cum aliquo die nemini beneficium contulisse contigisset, conquestus ad amicos sit sese proinde diem amisisse. Huius incliti viri cum aemulum te pro innata tibi de

Suet. *Tit.* 8, 4.

---

896, 1 Guarinus Veronensis. Eidem *Class.*, *om.* *Ferr.* | 7 nemini] nullum *ex corr.* *Class.* | 8 sic *codd.*

amicis benemerendi cupiditate cognoscam, non reformidabo tuam 10  
ad opem confugere, ut filio modo iam clericatui destinato et in-  
stituto consulas et afflito feras auxilium. Arbitror enim, tui non  
ignarus ingenii, fructum illum vel maximum colligere te ob su-  
blimorem dignitatis gradum tuae sapientiae attributum, ut bonis  
et amicis benefacias et ad virtutem cum incites tum enutrias. 15  
Nam amplissima illa tibi laus fuerit, cum fortuna ipsa fecerit ut  
possis, virtus vocet ut velis, beneficia conferre quamplurimis. Cum  
enim alii fortasse altiori dignitati tuae ob eam causam gratulati  
sint quod ampliores quoque nactus ipse sis provestus, ego tibi  
olim gratulatus sum quod multos conciliare mortales posses, quae 20  
verior omni auro ac gemmis et pretiosa supellectile possessio est:  
illa enim fortunae bona, haec virtutis sunt. illa surripi possunt.  
haec nulla vis nullae fraudes nullae auferent insidiae.

E me igitur me ac filium ac tuo nos iuri vendica. Quid au-  
tem sit quod abs tua impetrare benignitate optem. vir eximius 25  
ac prudentissimus Aurispa meus coram explicabit et apertius  
explanabit, qui filii pater ac patronus est. Idem de filii indole ac  
moribus renuntiabit, cui tuum favorem ac patrocinium praebeas  
tuam dominationem oro, cui nos etiam atque etiam commendo.

Ex Ferraria <fine del 1455>. 30

## 897.

(Class. 121 f. 82 ; Ferrar. 151 NA 5 f. 35v ).

Guarinus Veronensis <\*\*\*\*>.

Reverendissime in Christo pater et domine mi singularissime.

Hoc mirum et admirabile commodum natura parens fecit, ut  
ad amentem et beneficiendum proni mortales essent, cum aliis de  
cansis tum vero ut quod per se minus possent, id efficerent per 5

---

11 modo] Manuela? | 13 colligere te] colligente *codd.* | 20 possis  
Class. | 30 Ex Ferraria etc. *codd.*

897, 4 Guar - Ver - om. *Ferr.*; Episcopo Regino aut Mutinensi ut  
opinor Class. *in marg.*

alium : ita qui imbecilli sint, potentes essent, et qui inopes forent, locupletes haberentur. Quocirca dandi et accipiendi commercium sic ab ea institutum est, ut homines inter se mutuis devinciantur officiis. Id mihi inpraesentiarum obvenit, R.<sup>me</sup> pater ;  
 10 nam cum pro filio opem implorarem et consilium ab illustri Comite Francisco, qui non minus in pace benignus quam in armis fortissimus est imperator, is, cui pro sua divina benignitate carissimus sum, meas inanes et vacuas esse preces passus non est.  
 Ad tuam igitur dominationem rem meam suarum ductu et au-  
 15 spicio litterarum quasi tranquillum in portum remittit ; ut non solum pro se verum etiam pro amicis et servitoribus eius, ex quibus unus ipse non infimus sane sum, ad tuam R.<sup>am</sup> P<aternitatem> refugium habeam. Eius igitur consilio fretus et auxilio tuae dominationis beneficentiam imploro ; quod eo facio libentius  
 20 et audacius, quia Dominus noster Iesus Christus edixit : « pul-  
 sate et aperietur vobis ». Luc. 11, 9.

Res mea quae sit <non scribo>, quia planius explicabitur oratione. Vir sapiens et eruditissimus d. Iohannes Aurispa coram explicabit, cui amicissimo cum opem tuam attuleris, ut spes certa  
 25 me fovet, me ac « natos natorum et qui nasceuntur ab illis » in perpetuum obligabis et servos tuae paternitati vendicabis, cui me humiliter intimeque recommendo.

<Ferrara fine del 1455>.

## 898.

(Est. IV F 24 f. 3; pubblicato da G. Bertoni e E. P. Vicini *Poeti Modenesi*, Modena 1906, 17).

Guaspar Tribrachus Mutinensis ad Guarinum Veronensem.

Hoc Guarine alias, alias hoc sensimus omnes :  
 Solus es in Latio gloria prima solo ;  
 Solus is es per quem Latie facundia lingue  
 Graiaque conspicuis nota Minerva modis.

22-23 planius explicabitur (*in marg. dex.*) sapiens et eruditissimus oratione vir (*in marg. sin.*) Iohannes Ferr.

5

Quid veteres ullos, qui te novere, loquuntur  
 Quidve alios etas comprobat ista viros ?  
 Te canat hec unum, moto livore, Guarinum,  
 Cui non ingenio fata dedere parem.  
 Iam tibi, que raris contingere visa, supremum  
     Ante rogum in vita gloria summa venit.     10  
 Iam tibi certus honor mundi quascunque per oras  
     Evolat et summa verberat astra coma ;  
 Concinit Hesperius tua nomina, cantat Eous,  
     Cantat et in medio qui colit arva die.  
 Quanta futura putas meritarum semina laudum,     15  
     Condiderit cineres cum levis urna tuos,  
 Cum divina operum patefient scripta tuorum  
     Et mirata diu postera turba leget,  
 Cum divina tui relegentur dicta Strabonis,  
     O maiorem ipso quem canis orbe virum !     20  
 Nostra Guarineos sapient si pectora succos,  
     Semper erunt laudi pectora nostra tue.

<1455 c.>

### 899:

(Autografa nell' Archivio di Stato di Modena; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 224).

Ill. d. et Excellentissime domine.

La benigna vostra S. sempre me da tali segni che io debia  
 da quella ben sperare. E pero fazo come el fiolo cum la sua  
 piatosa madre: la quale se sera una porta a quello e lui ritorna  
 ale sue braze per l'altra. Constantin di Lardi per parte de la 5  
 vostra S. me ha referido come la mia humile e bisognosa do-  
 manda e stada esaudita da la vostra pieta: e che presto sero da  
 quella sovenudo. Io ne prendo bon segno perche da Constantin  
 me sia referido: perche constantemente sera la mia speranza

898, 22 laudi tue = tibi laudi.

10 fata. E pero io in le spexe de queste mie nuore occorrente de  
presente non staro de torre a credenza, havendo recorso a la  
constantia de la vostra humana e liberale promessa. E cossi sup-  
plico ala vostra S. ala quale devotamente me recomando.

Fer.<sup>e</sup> XII ian. 1456.

15 D. vestre

servitor Guarinus  
Ill.<sup>mo</sup> Mutine ac Regii  
duci Rodigii Comiti et  
March. Esten. domino meo benignissimo.

### 900.

(Parig. 14394 f. 155<sup>v</sup>, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggi Epist. III 223 e dal Mai Spicileg. Rom. X 360).

Poggius p. s. d. Guarino Veronensi v. cl.

Tum multis ex rebus, mi Guarine, iudico te esse felicem,  
tum vero maxime quod filios habes paterne virtutis imitatores,  
quod tum dono dei contigit, tum vero domestica institutione,  
5 tum etiam moribus urbis in qua adolescentia procul a vitiis eruditur... In nostra autem hac civitate, in tam corruptis moribus,  
in tanta peccandi licentia, in tam depravata iuventute difficillimum  
est adolescentiam enutrire, ita ut non prolabatur sepius  
consuetudinis culpa... Habeo filium boni ingenii applicavique  
10 enim nostris studiis humanitatis; quartum decimum annum ingressus est... Decrevi, si id a te impetravero, ut tecum sit  
biennio cum ceteris qui tibi domi adsunt, ut te et discipline  
et morum utatur preceptore.....

Florentie X kal. iunias <1456>.

## 901.

(Ottob. 2251 f. 233v; Parig. 14394 f. 156, già di S. Vittore; pubblicata dal Mai *Spicil. Rom.* X 361 e da Shepherd-Tonelli *Vita di Poggio Bracciol.*, App. LXXXV).

Guarinus Veronensis sal. pl. d. d. Poggio v. cl.

Verg. *Aen.* IV  
100.

« Habeo tota quod mente petebam »; nam cum omnibus votis semper optarim tuae morem gerere voluntati et aliquod offerri nobis officium quo intelligeret orbis terrarum nobis « idem velle idemque nolle » vigere, ecce rem tantopere concupitam, non modo rem tuam sed etiam meam. Nam cum ea sis doctrina praeditus et polleas sapientia, ut iampridem per cunctorum ora volites et nominis tui celebritate nostram hanc illustres aetatem, quis non magni me faciet et me usque in astra tollet, qui Guarinum cernat sic tuo placuisse iudicio, ut ei filium et quidem carissimum moribus et disciplina vel imbuendum vel limandum vel ornandum commendaris? Quo ex facto Alexandri magni venit in mentem, qui de multis aetate sua praeclaris artificibus Apellem ac Lysippum ita delegit, quorum « alter ipsum pingeret, alter fingeret », ut ceteris valediceret. Id quidem regale iudicium ad utrumque gloria nominis decorandum ita valuit, ut tam illustre facinus posteritati commendatum usque permaneat. Ea in re proverbium ipsum sequi voluisti τὰ τῶν φίλων εἶναι κοινά, ut cum filius creatione tuus sit, cura quoque et ornamento noster fiat; idque eo prudentius constituisti quod eum educationis liberorum non ignaro homini tradere constituisti. Meam demum ne responsionem quasi novam expectes opus est, cum iam ipse pro iure in me tuo vaticineris quid responsurus sim, ut non modo meos libens in amplexus filium accipiam, verum etiam immortales tibi grates habeam, qui tanto me locupletas et ornas munere tantaque accumules laetitia tamque hilarem festumque diem afferas, quem tanquam natalem celebraturus sum. Accedat igitur « bonis ut

---

901, 9 tollet usque in astra *Par.* | 14 depingeret *Ottob.* | 15 fingeret] imaginaret *Ott.*, maginaret *Par.* (forse nell'originale erano i due verbi greci) | 18 τὰ - κοινά om. *Par.* | 20 quia *Par.* | 25 gratias *Par.* | 27 accedit *Ott.*

aiunt avibus >; tuum erit quod ad tempus expectem significare, ita praemonitum ut pro delicatis domesticis epulis inconditas et semicoc-  
30 tas discat mordere fabas. Vale meque ac filios meos, iam tuos, ama.

E Ferraria VI iunii 1456.

### 902.

(Ottob. 2251 f. 234; Parig. 14394 f. 156<sup>v</sup>, già di S. Vittore; pubblicata dal Mai *Spicil. Rom.* X 362 e dal Tonelli in Poggii *Epist.* III 225).

Poggius s. p. d. Guarino Veronensi v. cl.

Non dubitabam, mi Guarine, quin mihi de filio quod nostra postulat amicitia et tua requirit humanitas esses responsurus... Itaque me maximo abs te beneficio affectum puto, qui ita liberaliter, ita summo cum verborum honore, quod optabam ultro mihi detulisti.... Expectabo igitur... quoad mihi rescribas quo tempore tibi videatur esse venturus..., estate an ineunte autumno. Audivi enim suspicionem quandam ex Venetiis ortam...

Vale et me ut facis ama, ... quoniam tu solus nobis superstes es ex antiqua doctissimorum hominum schola.

Florentie die XVIII iunii <1456>.

### 903.

(Parig. 14394 f. 186<sup>v</sup>, già di S. Vittore; pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist.* III 288).

Poggius p. s. d. Guarino Veronensi.

Mi Guarine, mitto ad vos filium meum Baptistam canonicum Florentinum, ut det operam studiis philosophie. Iussi ut in primis tanquam parentem alterum te visitaret... Decreveram antea tertium filium, ut ad te scripseram, erudiendum mittere; sed cum primogenitus, in quo mea successionis spes erat, se dicasset deo, mutavi consilium decrevique ut ille in primis, quod Florentie necessarium est, det operam mercature...

Florentie <1456>.

28 omnibus (= omnibus?) Par. | 29 ac Par. | 31 1456 om. Ott.

## 904.

(Barber. lat. 42 f. 342; Parig. 11138 f. 124<sup>v</sup>; pubblicata da me *La scuola e gli studi di Guarino* 221).

Guarinus suo in Christo fratri Cypriano canonico regulari  
sal. pl. d.

Bene ac prudenter parentes mei Guarino mihi nomen indiderunt, ut id non modo vocabulum mihi proprium, verum etiam stirpis referrem et hereditarium patrum suorum monumentum, 5 quasi germen aliquod, repullularem, veteres illos imitati quorum vita et auctoritas perinde ac lex quaedam valuit in posteros. Illi enim in filios nepotesve avorum nomina renovabant, ut sicuti caduci iam trunci surculum nova insitione nutrientes attollerent et immortalem uti propaginem latius radicarent, praesertim si quis 10 probitatis ac artis splendor in maioribus illis eluxerit, ad quarum aemulationem minores vel invitati vel impulsi sese conformarent instruerentque. Sic Aemilios sic Catones sic Scipiones sic Attilios Octavios Cicerones Constantinos appellatos esse novimus.

Huius consilii cum mea mea mater olim commonefaceret, 15  
femina sane primaria et inter maritas prius et postea viduas noble pudicitiae et castitatis exemplum ac dei valde amans et reverens, laetari vehementer solebam et, ut primum intellexi et per aetatem sapere coepi, nonnulla gloria tangi, quoniam et avorum et gentis nomen decus laudesque sustinerem. Sic enim ea- 20  
dem mater dum ad probitatem et illorum vestigia sectanda me vehementer animaret, saepius ac multum repetebat. Relictus enim eram « teneris ab unguiculis » orphanus, defuncto iam patre, cuius imaginem veluti per somni nebulam vix mente revolvens memini. Is autem ex eo praelio, quod inter duos regulos Patavinum et 25 Veronensem commissum est, pro patria pugnans captivus primo fuit, inde apud hostes, ut deinde edidici, vitam obierat, re Ve-

---

904, 1 Guarini Veronensis epistola ad Cyprianum Bononiensem de vita S. Guarini nuper inventa add. Paris. | 6 aliquid codd. | 27 vitam: per distrazione invece di mortem?

ronensium infeliciter gesta ob ducis insecitiam et imperitiam qui praelia nusquam nisi picta <viderat> aut scripta legerat.

30 His igitur de causis non a patre sed a matre commonitus, ut dixi, et hoc nomine tanquam familiari ornatus indumento hactenus gaudebam delectabarque permaxime. Postea vero quam sanctus dei praeco et doctissimus christianaee religionis orator Timotheus, conterraneus meus, cura et studio repperit de beato Guarino libellum, in quo ipsius viri sanctissimi vitam sanctimoniam pietatem benignitatem sobrietatem pudicitiam elimosynas abstinentiam innumerasperque virtutes agnovi, vehementer exultandum, immo magis ac magis gloriandum mihi esse putavi talis et tanti hominis appellationem sortitum esse, quae mirifico praesuli mecum communis esset, quem ad sublimem dignitatis gradum vivendi severitas, doctrina et integritas evexisset et miraculorum multitudo et magnitudo illustrasset. Themistoclem gloriari consuetum accipimus quod Atheniensis vocaretur; quanto magis mihi gloriandum est quod ipsius Guarini cognominem me esse contigit. Nam <in> 45 Atheniensi civitate permultos improbos et flagitosos fuisse constat, cuius nominis communione Themistocles delectabatur; nam ut eruditissimus philosophus et honoratus praeceptor meus Manuel Chrysoloras dictitabat, optimum et mel et aconitum Athenis oritur. Huius autem viri sanctitas et merita sui nominis participes nobilitare et exornare debet, quemadmodum antra quaedam et opaca nemora solis radiis illucescunt.

Laudanda profecto religiosi et sapientissimi viri Timothei liberalitas, qui hunc repertum thesaurum non defoderit sed in lucem et in christianorum conspectum eduxerit: « nec sub medio 55 sed super candelabro » ad Christi gloriam collocavit, ut coram hominibus suarum virtutum nitorem diffunderet, qui cum sit gloria Bononiae tuae civitate et antiqua prosapia numerosaque cognitorum frequentia illustris, fuit, ut de ipso scriptum est, « inter fratres subditus per humilitatem, minister per obsequium, 60 doctor verbo, magister exemplo ». « Is in terris positus caelestem ducebat vitam, angelicam potius quam humanam », cui testimonio sunt diversa miraculorum copia: multi ab immundis spiritibus

*Plut. Them. II.  
11, 4; 18, 5.*

*Matth. 5, 13.*

S. Augustini  
*Opusc.*, Parmae  
1591. f. N; N II<sup>r</sup>  
vita s. Guarini.

---

41 eduxisset *codd.* | 48 dictabat *codd.* | 51 solis et *codd.*

liberati, alii de caecitatis tenebris in lucem revocati, nonnulli saxonum molibus obtriti atque defuncti a morte resurgentes, quibus meritis et sancti hominis claritate illustrandus est orbis et is 65 cerebra commemoratione celebrandus, ut qui vivit in caelis, mundo quoque ingi usurpatione resurgens decantetur.

Eius vita disseminanda est, antiquitatis devotione ac diligentia posteritati dimissa et perinde ac pretiosum de Christi servo legatum ad nos usque pietatis gratitudine transmissum. Nec tecum 70 sentio, Cypriane vir doctissime et dei serve optime, ut alio stilo et orationis genere decorata scriptura mutetur, ne ineptis quasi « calamistris inuratur » et mendicatis coloribus offucetur. Quam indignareris si quis tuos sancti coenobii contubernales albicante crepidarum pelle insigniret aut quem purpureo nitore trabeatum 75 efficeret. In tenui quodam victu, simplici atque hirto usus indumento, tenui non tamen sordido veritatis eloquio sed puro historiae sermone contentus est, cuius veritas lucet ipsa per se. Cum autem historiam ἀπὸ τοῦ ἰστορεῖν idest inspectando et cognoscendo dictam esse periti velint, quia recte scribant historiam qui certant, quantum fidei derogetur huius sancti viri commemorationi si nova quasi ficta dicentur et ritu veteri facta omittentur. Ma- 80 vult profecto dei servus Guarinus actionum suarum viribus quam Ter. Ph. III 2, 15. « phaleratis vocabulis » concinne lectores allicere et mentes potius sospitare quam aures lenocinari ac recordationis suae sinceritate 85 quam dictionis amoenitate mulcere.

Denique magno et praestanti Ihesu Christi buccinatori et in humilitate sublimi Timotheo gratias immortales decantemus, qui cum sanctum ipsum Guarinum latitantem seu occultatum, deo inspirante et adspirante, revelarit, tam pretiosi ac sempiterni no- 90 minis atque utinam ominis me participatione donarit; optabo igitur ut cuius appellationem pariter bono assecutus sum omne, suarum quoque virtutum spiritu sancto cooperante me faciat esse consortem.

<Ferrara 1456?>.

95

---

63 liberati, quae (= aquae) in vinum conversae, alii *Barber.* | 91 hominis *codd.*

## 905.

(Vallicell. C 90 f. 13, copiato nel Parig. lat. 12116 f. 84 sec. XVII).

Guarinus Veronensis Honorato in deo idest Timotheo pl. in Christo sal. d.

Timotheum, quem tuum ad me misisti, nostrum tandem ad te remitto idque non sine rubore medius fidius, quoniam cum  
 5 tam accurate « manibus pedibusque », ut dici solet, oraveris, ipse <sup>Ter. And. 1 1,  
134.</sup>  
 tam tarde videar exoratus, qui vel pristino stimulatus amore nostro gradum concitare debuerim. Ceterum dilatio nostra causis non caret honestis, quae non modo apud aequissimum iudicem virumque suavissimum, ut tu <es>, verum etiam apud accusatorem severum et hominem asperiorem veniam vel misericordiam facile valea<n>t invenire. Tot enim me negotia et inexhausti labores volentem interrumpunt conantemque retardant, ut saepe somnus frangendus, saepe cibus omittendus sit et « meus, ut aiunt, defrudandus genius ». Felicem te qui nudus et securus, <sup>Ter. Ph. 1 1,  
10.</sup>  
 15 idest abiectis iam pridem familiae curis saecularibusque depositis sarcinis agnum sequeris et sub Christi vexillo militans tibi praeliaris, tibi palmam quaeritas, tibi triumphas. Quod cum contra nobis obveniat, tarditati parcere debebis et laboribus misereri, quibus effectum est ut volens etiam nequierim hactenus tuae honestissimae cupiditati morem gerere. Dices scio, si tua mihi nota est facilitas: melius est tarde quam nunquam. Ubi hoc nostrum ad te his licentioribus elucubratum diebus munusculum amplex-<us> eris, oro ut in legendō Timotheo Guarini tui memineris et pro me communem Dominum proque meis depreceris. Vale.

25 Ex Ferraria V idus februarias <1455 ?>.

Commentarium in Timothei vitam.

Lycaonia quidem magnum —.

---

905, 12 semper cod. | 14 defrud - ex defraud - corr. cod. | 21 hoc] sic  
 cod | 22 licentioribus : carnevaleschi.

## 906.

(Pubblicata in Matth. Bossi *Recuperat. Fesul.*, Bonon. 1493, f. A VII<sup>v</sup> e  
M. Bossus *Opera varia*, Bonon. 1627, 192).

<Matthaeus Bossus Guarino Veronensi s. p. d.>

Biennio cum iam exacto Timotheus conterraneus noster vir  
ut religiosus ita praeco ardentissimus Christi et in omni genere  
laudis insignis, pro infatigabili sua in omnes pietate, ut assolet,  
etiam inlyiae huic civitati Bononiae una quadragesima prophete- 5  
tasset egissetque ex pulpito quo publico decreto petulantior mu-  
lierum cultus et inundans vestimentorum luxuries comprimeretur:  
exortus est ea tempestate Evangeliomastix quidam, qui si non  
honesta, attamen eleganti satis oratione quadam apud Besario-  
nem cardinalem Tusculanum apostolicumque legatum foeminis 10  
cultum restitui debere ausus sit disputare quantaque potuit vi  
persuadere. Tum quidem Timotheus in Hetruria profectus abe-  
rat qui refelleret et hominis deliramenta purgaret. Et huiusmodi  
in ore omnium et in manibus versabatur oratio; multi supplau-  
debat iisque maxime quibus sunt blandiores illecebrae quam 15  
praecepta iusticiae; alii vero, quorum anctoritas plurimum apud  
me valet, dolebant mecum ornamentorum licentiam iniuria, con-  
tinentiae pudiciciaeque discriminine, litteris illustratam. Ab me con-  
tra, horum rogatu, una oratione suscepta est causa atque defensa,  
ita ut per omne id temporis quo Besarion praefuit urbi, lex 20  
atque decretum manserit invictum. Nuperrime vero, Guarine, ad  
magnificum Santem Bentivolum auratum equitem primunque in  
republica virum epistola quaedam emersit tua, quae nova nobis  
inferat bella, immo honestati, tuo Timotheo sanctoque pulpito  
calumnias ineutiat.... In dei praecones incipis invehi..... Ais 25  
enim: « Dura mihi sane provincia, praesertim contra eos  
suscipienda, qui vitae severitate et censorio quodam  
supercilie nituntur et quasi Catones saevi magis quam  
severi humano generi viam verbo potius quam re diffi-

---

906, 1 Ad Guarinum Veronensem *text.* | 14-15 multis applaudebat  
iisque *text.*

30 cilem struere conantur »... Addis continuo: « Haec sunt  
 quae contra feminas verbo potius quam vero disserant,  
 ne vestimentis adornentur, ne argento potiantur et au-  
 ro ».... Ubi vero insurgis magno supercilie et disputas eundem  
 vestimentorum modum feminis minime deberi, gratis superflueque  
 35 contendis.... Quaepiam pariter attigisti nulli neganda, quin ulti-  
 etiam danda: « licere mulieribus se ornare, se comere,  
 se expolire, crinibus gemmas intexere, manicas acu-  
 pictas, trementi auri argentique squama, vario et colore  
 insignitas gestare, longas trahere tunicas, ornare ca-  
 40 pita sertis ac mitris auro gemmisque micantibus, ap-  
 pendere pectori pretiosa monilia ».... Neque ullo vel mo-  
 do assentior tibi, Guarine, cum dicis « culpam non esse si  
 humanis oculis placere cupiat femina, quando reliquum  
 omne mortalium genus magna aggreditur, litteris, mi-  
 45 litiae, artibus insudat ut placeat, ut laudem et popula-  
 rem gratiam sibi conquerat ».... Sed neque mos patrius,  
 quem inducis, suffragari in hoc satis tibi posse, mihi videtur...  
 An modo et florentissima adeo Venetorum respublica non decretis  
 legibusque sanctissimis aurum et vestimentorum usum gravi cen-  
 50 sura finivit? an hoc non aliae complures civitates bene compo-  
 sitae effecere?..... Quem (te) non malivole quidem scrip-  
 sissem unquam persuasi mihi, sed obsequentius fortasse, ut ei  
 (Bentivolio) applauderes qui offensus lege condita tuam contra  
 refragationem optaverat atque poposcerat, « cuius tu gratiam  
 55 atque potentiam », ut declarasti tua in epistola, « Manuela  
 filio profuturam arbitrabare, quem illi offers tanto a-  
 more fovendum, quantum suo studio ac desiderio epi-  
 stola arriserit tua ».....

Bononiae kalendis sextilibus MCCCCLVI.

---

45 insudati *text.* | 55 Emanueli *text.*

## 907.

(Pubblicata in Matth. Bossi *Recuperat. Fesul.*, Bonon. 1493, f. B III e M. Bossus *Opera varia*, Bonon. 1627, 196).

<Matthaeus Bossus Guarino Veronensi s. p. d.>.

Scribis te meas accepisse, Guarine hominum decus, et « eas ut fideles et amicas, ita gratas atque amabiles, verum superfluas », quia contra Timotheum nihil sensisti unquam nec invectus in eum fuisti, qui « videri tibi verissime soleat, 5 ut speciosi nominis etymologia testatur, vir plane divinus et sanctus, in quo deum obstupescas et colas, cuius sicut pretiosa Christi toga formosum corpus adornat, sic egregium animum vitae norma, sanctitas atque doctrina ». Et post multa concludens epistolam « Vale, inquis, 10 et siquid in linguis controversiarum concepisti, pace animorum instaura et pro me ac meis communem deum ac Creatorem ora »..... Sacer et venerabilis tuus Emanuel ipse testetur, quicum de te saepe dulcissimus est mihi sermo et qui ambas nostras vidit epistolas et meam a se probatam ad te 15 transmisit optimus filius, cui et palam fuit quid multi de epistola sentirent tua et quanta in fabula ierit et Timotheus et lex Timotheia et quae pro sententia vel voto quisque verba iactaret....

Bononiae nonis novembribus MCCCCLVI.

## 908.

(Bodleian 587 f. 165v ; pubblicata da I. E. Spingarn in *Journal of comparative Literatur* I, 1903, 61).

Guarino Veronensi preceptorи optimо Iohannes Anglicus  
s. p. d.

Nihil unquam, vir clarissime, tam ad scribendum tibi animum induxit meum quam illa tua in M<arcum> T<ullium> he-

---

907, 1 Ad eundem Guarinum *text.*

908, 4 M. c. *cod.*

5 sterna lectio. Videre enim videor parum conferre posse bonas audire precepiones, si non easdem ad exercitacionis diligenciam accomodare velimus. Omnis quippe claros viros, omnis inquam memoratu dignissimos sic fecisse accepimus, quorum quidem facta, ut ipse frequenter et mea plane sententia rectissime admones, doctrine loco nobis esse deberent. Ego vero ad quem pocius alium quam ad te litteras darem ignoro, maxime cum tue duntaxat fame gloria me per tot incognitas undas, tantaque viarum discrimina ex alio, ut ita loquar, orbe Italiam petere allexit persuasit. Quantus es in ore omnium qui Anglie fines colunt prolatu  
 10 opus non est, ne id magis assentandi causa quam quod te carum habeam dicere viderer. Liberalis hominis officium puto non modo non esse assentatorem, verum ne apparere quidem; hoc unum tamen affirmare ausim, non tantum laudis tibi tributum esse,  
 15 quin id plane merita exuperarent tua. Quam vellem ego et spero equidem id artis in dicendo aliquando me consecuturum, quo saltem non in postremis virtute ac sapiencia tua dignum aliquid proferre queam. Sed, ut comico placet, « omnium rerum vicissitudo  
 20 est ». Hec ad te nunc scribo, vir gravissime, partim ut amoris erga te mei testimonium haberes, partim vero exercicii causa, ut  
 25 hunc ieenum et rusticum sermonem verbis corrigas ac urbanum reddas. Sapienti vero, a quo me spero abire doctiorem, insciam detegere meam pudebit minime. Vale.

Ter. Eun. II 2,  
45.

<Ferrara novembre-dicembre 1456>.

## 909.

(Cod. Cibrario nell' Archivio di Stato di Milano p. 21; cfr. A. Calderini in *Arch. stor. Lomb.* XLII, 1915, 383).

Frater Ioachinus Castilioneus ordinis predicatorum doctissimo v. Guarino Veronensi sal. pl. d.

Quod tuis litteris hactenus non responderim, id cause fuit quod malebam tibi obtemperare quam scribere. Nam cum insti-

---

16 videntur cod. | 19 exuperarunt cod. | 21 salutem cod.

tuissem ad te litteras dare rerum magis quam verborum plenas 5  
 et quibus facile intelligeres quonam pacto desiderio tuo facere  
 satis possem, silendum potius duxi quam ea scribere que animum  
 tuum anxietate afficerent, quibus lectis super eo quod scire avi-  
 dius querebas incertior extitisses. Ut igitur ea ex meis litteris  
 acciperes, que magni tua interesse putabam, exploranda fuit pri- 10  
 mum illustrissimi ducis Mediolani voluntas, in qua quidem re  
 non parva mihi prudentia utendum censui ut eum flecterem quo  
 volebam. At ubi eum comperi non magnifacere qua mihi in hoc  
 reditu pergendum esset, decrevi illico has ad te scribere quibus  
 certior esses me tui desiderii perficiendi gratia Ferariam traie- 15  
 turum, ut istic periculum facias quo animo in te sim quantoque  
 « spei tue ancora » (sic enim abs te in litteris appellatus sum)  
 tibi auxilio esse possit. At quoniam vereor ne istuc, pestis causa,  
 Venetiarum civitas exulaverit, scribo ad i<llustrissimum> Mu-  
 tine ducem ut suarum litterarum ope proficiisci Ferariam possim. 20  
 Has igitur tuis alligatas cum i<llustrissimo> d<omino> t<uo>  
 reddideris, erit diligentie tue ut mandatum quod ab eo postulo  
 ad me quam citius perferatur. Sed quia Tervisii sum, quo me a  
 Venetiis pridie kal. iulias pestis metus <a>degit, mitte tuas ac 25  
 principis litteras prestanti viro Iohanni Cesano, cui tua causa in-  
 timus factus sum cuique cure erit eas mihi confessim mittere;  
 quibus receptis ex Tervisio Venetias et inde Ferariam proficiscar.

Hieronymo nostro nomine meo salutes dico et pro respon-  
 sione litterarum suarum hoc solum habeat, quod Venetiis in causa  
 sua surdis et ut verius loquar mortuis fabulam canere visus sum; 30  
 sed cum hec litteris committenda non sint, coram apertius me om-  
 nia relatarum policeor. Ceterum quod magne tibi cure fuit, te  
 i<llustrissimo> Venetiarum duci obnixius comendatum feci mul-  
 taque inter nos cum summa dignitate nominis tui mentio habita  
 est. Vale. 35

<Treviso 1456>.

## 910.

(Archiv. di Stato di Mantova; pubblicata da Luzio e Renier in *Giorn. stor. della letter. ital.* XVI, 1890, 143).

<Lodovico Gonzaga a Guarino>.

Spect<abilis>.

Rispondendo a la parte che la ce scrive de quello gio-vane che l'ha per le mane et che seria aptissimo per insegnar  
 5 littere a nostro figliolo, seressemò contenti che per la p.<sup>ta</sup> Sp. V.  
 piu presto ce ne havesse dato avviso, perche havendo nuy a la  
 cura sua uno giovene asay intelligente, già piu di el ce richie-dete licentia di andare in le parte de Gretia per farsi docto in  
 quella lingua; e così hauta la licentia se partite et nui acio che  
 10 nostro figliolo non perdesse tempo in questo mezo, parendone  
 che'l non havesse bene li fondamenti de gramatica a nostro  
 modo, la qual ce pare sia la principal cosa che debiano haver-  
 li pari suoy et la piu utile et necessaria, gli deputassemò una  
 persona intelligente et experta et molto apta ad imprimeleri essi  
 15 fundamenti, la qual certo ce pareria una vergogna et incarico  
 suo a rimoverla così presto, che come havemo dicto sono molti  
 pochi di che ge la deputassemò, siche se in questo non satisfa-  
 remo a la richiesta vostra ve pregamo ce habiati per excusati,  
 offerendoce ad ogni piacer vostro apparecchiati.

20 Mant<ue> XII ian<uarii> 1457.

## 911.

(Ferrar. 141 NA 5 f. 67; Corviniano dell' Università di Iena; Berl. lat.  
 4.<sup>o</sup> 566 f. 221; Bologn. Universit. 1733 f. 211<sup>v</sup>; stampata nel sec.  
 XV col titolo *Batista Guarinus ad Maffeum Gambararam Brixianum adolescentem generosum discipulum suum de ordine docendi ac studendi* f. 21; poi ristampata Heidelbergae 1489; Argentorati 1514; Parisii XV kal. maii MCCCCCXIII ecc).

Guarinus Baptistae Guarino filio iocundissimo sal.

Quotiens nuntium de te accipio, totiens novo quodam me af-

---

911, 1 Guarino *om. Bo.*

ficiis gaudio: adeo tecum certare videris ut, cum alios aut superare aut aequare studeas, quiescere nescias, nisi melior hodie quam héri fueras a te ipso censearis, praeclaras imitatus arbores 5 quae prioribus novas semper frondes, novellos in dies addunt ramiculos, « donec laetus consurgat in aethera vertex ».

Nuper Agesilaum tuum acceperam studiorum tuorum primitias vel potius delicias et quidem amabiles, qui veluti propago quaedam late serpens te ipsum nomenque nostrum « Hetruseas 10 diffundit in oras ». Nunc autem reveniens a te Leonellus frater amabilis alteras studiorum tuorum ἀπαρχὰς attulit, ingenii tui et eruditionis argumentum sane celebrabile: tenendum in studiis ordinem adulescentibus, perinde ac germinantis incunabula disciplinae. Ipsum autem dum lego relegoque libellum, non minore 15 delectatione afficio quam admiratione ναὶ ἀνάπολιν, adeo iuvenilis fertilitas cum senili maturitate contendit. Contemplari licet ordinem discendorum, varietatem, docentis consilium, legendorum campum, messem denique fructuosumque thesaurum. Reliquum est ut addito limae habore et « extrema, ut dicitur, manu » libellus ipse 20 politus ad unguem e sceda serum in volumen edatur; vaticinor enim illud studiosis adulescentibus ut viaticum fore et ἐγγειρίδιον iocundissimum legendando speculando hauriendo contritum iri. Excribatur igitur et multa confiantur exemplaria, in quibus Bap-  
Cic. Br. 126. tista Guarinus in dies magis ac magis elucescat instar Triptolemi 25  
Ovid. Met. V  
816 vitalia dispergiens semina. Bene vale.

Ἐφίεμαι ναὶ λίαν εὔχομαι αἰσθάνεσθαι σὲ τινα εύρόντα διδάσκαλον περὶ τὰ λογικὰ. ή διαλεκτικὴν ναὶ περὶ τὴν φιλοσοφίαν. οὐπερ γενομένου μαντεύομαι σε ἔτερον Ἰταλίας ἄγθος ἔσεσθαι. πείθου μοι, πείθου παῖ φίλτατε.

<Ferrara 2.<sup>a</sup> metà di febbraio 1459>.

Quam iuvenis sapit iste senem probat ecce libellus.

---

7 surgat Bo. | 12 in marg. primitias add. Ferr. | 16 in marg. et e converso add. Ferr. | 20 extrema igitur manu ut dicitar Bo. | 21 redigatur Bo | 22 in marg. manuale add. Ferr. | 24 permulta Ber. | 26-27 semina. Sed tamen praeter haec omnia Ἐγὼ ἐψίεμαι Bo. | 30 Hoc graecum ita sonat: Aveo et vehementer opto audire inventum esse tibi praeceptorem in logicis seu dialectica et in philosophia. Quod si feceris vaticinor te alterum Italiae florem futurum. Obtempera mi (mihi ed.), obtem-

## 912.

(Tioli XXXVI f. 124; XXII p. 123; Parig. 7867 f. 49; cfr. Verani in *Giorn. de' letter.* XX 295).

Guarinus Veronensis R.<sup>mo</sup> in Christo patri d. Bar<tholomaeo>  
Roverellae archiepiscopo Ravennati sal. pl. d.

Soleo plerunque mecum immortalis dei secreta et procul ab humana cognitione remota ipsius versare iudicia, cuius quam in 5 comprehensibiles viae sint quotidianis docemur exemplis: ubi multa videre licet infausta, quae sicut ab illius maiestate minime commissa creduntur, sic aut permissa aut non sane vetita, quo laus aliqua gloriaque praeter hominum spem ac opinionem elu- cescat. Si enim homines a longissimo temporis spatio repetere vo- 10 luerint, invenient hebraeam gentem et dei populum, sic enim ap- pellant, ab Aegyptiorum immanitate crudeliter habitos, inclemen- ter agitatos, impiis ministeriis vexatos, ut in eis a servitute saeva educendis et in libertatem vendicandis Moysi sapientia illustrior appareret et gloria, simul et dei beneficia clarius dignoscerentur 15 et potentia mirabilius ostenderetur. Subinde Lazarum, licet Christo dilectum et intima caritate devinctum, ut mortem obiret quadruanusque foeteret et pessime oleret permisisse, cum tamen ad Christi gloriam manifestandam eius animam revocaturus esset corpus et vitae pristinae restituturus.

20 Quid antiqua repeço et procul a memoria nostra dimota re- narrō? Ecce huius aetatis et anni facinus dirum et multa perfidia et infidelitate refertum adversus ecclesiae Romanae statum et contra Petri sedem excogitatum, insidiose tractatum et impia mali-

Ioa. II, 39.

---

pera fili carissime *Ferr.*; φιλαράτε. Ego aveo — carissime. Vale Reverentia patris *Bo.* | 32 Monosticon G. V. pro B. Quam-libellus *Bo.*. Quam — libellus. Guarini Veronensis carmen in Baptistae filii de ordine doceendi ac studiū opusculum datum Veronae XV kal. martii MCCCCLVIII *Ferr.* — Le edizioni e il cod. Bolog. alla fine del trattato recano la stessa data: « Veronae XV kal. martii 1459 »; il cod. di Berlino: « E Ferraria XVII aprilis 1459 »; l'edizione Argentor.: « Veronae XV kal. martii MCCCCLXVI ».

912, 12 sceva coll. | 16 quatriduariusque *Tio.*, ac triduans *Par.*

Aen. I 148-53.

gnitate patratum : Viterbum ab hostibus interceptum et quorundam civium conspiratione inimicis ecclesiae proditum. Ingens tumultus exortus est et apud nostros trepidatio non mediocris, ne parva ex hac scintilla maius ac maius incendium excandesceret et latius flamma serperet. Quis dubitaverit id facinus divinitus et « Spiritu sancto cooperante » permissum, ut virtutum tuarum nobilitas et nominis splendor emiteret ? Siquidem ad primum eius rebellionis rumorem et furiosae temeritatis nuntium pontificis maximi et sapientissimorum cardinalium consensu una cunctorum voce ea tuae sapientiae ad oppidum reparandum demandata provincia est et illud recipiendi loci negotium datum. Nec mirum ; cognitam enim habent actionum tuarum excellentiam, in deliberando consilium argeosque oculos, in aggrediendo magnanimitatem, in gerendo strenuitatem ac diligentiam, in navando perseverantiam indefatigatamque permansionem. Testes illis adsunt transalpinae transmarinaeque legationes ad principes populos nationesque susceptae, quibus cum integritatis tum sapientiae laudem et admirationem ingenerasti. Testis est Picena regio in qua prefectus ecclesiae non minorem iustitiae quam moderationis commendationem reportasti maximamque reconciliandorum inimicorum studio, cum capitales inimicitias ad benivolentiam caritatemque converteris. Testis est Perusinus ille populus sapientia et fortitudine praecellens, qui tuis gubernatus habenis tuam in dies aequitatem comitatemque tollit in caelum laudibus. Testes sunt Senae, Hetruria terra nobilissima, cuius seditiosa factio, lingua et auctoritate tua, adeo sedata est, ut sopitis contentionibus civitas mirificam in concordiam pacata consentiat. Qua in re notum effecisti quanti ponderis sit vita dicentis, ut Virgilianum illud plurimi faciam : « Cum magno in populo saepe coorta est seditio, tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem conspexere silent, arrectisque auribus adstant : ille regit dictis animos et pectora mulcet ». 55

Magni profecto est hominis et deo similis tot in magistratis totque in potestatibus ita se gerere, ut gloria quam opibus et auro locupletior revertatur. Hunc omni veneratione dignissimum omni honore spectandum quis non amet, vocantem sequatur,

---

29 operante Par. | 34 illius ? | 40 cum] tum *codd.*

60 imperanti obtemperet ac iussa capessat? Oblata vero tanta et quidem repente rerum praeclare gerendarum occasione, scio multa occurrabant animo quae in diversum mentem tibi trahebant: aestus immensi, labores minime leves, capitis tui discrimina, tuorum caritas, quorum vita saluti tuae annexa est. Verum tu ipse fortis  
 65 praeliator contra, pro animi tui magnitudine et excellentia, humana contemnens omnia, aestu laboribus periculis, tuorum denique caritate posthabitis, ecclesiam unam spectasti, cui iampridem bona cuncta, corpus animam, vitam mortem devovisti. Sicuti probus gubernator conservanda pro navi ventos et procellas irrumpit et  
 70 superat, Dominum Iesum Christum imitatus es, qui pro ecclesia sua, idest pro grege universo, pastor pius, mortem, mortem inquam crucis subire non dubitavit. Rapto igitur exercitu, priusquam copias ad oppidum admoveres, dissipatis adversariis, hostis ipse non fugisse sed evolasse dicitur: « pedibus enim timor addidit  
 75 alas ». Muris enim nondum admota signa terrorem incusserunt hosti, qui prius terga quam tela vertit. An dubitandum est quin deus omnipotens suae propugnator ecclesiae suis infuderit audaciam, adversariis torporem et stuporem, manibus quidem ad pugnandum ignaviam, pedibus autem ad fugiendum celeritatem, di-  
 80 scentibus aliud esse per insidas et perfidiam aliena rapere et cum viris aperto marte dimicare.

Verg. Aen. VII  
24.

Hoc pie ac strenue administratum abs te deo bene iuvante negotium et ante expectatum cum victoria renuntiatum germanos cum C. Caesaris praemature gestis rebus p[re]fert eventus.  
 85 Nam cum ille adversus Pharnacem duxisset exercitum, suspensis de belli exitu civibus hunc scripsit in modum: « veni vidi vici ». Hinc certum ex Domino deo acceperim augurium, qui ut sapientiam tuam excitarit, fortitudinem acuerit, animum corroborarit, hostem sub te profligarit, sic maiorem et immaniorem contra chri-  
 90 stianum nomen coniurantem Tureum hostem ductu et auspicio pontificis Pii fundet fugabit dissipabit; nec pro sua in eius populum misericordia sinet lupum rapacissimum adversus agnum invalescere, qui « manditque trahitque molle pecus ». Nonne quando voluit Dominus deus noster cum paucorum numero im-  
 95 mensas destruxit potentias « et dispersit superbos mente cordis

Plut. Caes. 50;  
Suet. Iul. 37.

Verg. Aen. IX  
340.

Luc. 1, 51.

<sup>Augustin. de civ. V 26.</sup> Quod olim christianissimo Caesari Theodosio divinitus tributum est pro Christi religione dimicanti; nam contra Eugenium et Arbogasten idolatras et christiani nominis inimicos viribus inferior, elato crucis vexillo praelians victor evasit, caesis turpiter ac mirifice aemulorum partibus. Tanta nanque tempestas, horribiles venti terrisonaeque inter dimicandum invaserunt hostem procellae, ut iacta in Theodosianos tela in eorum corpora retorquerent ac referirent. Ea de re Claudianus poeta insignis posterritati testimonium his versibus prodidit: « O nimium dilekte deis tibi militat aether et coniurati veniunt ad classica venti ». 105

<sup>de III cons.  
Hon. 90-98.</sup>

Hac tanta in laetitia felicique victoria tuaene magis amplitudini an mihi gratuler incertus sum, pater. optime. Nam cum ab ineunte aetate in quotidiana studiorum societate semper tuum istud maximi fecerim ingenium, quo ad summum laudis culmen et in virum virtute praestantem evasurum divinarem, tantopere 110 gaudeo sic verax de tua excellentia fieri iudicium meum, ut ea in re me ipsum vehementer amem et mihi ipsi magis ac magis applaudam. Tu vero pater observandissime cum alios et magnos quidem viros hactenus viceris, te porro superare contendis. Eo autem necessitudinis nostrae vincula concenderunt, ut tuis rebus 115

<sup>Cic. de off. I  
22.</sup> perinde ac parentis amantissimi laeter et exultem sit necesse, qui me liberosque meos pietate munificentia et omni humanitatis officio complexus fueris et ita complexus, ut Platonis illud ad beneficentiam exequaris: « non solum nobis nati sumus ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici ». Musae itaque nostrae tuis provocatae virtutibus, litterarii populi convocato concilio, triumphum tibi decernunt legem ferente Mercurio: Cum observandissimas archiepiscopus Ravennas Roverella reliquis antehac in magistratibus et in praesentiarum in expeditione Viturbiensi sapienter integre iuste ac forti- 120 ter ecclesiasticas opes ac dignitatem repararit et auxerit, Minervai potissimum adiutus opera, ne ingrativi deamur neu tantorum recordatio meritorum deleatur, quernam illi gentilem coronam pariter ac virentem lau-

---

98 Arbogastem *Par.* | 118 officio complexus es ut *Tio*. | 127-8 ne-deleatur *om.* *Par.* | 129 *gentilem*: allude alla derivazione del cognome *Roverella da rovere*.

130 ream purpureumque decernimus apicem. Quodque bonum faustum felixque fuat, Pius subinde pontifex maximus patresque cardinales auctores probanto hymnumque dei gloriae canunto; reliquis pro Christi honore animos augento.

135 Interim bene vale pater optime et Guarinum tuum qua soles gratia et caritate commendatum habe.

Ferrariae XV kalendas octobres MCCCCCLVIII.

### 913.

(Tioli XXXVI f. 126v; XXII p. 151; cfr. Verani in *Giorn. de' letter.* XX 296).

.Guarinus Veronensis R.<sup>mo</sup> in Christo patri d. Iohanni episcopo Atrebaten*s* <sal. pl. d.>.

Gratias ago et laudes decanto immortali deo, qui causam attulit et occasionem, unde gratae voluntatis in dominationem 5 tuam significationem edere possim, qui pro innata benignitate in conferendis in filium officiis nunquam defatigaris, cum pro eo non <parum> defatigaris. Tametsi cum particulam quandam tuae beneficentiae persolvere cogito, tunc potissimum tuae paternitatis in me augetur officium; tantus enim exoritur vel hoc uno 10 novo facto cumulus honoris, ut qui beneficium reddere posse rebar, maximum accipere me beneficium intelligam atque profitear. Nam quae mihi fama, quanta praedicatio, qualis denique opinio efflorescet, cum dicetur: « Atrebaten*s* episcopus, qui ingenio qui doctrina et multarum ac magnarum rerum cognitione, qui 15 omnimoda virtute ac sapientia per omnium ora volitat et « in universam terram exivit sonus eius », Guarinum Veronensem delegit et eximum probavit, cui nepotem disciplina erudiendum, moribus et probitate adornandum commendaret. Quanti hunc ipsum Guarinum faciendum arbitramur et longe lateque disseminandum ». Sic Phoenicem Achilli delectum a Peleo. cui dicendi

<sup>Paul. ad Rom.</sup>  
10, 18.

<sup>Hom. II IX 438.</sup>  
<sup>40; Plut. Reg.</sup>  
<sup>apophth., Aug. 7.</sup>

913, 17 eximum] ex <multis> unum?

et faciendi magister esset, sic Athenodorum Octaviano multosque multis obtigisse iudico. Ne autem longius evager « geminas tollens ad sidera palmas » deum meum benedico qui istam tuae paternitati cogitationem induxit, tuum ut nepotem mihi filium, non modo discipulum praebeas, quem sic in meum toto pectore 25 adopto, ut doctiorem probioremque reddam. Sic sub alarum mearum umbra victurus est, ut oculi mei pupillam habiturus sim; atque « audin tu » pater observandissime? sic hominem praemoneto, ne dolo malo dicat se praeter spem inescatum: aliquando Fabium, Ciceronem Boetiumque lingere magis quam legere ne- 30 cesse fore, Lentulumque non unctum, quibus pro condimento laeta frons facetus sermo risusque minime solutus apponentur.

Dicturus <erani> valē pater R.<sup>mō</sup>, sed prius filiū carissimum d. Manuelem tuo patrocinio clientulum do trado atque toto ex pectore commendo et, ut plautino utar verbo, « incordio ». 35

*Cist. 109 (cfr.  
lett. 887, 18),*

E Ferraria III novembris 1459.

## 914.

(Querin. A VII 3 f. 129v).

Reverendissime in Christo pater et domine observandissime.

Cum huius beatissimi pontificis et sane pii instituta mores et actus ante oculos propono, qui in diligendis ecclesiae ministris et praefectis docet calcandam esse pecuniam, virtutem vero ac doctrinam in sublimi locandam, venit in mentem ut cum Virgilio cantem: « iam reddit et Virgo, redeunt Saturnia regna, iam nova progenies caelo demittitur alto ». Eo nanque auctore, acta de terra iustitia viros non pretio sed meritis ponderat, nec quantum possident sed quantum valent severo examinat iudicio. « Aspice venturo laetentur ut omnia saeclo » aspice quot et quantos 10

*Verg. Ecl. IV  
8-7.*

*ib. 52.*

30-31 Allusioni scherzevoli a *faba*, *cicer*, *boletum*, *lens*. | 36 III novembres cod. Sarà da supporre *III kal. novembres*?

914, 1 Ad R.<sup>mō</sup> Anconis episcopum Guarini Veronensis epistola add. cod. | 2 pii: allusione al nome di Pio II | 3 diligendis cod. | 7 dimittitur cod. | acta] orta cod. | 9 possunt cod.

<ad> se vocans uno conventu nuper homines, agnos segregans ab haedis dicere visus est: < venite benedicti patris mei, possidete meum regnum quod labore atque vigiliis comparastis >.

In quorum numero cum te primario sit dignatus honore, fac-  
15 tum istud de te iudicium laudant universi, cuncti favent et bono-  
rum ac eruditorum spem tuo dilatant et confirmant ab exemplo.  
Non patriae Romae, cuius oriundus es, non honesto generi, non  
doctissimo denique parenti Cincio, quae externa non autem pro-  
pria bona vocat, sed ingenio sed bonis artibus quibus excellis  
20 istum dignitatis gradum tribuit ac *yerius* reddidit. Seit nanque  
sapientissimus pontifex, in cuius ore versaris assidue, qua vitae  
integritate qua modestia qua castitate tuos ad hoc tempus tradu-  
xeris annos, puros et sine labe mundissimos, ut suavissime cum  
omnibus convivas, ut omnibus benivole et amantissime concilieris.  
25 Accedit ad splendorem iuris scientia et legum summa notitia,  
quam et cum prudentia et bonitate copulatam habes, ut non mi-  
nus iustitiae et aequitatis quam iuris consultus sis et habearis.  
Legum utilitatem Christi nomini et ministerio consecrasti, id cu-  
rans in primis ut sicut peritus homo ita et vir bonus cognosca-  
30 ris, ut non tibi sed omnibus natus prodesse possis et quod de  
Catone dictum est < in commune bonus >, ut < non tibi sed toti  
genitum te credere mundo > facias. Quibus virtutibus cum alios  
vincas aut aeques hactenus, dehinc campum ingrederis quo te  
ipsum vincere contendas, aliorum salutem animae tuae lucrum  
35 faciens. Cum haec atque alia plurima in te sint, quae epistularis  
brevitas non capit, quam futura felix est Ancon tali gavisura pa-  
store, qui et doctrina et sui ipsius exemplo beatitudinis viam  
commonstraturus est, salutis aeternae dux et auctor futurus:  
omni enim granditate sermonis maius pondus habet vita dicentis.  
40 Te nobilem ecclesia habebit antistitem, quam romana curia iuris-  
consultum habuit insignein.

Lucan. II 390,  
383.

Haec et plura pro tua dignitate dicenda, gratulationi meae  
et futurae ad dei gloriam laudi, sicut pro amici officio debeo,  
potius quam ulli tribues assentioni. Eam enim in te animi ma-

---

15 laudarint cod. | 18 Cintio cod. | extrema cod. | 20 tribuat cod.  
| 22 traducis cod. | 23-24 cum moribus cod. | 26 minor cod. | 29 ut ut  
cod. | et ita et cod. | 44 illi cod.

gnitudinem rectamque conscientiam esse cognosco, ut veros magis 45  
 esse testes quam assentatores illos appelles et sentias, qui tua  
 bona praedicent. Amor ille paternus et vetusta, licet defuncti,  
 benivolentia vivensque recordatio, quae præsentem mihi reddit  
 absentem, facit ut ego qui patri talem ob filium gloriatur gratuler, filio tacere non possim aut debeam. Nam si res ami- 50  
 corum communes esse vetus et iure probatum iubet proverbium,  
 qui proprii filii dignitate laetarer et exultarem, tecum silentium  
 tenebo? id sane aut invidi aut maligni munus esse dixerim. Unam  
 pro mea gratulatione mercedem a tua reverentia peto, ut ea me  
 sollicitudine ac molestia qua<m> nosti pro tua virili solvas et 55  
 liberes; quo in beneficio abs te vitam accepisse ac revixisse tuae  
 paternitatis ope fatebor, cui me ac filium dominum Manuelem in-  
 time commendo.

Tuae reverentiae devotus Guarinus Veronensis.

Ferrariae XXV aprilis 1460.

60

### 915.

(Querin. A VII 3 f. 130v ).

<Guarinus Veronensis Laurentio Roverellae Ferrarensi epi-  
 scopo sal. pl. d.>.

Reverendissime in Christo pater et domine observandissime.

Profecto nunc illud tempus advenit quo tuum ad conspectum adesse ac « vivas audire et reddere voces » vehementer opto 5  
 et cupiditate ardeo incredibili, cuin tam laetus tam acceptus tam  
 expectatus de tua dignitate nuntius allatus est, qui familiares  
 tuos et nominis tui cultores ingenti gaudio et gratulatione afficit;  
 quia cum epistula explicare quod sentio non possit, praesens ipse  
 oculis fronte manibus et totius denique corporis gestu laetitiam 10  
 explicarem et ipsius tono vocis circumsonarem, quod muta fere

---

46 sententias quod cod. | 49 patrem corr. in patri cod. | iure] ut cod.

915, 1 Ad R.<sup>m</sup> Ferrariae episcopum Guarini Veronensis epistola  
 cod. | 6 exceptus cod. | 8 cultoris cod.

nequiret epistula. Nam quod ad huius magnifica et praeclarae civitatis episcopatum administrandum delectus sis, maxima in primis laus et praedicatio debetur ponti. Fere Pio vereque mi-  
sericordi, qui non modo huic tanto tamque devoto populo cura  
consilio cogitatione subvenit, sed etiam per hoc tam insigne fac-  
tum universo testatus est orbi quanti faciat viros ingenio doctrina  
sapientia et omni virtute praestantes; ut quasi tale mortalium  
animis atque auribus praeconium insonet: Surgite nunc o morta-  
les, altius tollite animos, disciplinas et bene vivendi rationes am-  
plexamini:

Hoc agite o iuvenes, Pius aspicit et stimulat vos;  
Sonus enim revocat hac tempestate camenas,  
Dona probis, doctis meritos largitur honores;

25 quoniam in doctrina et sapientia natus et enutritus viros doctos  
et sapientes idest sibi pares in sublimi collocat. Quo genere lau-  
dis et gloriae et praesens aetas et anni consequentes eum cele-  
brabunt et admirabuntur.

Hoc, eximii pastores, est gregem bonum efficere vel etiam  
30 meliorem; augere hisce praeemiis virtutes, benigne fovere et ad  
amplificandas animare: « honos enim alit artes omnesque accen-  
duntur ad studia gloria ». Hoc equidem tam salutare tamque  
divinum pontificis iudicium cum in aliis antea tum in te ipso  
nuper apparuit; quem non fama sed intima consuetudine et con-  
35 victu fere domestico perspectum et cognitum delegit, ut te ante  
episcopum re quam vocabulo et esse quam dici bene ac prudenter  
intelligeret. Occurrebat ei vita moresque probandi, integritatis  
castimoniae sobrietatis aliarumque virtutum exemplum, unde sicut  
e speculo in subiectos norma et vivendi formula elucesceret:  
40 earum siquidem virtutum dulcedinem sic a teneris imbiberas an-  
nis et perpetuo usu tenueras atque tenes, ut non tam ratio et  
ars quam natura tibi iam evenerit indelebilisque permaneat. Sa-  
pientissimus praeterea pontifex cernebat ex principatu et datario  
magistratu, ex quo verum hominis testimonium \*\*\*\*\*.

45 <Ferrara aprile 1460>.

Cic. Tusc. I 4.

15 quod cod. | 42 indebilisque coā | 44 Qui si tronca il testo; te-  
stimonium è il custode alla fine del f. 131v; il foglio seguente è caduto.

## 916.

(Siena H VI 32 f. 94).

Antonius Bentivolus cl. v. Guarino Veronensi s. p. d.

Guarine τιμωτατε. Periocunde littere tue ad me quinto idus iunias allate sunt, quibus lectis facile perspexi singularem amorem tuum erga me. Sapienter enim hortaris me ad studia litterarum, in quibus pro mea virili desudare institui, ut Andree 5 Contrarii preceptoris fidelissimis atque amantissimis consiliis parere possim utque hec divina studia aliquando sint mihi laudi et honori, deinde emolumento; presertim quando maiorum meorum prestantia mihi quodammodo calcar sit ad virtutem capescendam. Quid dicam de charo genitore viro amplissimo? qui quidem in 10 tanto honore habetur, cuius laus longe lateque diffunditur, cuius quidem apud omnes quanta sit auctoritas virtus, rerum usus, opinio et expectatio, tibi homini elegantissimo indicandum relinquam. Evidem facere nequeo quin tibi mei amantissimo gratias agam, posteaquam tu, qui polles et virtute et ingenio, laudas 15 probasque meam, si qua est, industriam, presertim quando < invita ut aiunt Minerva > difficillimum sit quempiam posse evadere in virum egregium. Profecto optarem de me hec dici potius vere quam amice; veruntamen quoquo modo sit, magnopere delector coli et probari abs te viso probo; quam ob rem dii faxint ut 20 tanto tuo de me iudicio respondere possim. Postremo si me amas, scribas ad me sepius, ut et voluptatem et fructum simul ex tuis litteris in futurum capere possim. Vale.

Bononie eo die quo tuas litteras accepi &lt;9 giugno 1460&gt;.

## 917.

(Casanat. D V 13 f. 23<sup>v</sup>; pubblicata dal Mehus in Leon. Aret. *Epist. X* 12).

Leonardus Guarino s. p.

Ridebis opinor cum ista legeris; ita quibusdam in rebus

916, 2 Guarrine cod.

917, 1 Guerrino cod. | 2 quidem cod.

fata nonnunquam, contra quam velis, niti videntur. Reddidit enim  
 michi litteras tuas vir suavis et impiger Gerardinus Fulginas;  
 5 capio letus atque aperio: principium statim legenti gratissimum  
 fuit, quod hoc silentium inter nos culpare non immerito videbatur,  
 cui mehercle vehementer equidem assentiebar. Sed me cupientis-  
 sime legentem superveniens inopportuna magistratus vocatio fe-  
 stinare ad se iussit; quamobrem cum replicata epistola paruisse  
 10 et a magistratu fasciculum litterarum suscepisse, nescio quem-  
 admodum inter hec vel excidit michi vel subrepta est epistola  
 tua, ut paulo post omnia diligentissime scrutatus nondum repe-  
 rire valuerim. Si quid igitur erat quod facto opus esset, iterato  
 rescribas obsecro, nam et tue michi littere sunt iocundissime et  
 15 ardet animus singulari cupiditate in omnibus tibi morem gerere.  
 Vale et me ama.

Florentie.

### 918.

(Regin. 1612 f. 39<sup>v</sup>; pubblicata da Martene et Durand *Ampliss. Collectio III* 874).

Philippus Podocatharus Guarino clar. preceptoris suo.

Timebam mihi, preceptor humanissime, ludos meos edere,  
 quos tamen tu ludos existimandos non esse dicis. Id sane facis,  
 nec fallor, censeo, pro nimia ac singulari qua me complecteris  
 5 caritate atque benivolentia; quam ob rem nescio an in hoc etiam  
 tibi parere debeam. Metuo inquam, dulcissime mi preceptor, ne  
 cum summo studio atque cura honori nostro vehementiusculam  
 operam prebes, in precipitum aliquod, quod deus pius omen a-  
 vertat, sinas offendere me. Sed quicquid sit, certum est mihi nec  
 10 hic nec alibi usquam a Philippo tuo dari repulsam. Mitto ad te  
 igitur orationem, quam ut ederem hesterna vespera iusseras, non  
 ut iocunditatem ullam inde percipias, quandoquidem tam adole-

---

4 Gir- cod. | 5 atque om. cod. | grandiss - cod. | 8 import - cod.  
 | 13 factu Me. | 15 gerendi cod. | 17 Rome cod.

918, 8 prius cod.

scens et tiro et Philippus infantissimus est auctor, sed ut tue 15 morem geram voluntati. Vale humanarum litterarum decus et mi preceptor humanissime.

<Ferrara 1444-1450>.

### 919.

(Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 158<sup>v</sup>; Vindob. 3330 f. 150; Arundel 70 f. 103).

Guarinus Veronensis Hieronymo sal. pl. d.

Plures ad te scripsi, ut sententiam Iacobi persentiscerem; nullam responsivam accipio hactenus epistulam. Reor tibi quoque dari verba, quibus re ipsa cum mihi respondere nequeas, obmutescere malis quam inania loqui; tuam nanque gravitatem non de- 5 cere scis ut aliter quam veritas postulet eloquaris. Ego autem cum pecunia mea et laborum meorum fructu indigeam, constitui aliqua <via> investigare unde mihi restituatur, vel iure iuvante; facio invitus, sed mihi quam aliis amicior sim oportet. Haec ad te scribere libuit, ut nihil te inscio faciam, quem semper mea- 10 rum habui cogitationum conscientium et adiutorem. Vale.

Ex Ferraria <fine di settembre>.

### 920.

(Monac. Universit. 2.<sup>o</sup> 607 f. 161<sup>v</sup>; Vindob. 3330 f. 153; Arundel 70 f. 104<sup>v</sup> ).

Guarinus Veronensis suo Hieronymo Gualdo sal. pl. d.

Proximis diebus ad te scripsi super illa Ovectaria pecunia, sicut videre poteris; quae deinde facta sunt scire te velim, ne quid rerum mearum te praetereat. Invitus facio quae per iuris 5 viam incohavi; et profecto si parva foret pecunia, potius eam

909, 2 *vel* pluries *codd.* | persentisceres (*vel*- scens) *codd.* | 9 amicior *codd.*

920, 2 *evectaria* (*vel* *enect-*) *codd.*

omittere statuissem quam ut acerbus viderer exactor. Nunc cum  
 deludi vel negligi res mea videatur ab ipsis Ovectariis, urgente  
 familiaris angustia rei, cum vel ipsa aqua hic emenda sit, ut  
 meorum laborum mercedem repareat, quando alia via non potest,  
 10 ad praetorem confugi et ei facta, ut oportuit, fide obtinui multa-  
 rum rerum sequestrationem et assignatis, pro huius more, terminis,  
 cum nonnullis proclamationibus consuetis, ad ipsarum rerum  
 venundationem vel subhastationem potius procedetur. Res una  
 mihi molesta est, quod hoc modo res sic vili vendi solent pretio,  
 15 ut aureus non valeat libram. Gratum erit si Iacobus haec tuis  
 litteris sentiet, ut priusquam bona ipsa alienentur remedium adhi-  
 beat, ne dicat: « vellem scivisse ». Meum in eum facio officium;  
 si ipse suum in me fecerit, suo consulet honori nec ego de bono  
 opere lapidabor, quando, filio suo paterne a me pertractato, dam-  
 20 num non redundabit in me et arietinas mercedes non exigam:  
 quoniam solent arietes pastori frontem illidere et cornu petere.  
 Si quid mihi aut consilii aut voluntatis tuae rescripseris, mirum  
 in modum placebis. Vale.

Ferrariae VI nonas octobris

### 921.

(Est. IV F 24 f. 182<sup>v</sup>; α Q 9. 16 f. 124, dove sono attribuiti falsamente a  
 Paulus Riliolus = Ziliolus; Vatic. 8914 f. 130<sup>v</sup>; Augsburg 4.<sup>o</sup> CCXVII;  
 pubblicato da me *Le scoperte dei codici latini e greci* 97).

Guarinus Veronensis cl. v. Bernardo physico sal. pl. d. \*

Suscipe ludentis pueri iocunda Maronis  
 Carmina, quis gestus, quis corpora format et herbas,  
 Naturae pictor, musarum interpres amandus.

7 vel] *vel* ac *codd.* | *onectariis* (*vel enect-*) *codd.* | 11 *huius]* *iuris?*  
 | 21 *vel* *fontem illudere* *codd.* | 23 *placebit?*

921, \* *vel* Guarinus Veronensis p. s. Bernardo phisico *codd.* | 2 Intende il *Moretum*; *format* vale rappresenta, deserive: deserive cioè i due personaggi (*corpora*), i loro movimenti (*gestus*) e le erbe (*herbas*) dell' orto.

Ardua cum rerum quaerens arcana gravesque  
 Morborum causas curasque ad membra salubres 5  
 Arte laboraris, lenimen dulce malorum,  
 Hos versus releges, ubi fessus taedia ponas,  
 Auribus et requiem cantu donabis amoeno.  
 Mirari ingenium sensusque licebit acutos  
 Vatis adhuc teneri vocesque probare disertas. 10  
 Nec minus interdum grata est tibi sacra poesis  
 Et suaves Helicone haustus libasse fluentis,  
 Cernere quiam patriam et priscae monumenta sophiae  
 Aut medicas artes quas edidit auctor Apollo.  
 Interea fixum menti vincito Guarinum. 15

<Ferrara>.

## 922.

(Balliol 135 f. 129v).

Guarinus Veronensis R. P. et domino domino Ludovico cardinali aquileiensi pl. in Christo s. d.

Cum plurimos tuae paternitati tum amore tum beneficiis de-  
 vinctos esse intelligam, utroque tecum si fieri possit coniungi  
 vinculo vehementer opto. Alterum mea in manu, alterum in tua 5  
 positum est. Tuarum enim fama virtutum allectus non modo tuam  
 P<aternitatem> amo, sed etiam colo veneror et observo. Quis  
 enim artes in te optimas, humanitatem, prudentiam, magnarum  
 rerum consilium, liberalitatem, benignitatem, magnificentiam et in  
 omni vita tua excellentiam non diligit et singulari quadam ad- 10  
 miratione non prosequatur? et eo certius, cum pontificis maximi  
 testimonium proponat, quem alterum in terris deum praedicant,  
 cui carus acceptus et eximia benivolentia atque caritate intimus  
 es. Reliquum est ut beneficio me tibi alliges, quod ut petere abs  
 tua P<aternitate> audeo, ita et as- qui posse confido idque 15

---

6 vel laboratas codd. | 11 Il cod. di Augsb. premette il v. 11 al 10  
 | 12 vel fluentes codd. | 14 vel egit codd. (forse egerit da egerere?).

firmiore cum spe, quod preces meas laudi dignitati gloriae favere intelliges quantumque muneris tribues, tantum et recipies.

Est mihi amicus et quidem singularis, prius cognitus deinde amatus, iuris scientia et aliis bonis artibus, integritate, castimonia, 20 morum suavitate, prudentia, moderatione: quid plura? is est totus ex virtute compositus. Quisnam, inquies, homo est? Mafeus Vegius, quem cum apud P<aternitatem> tuam esse acceperim, tibine magis an illi gratuler incertus sum. Nam cum magnae illi laudi sit, « <principibus enim> pl<acuisse> vi<ris> non 25 inf<ima> laus est », non parum famae tuae et existimationi quasi cumulus adiungitur, tales tamque probatos homines tecum convivere, qui cum in laude semper vixerint, et laudes ex se ut sol radios emitunt in proximosque dissemina<n>t. Sane praeclarum est et multorum commendatione dignissimum vasa magni-30 fice caelata, stragulam vestem aliaque id genus ornamenta domi habere; at non minus praeclarum minusque laudabile praestantes homines, honestam familiam et honoratos domesticos pretiosam ut sic dicam supellectilem vendicare. Quid igitur, Guarine, velles, inquies? Ut quem carum habes, cariorem habeas et geminata 35 benivolentia hominem complectaris « quo mea illi commendatio aliquid apud R<everendissimam> P<aternitatem> tuam momenti habuisse videatur ». Non solum enim Vegio meo honorem laudemque tribues sed etiam mihi beneficium contuleris exquisitum, cum vel ipsius Vegii testimonio et tuae amplitudini accep-40 tus fuero et alios acceptos facere praedicabor: quod inter ea quae mihi felicia contigerunt annumerare licebit.

<Ferrara 1440-1458>.

Horat. Epist.  
117, 33.

Cic. ad fam.  
XIII 23.

## 923.

(Monac. lat. 8482 f. 132).

Guarinus Veronensis suo Benedicto sal.

Factus sum certior tuac honestissimae voluntatis et litterarum tuarum officio et Iacobi Fundani diligentia fide ac prudentia.

922, 19 amatus, <ornatus>? | 26 tumulus cod.

licet et superioribus diebus te coram exponentem tuum animum didici. Ego, mi Benedicte, cum voto tam laudabili tum vero consuetudine mea tibi nulla in re deesse debeo aut volo, quanquam tam claro ingenio tam prudenti viro facere satis magnae eiusdem professionis vel presumptionis sit. Verum enimvero malo vires quam voluntatem accuses; cum illic culpa vacem, hic mentem cogitationemque laudabis, quae licet tibi satis non sit, tu me excusabis, te vero quod male delegeris ac iudicaris accusabis. Ceterum cum rimatus sim ut tuo desiderio portum quempiam periam, cominodum nullum repperi; causas audies ex domino Iacobo Fundano, qui amici legatione fungetur, ut ad me legatus abs te invicem est. Vale et me tuo utitor arbitratu.

15

Ex Ferraria kalendis iulii <1438 ?>.

Egregio ac prudenti v. Benedicto  
de Anania dilectissimo

#### 924.

(Querin. C VII 8 f. 74<sup>v</sup>; Ambros. V 32 sup. f. 40).

Pogius Guarino Veronensi s. p. d.

Ago tibi gratias pro litteris tuis, quibus me mones ut cautior sim in scribendo nova. Nescio quid alii scripserint; ego nil scripsi Francisco Barbaro detractorum, nil falsum neque aliquid quod si publicetur, debeam vel paululum erubescere; ego procul absim 5 a culpa, nullius famam laesi. P. de G., cum esset inter nos verborum contentio satis honesta, in me verba expuens ampullosa et mihi <in>iram prosiliens, me obiurgavit; sed non retulit impune. Retudi eum ita ut taceret; ex quo scripsi dicto Francisco rei narrationem veram, non litteras maledicas, ut dicens, aut re- 10

923, 11 at cod.

924, 3 nihil Ambr. | 4 detractorum Quer. | nihil Ambr. | 5 paulum Quer. | 6 P. de q. Ambr. | verberum Quer. | 7 in me honesta Quer. | 8 mihi iram Ambr., mihi vani Quer. | 9 retundi Quer., retrudi Ambr. | ex quo = « dopo di che » | 10 dicens: qui finisce l' Ambr.

fertas iurgiis, sed veras et ad me excusandum necessarias. Quod si me sibi cedere putas debuisse, erras vehementer; nam cum agitur de tuenda fama, de conservando honore, de infamia pro-  
pulsanda nemini parcendum est, non si quoque <\*\*\*\*\*> respi-  
15 cienti non fuit error respondere ad interrogata, sed ratio honesta. Sed haec haec tenus; fecimus pacem et factam servabo; sed ne-  
cessarium fuit respondere tibi, ne culpam in me reflectas. Vale.

Florentie <1440-1442 ?>.

### 925.

(Marc. lat. XIV 221 f. 98<sup>v</sup>; Class. 121 f. 179<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Bartholomaeo Peregrino sal. pl. d.

Rogitanti mihi nuper de tua tuorumque salute, quod saepius  
pro nostra veteri ac vera amicitia factito, renuntiatum est te ma-  
gno in moeroe esse, quia carissimum filium tuum mors intercepit.  
5 Id facile creditu fit pro tuo non solum in tuos amore ac pietate,  
verum etiam in longinquos et externos. Sed obsecro te, vir pru-  
dentissime civisque magnanime: an idecirco luges quia filium ad  
meliora profectum non dubitas? Percurras animo velim qualia  
sunt quae reliquit, immo vero a quibus evasit: quantas molestias  
10 videbis, querelas exilia praedas bella pugnas inopiam, adventan-  
tem senectutem, morbos et incumbentem omnibus horis et omni  
aetati mortem! Qualia subinde sunt quae secutus est: gaudia  
exultationes, sedes perpetuae securitatis, quies aeterna, sempiter-  
nae divitiae, aevum incommutabile, incolumitas, vita vitalis, quo-  
15 rum adeptionem si doleas, cave ne filio pater invidisse dicaris  
vel vulgarium et imperitorum morem imitari videaris, qui suos  
idecirco vita functos deflent, quia mortem malum esse putant,  
quae vel hanc ob causam bona res est, quia eam naturae beni-  
gnitas attulit. Beatum Antonium lego, cum ad primum heremitam

---

17 refellas cod.

925, 6 verum et Marc. | 8 profectum esse Marc. | 13 propriae secu-  
ritas codd. | 15 adeptione Marc. | 18 res om. Marc. | 19 heremum Class.

Paulum visendi et salutandi gratia venisset moxque moritum 20 cerneret, multis eum fletibus crebroque gemitu precatum « ne se desereret et talis itineris sese comitem acciperet », quia mortem bonam esse sciebat. « At enim adeo tristor, inquies, quia subita morte filium perisse contigit ». Cuperes fortasse eum multorum dierum vel annorum febri per acerbos membrorum cruciatus et 25 domesticorum compassionem spiritum emisisse ? Caesar ille magnanimus tot populorum ac nationum victor indomitus, cum in gravissimorum hominum coetu quaenam potior mors esset contentio foret aborta, subitam ceteris anteposuit. Quanquam quosnam mihi commemorabis homines, quos non repentinus exitus auferat ? 30 « Adulescentes Ciceroni sic emori videntur, ut cum aquae multitudine flammae vis opprimitur », idest repente suffocatur. Et ut a magnis et doctissimis viris diffinitum est, mors est animae corporis risque « dissolutio », quae tam exiguo tam minimo tam momentaneo contingit spatio, ut non repentina dici non possit. 35

Quae cum ita esse non neges, comprime lacrimas querelasque refrena et eum potius vivere gaude quam quod ita mortuus sit doleas, praesertim cum superioris temporis vita mortem quavis ratione obrepentem faciat esse felicem. Memineris quanta in adulescente nostro probitas viguit, modestia, morum integritas, in 40 deum pietas, in parentes observantia, in suos caritas, in cunctos obsequentia. Illius itaque mors dolenda non est, quam bene instituta vita praecessit. Quot Christi martyres legimus et audivimus in fluvios praecipites datos vel gladio caesos vel alio genere oppressos subitanam obiisse mortem ? quae non ideo misera 45 quia subita, sed beata quoniam bonis irrogata. Exurge igitur vir fortissime et qui moderationis et prudentiae quotidiana tradis exempla, fac intelligamus quantae in adversa fortuna patientiae sis. Plurā non dicam quia mihi christiano homini et rerum humanarum in utranque partem peritissimo sermo est. Tuum est 50 pro filiolo preces et orationes et cetera ecclesiae medicamenta

---

21 eum] cum *codd.* | 22 subitam mortem *Class.* | 23 enim *om. Class.*  
| 26 compassionem *om. Marc.* | *emisisset Marc.* | 27 et *Class.* | 29 oborta  
*Marc.* | quosdam *codd.* | 32 opprimatur *Class.* | 36 querelas (*om. que*)  
*Marc.* | 41 parentem *Marc.* | 42 quam] cum *Class.*, (cui ?) | 43 legimus *om. Class.* | 49 mihi] tibi *Class.*

immortali deo fundere utque nos paratos esse faciat orare, qui  
dixit: « nescitis diem neque horam ». Sic enim quem praesentem  
amabas, et absentem amabis. Vale et « virum in due vel verius 33,  
55 ne exue ».

Matth. 25, 13.  
Cic. *de fin.* V

<Ferrara 1433 c.>

## 926.

(Est. IV F 24 f. 160v ).

Nicolaus a quatuor fratribus Mutinensis cl. v. Guarino Ve-  
ronensi s.

Quod sequar ipse lucrum vel opes, quas iustus abhorret,  
Ac metra dimittam hortatur me ignobile vulgus.  
Ast ego delector potius sic condere versus  
Atque studere magis quam res optare caducas.  
5 Talia nec scribo vano seductus honore  
Sed documenta malis solum bona tradere glisco,  
Confirmando bonos in cunctis actibus almis.  
Quid faciam ignoro: idecirco tu consule, vates,  
Mente mihi pura sensusque tui gravitate,  
10 Nec dare te pudeat mihi ad hoc responsa, Guarine.

## 927.

(Est. IV F 24 f. 161).

<Guarinus Veronensis Nicolao a quatuor fratribus sal. pl. d.>\*

Non ego lucra bonis censebo inimica nec ipsas  
Divitias, vitae varius quas postulat usus.  
Unde fami praebebis opem membrisque pedique  
Perfractumque iuves, arcam si poscat, amicum ?

52 orate *Marc.*, om *Class.*

926, 2 metra = versus.

927, \* Guarini Veronensis responsio cod.

5

Quod si plectra lyrae et citharae dulcedo canorae  
 Adducet segetes tibi vel cum vitibus uvas,  
 Auritos lepores, vitulos, cum matribus agnos,  
 Aerias silvas montisque cacumina duri,  
 Qualem prisca ferunt volvisse Amphiona cantu,  
 Tunc lucra, divitiae<sup>c</sup> tunc aspernator amatas,  
 Tunc vulgi indoc<sup>os</sup>, fas est, contemne latratus.  
 Nonne vides nudas cum risu errare Camoenas,  
 Calceus ut fundat digitos, tremat artus ab aura ?  
 « Smyrnaeum carmen » rident et Apolline cantus ;  
 Si loquitur vates, sibi crebra « ciconia pinsit ».      10  
 Divitias satur et locuples contemne, poeta. Vale.  
 15

<Ferrara>

## 928.

(Iagell. 42 f. 2; il codice è poco leggibile).

Ad Guarinum Veronensem oratorum principem.

Itala queni gemine laurus et greca coronant  
 Vatem nempe novum, tibi me commendo. Moderno  
 Tempore qui totam lustras virtutibus altis  
 Italiā, Guarine, tuis, grecisque latinis<que>  
 Eya mitte tuis unum de fontibus haustum      5  
 Tam lepidis ; dignare precor, placidissime, possim  
 Ut siccam sedare sitim. Tantis per hyanti  
 Cum veniant tua grata mihi mandata moranti  
 Pocula, tunc vitulos agnos tenerasque bidentes  
 Magnos ante deos ponam pro laude piandos ;      10

7 Verg. *Geo.* I 108 | 9 Cfr. Horat. *A. P.* 394-5; valuisse *cod.* | 13  
 Calceus effundat *cod.* | 14 Lucan. IX 984 | 15 crebra at *cod.* | pinxit  
*cod.*; Pers. I 58.

928, 1 Itala] Tiala (?) *cod.* | coronant] servant (?) *cod.* | 2 tibi me  
 commendo] res quam mundo (?) *cod.* | 3 virtutis (?) a \* s *cod.* | 5 mitte]  
 nate (?) *cod.* | unam *cod.* | 8 mandata = missa | 9 tunc uinclos agnosque  
 thaurosque bibentes *cod.* | 10 pre laude prandes *cod.* | 11 astrabo (?) *cod.*

Ante Iovis supplex astabo cernuus aras,  
 Laudes et referam. Mihi laus et gloria, quantus  
 Attribuetur honos; valeam gustare liquores  
 Mellifluos, quos, crede mihi, rarissimus ille  
 15 Est cui phas fuerit dulcore<s> lambere tales.  
 Labra rigent ardore sitis, sitis anxia linguam  
 Famine privavit, sicco nil exit ab ore.  
 Sumptos non aliter merito sorbebo liquores  
 Mergus quam sitibundus <aque> dum duxerit haustum.  
 20 Pocula manna velut sapient condita sapore.  
 Plura referre libet, me circa plurima verso \*\*\*.

## 929

(Class. 121 f. 81<sup>v</sup>; Ferrar. 151 NA 5 f. 35<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Petroandreae sal. pl. d.

Si ulterius quam debes tuum egisti silentium, poenas dedisti:  
 primum quia ea te privasti iocunditate quae ex mutua nasci solet  
 litterarum sermocinatione, deinde quia multam sponte solvisti; op-  
 5 timas nanque condemnationis nomine anguillas emis<is>ti, quae  
 tam formosae tam gustu suaves extiterunt, ut omnem taciturnitatis  
 iniuriam sponte remiserim. Nunc tuae praeturae amoenitatem et  
 delectationem intelligo, ex qua tam suaves tibi parentur epulae,  
 ut non sane mirer te et nostri immemorem fieri et longius pro-  
 10 trahere sermonem; accedit convictus et conversatio nobilissimi  
 praesulis d. Baldesaris, cuius dulcedo lepor humanitas te tui obli-  
 visci facere debet. Quid igitur mirum si diutius nobiscum taces?  
 Cum autem sine socio iniocunda sit ipsa delectatio, statui in par-  
 tem et iocunditatis cominunicationem venire. Veniam autem cum

13 Arbitretur cod. | 16 ardore] ualore (?) cod. | 19 Merso cod. |  
 luxerit cod. | 21 Dopo *verso* segue immediatamente un brano di poesia  
 indirizzata a Martino V; il copista perciò ha contaminato due poesie in  
 una. Il codice contiene poesie di Bernardo da Imola, tra le quali una  
 dedicata a Niccolò d'Este; e forse è lui l'autore del carme a Guarino.

929, 7 precurae Ferr. | 13 soero (?), Class. | 14 autem om. Class.

tempus vocabit, cum et magnas et pingues usurpare licebit epulas, 15  
non hoc tempore quo macra nos attenuant ieiunia, cum psalmis  
et lacrimis nostra sunt abluenda peccata et pugnis pulsanda pec-  
tora et risus omnis exulat. Tu vero diem terminumque constitues,  
sic instructis autem artibus et designatis prius otiandi modis et  
instrumentis, ut non Gazzani nos solitudo frustretur atque de- 20  
rideat.

De Uguccione filio quod miraris si curam suscipio et huius  
honori servio, an ignoras amicitiae nostrae iure nostra esse com-  
munia omnia? meus est, modo sibi ipse non desit. Vale et R.<sup>mo</sup>  
d. Baldesari me commenda et gratias age pro suo ad me munere 25  
et responsione benigna etc. (*sic*).

<Ferrara di quaresima>.

### 930.

(Ottob. 1677 f. 246, donde fu copiata nel cod. Tioli XXII p. 181).

Guarinus Veronensis pl. sal. in Christo dicit fratri Iacobo  
Bononiensi.

Cum magnas tuae humanitati gratias agere debeam pro fruc-  
tibus sapidissimis, aliud abs te munus peto ut Epistulae beati  
Hieronymi per hunc ad me mittas; paucis diebus remittam. Vale 5  
religionis decus.

<Ferrara>.

### 930 A.

(Vatic. gr. 914 f. 50; pubblicata da W. Regel *Analecta byzantino russica*,  
Petropoli 1891, 59).

<Ισιδωρος Γουαρίνῳ χαιρεῖν>.

Ἄρτι τοῦ μετοπώρου τὴν τοῦ θέρους ὥραν διαδεξαμένου γοσσούντι  
νόσον μακρὰν καὶ βαρεῖσαν, τὴν λοιψώδη, γῆγε μοι γράμματα σὰ οὕτω

---

15 tempore *Ferr.* | 20 *Gazzani*: Gazzano, un paese in quel di Reggio  
d'Emilia; garzandi *Ferr.*, gariandi *Class.*; ma l'<sup>r</sup> somiglia alla sigla ado-  
perata dal copista per l'<sup>r</sup> *et*; e il primo *i* ha l'asta lunga quasi come un *l*  
| 25 Baldesari *Ferr.*, Baldaseri *Class.*

δή τοι σφόδρα τούτων ἐρώντι, ὅστ' οὐδὲ πολλάκις ἐγένετο κόρος ταῦτα  
 5 διεξιόντι, ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν τίγι τε σὴν ὑγίειαν τὴν τε περὶ λόγους ἐπίδοσιν  
 ἐμήγινεν. ἐδῆλου δὲ τοῦτον, μηδὲνδις τίμων ἐπιλεκτικοῖς σε,  
 τῷ γε καὶ πρὸς τίμων αἰτίαις ἐπιστέλλειν αἱρεῖσθαι . . . . . ἀλλὰ σὺ μὲν ἀπαῦ  
 10 ἐπιστέλλεις τοῦ ἔτους, καίτοι, τί λέγω, ὅτε καὶ δύο πολλάκις παρωγγεῖτων  
 ἐτῶν μόλις τίκει μοι γράμματα παρὰ σοῦ, καὶ ταῦτα γε καλῶς εἰδότος  
 ὅπῃ τε γῆς εἴμι πολλῶν τε δύντων ὡς τίμων αὐτόθιεν ἀφικνουμένων.  
 ἐγὼ δὲ γὰρ μὲν εἰς Χίον, νῦν δὲ εἰς Ῥόδον, εἰς Ἀκουηλίαν δὲ Κλιστε,  
 ἀλλὰ καὶ πρὸς Ῥώμην πέτεσθαι σε μαυράνων, ὕσπερ καὶ εἰς Φλορεντίαν  
 νῦν, οὖκουν ὄντης μήτ' αὐτοῦ μήτ' ἀλλαχοῦ πρὸς τὸν μετάρσιόν σε  
 καὶ τρέπον δή τινα τῷ πτηγῷ Διὸς ἀρματι φερόμενον γράμματα πέμπειν,  
 15 εἰ καὶ μὴ καλά, συγχρήτην . . . . . Δέχον τοίνυν ἄμφα τούτοις τοῖς  
 γράμμασι τίγι τε Ξενοφῶντος Κύρου ἀνάβάσιν τὸν τε Οἰκουμενόν, καὶ  
 σύ γε αὐτοῖς τὸν οὕτω πως Ἱέρωνα τῇ Τυραννικὸν ἐπιγραφόμενον,  
 ἀρίστου ἥριτορος ἀριστα συγγράμματα, ἢ δή σοι πάντα δεικνύειν μέλλει  
 τὸ τε τῶν γραμμάτων κάλλος τίγι τε περὶ ταῦτα μετὰ σπουδῆς ὁρ-  
 20 θύτητα. ἔξεις δὲ ἄμφα τοῦτο σύ γε τῇ τοῦ θεοῦ βοηθείᾳ καὶ τὰ τοῦ  
 Σύρου Σαμοσατέως. εἰ δὲ οἶόν τοι τίμην γένοιτο, λέγε, καὶ τὰ τοῦ  
 συγγραφέως Ἀθηναίου κατ' αὐτὴν τίγι τοῦ τίμος ὥραν. ἀλλ' ἐπι-  
 λέγομαι τῶν ἐμῶν, τοσοῦτον ἐρωτικῶς ἔχω περὶ τὰς σά. ὕσπερ δὲ ἐγὼ  
 τῶν σῶν, οὕτως καὶ σὺ φρόντιζε τῶν ἐμῶν. ὅτι γάρ πάλαι μὲν αὐτὸς  
 25 ὑποτρυγοῦ, τίλπιζον δὲ ἐγὼ λαβεῖν, λέγω δή τοὺς ἀπὸ τῶν δῖων κώδικας,  
 τίνα σε καὶ αὐθιές ἐκείνων ἀναγνήσω, οὕπω παρ' τίμην ἐγένοιτο, ἀλλ'  
 οὐδὲ τὰ ὠροσκοπεῖα. τῇ τοίνυν θήττον αὐτὰ πέμψε. καὶ τούτῳ πολλὴν  
 ἔξι τοι γάριν, τῇ βραδύνοντα περὶ τὰς ὑποσχέσεις ἐν τοῖς ὀφελίοσιν  
 30 ἔξι, καὶ ἀντὶ τοῦ γάριν εἰδέναι ἐγκαλεῖν σοι μάλλον ἀναγκασθήσομαι.

<1410>.

### 930 B.

Τῷ αὐτῷ.

"Οσον εἰσηγέγκαμεν κρότον ἀναγνόντες σοι τὴν ἐπιστολήν, ἐπιτελήν  
 ἐκείνην τὴν διὰ πάσης τοῦ οὐρανού τοῦ ὥρας, οὐδὲ λέγειν 'ραδίτως δὴ ἔχοιμεν.....  
 Ἐνενέδουν γάρ, ὅσον ὀφελοῖς δὴ εἴη ταῖς πόλεσι Τουαρίνος ὁ καλός.  
 5 κοσμήσας μὲν τὴν πατρίδα καὶ πρὸ τῆς πατρίδος Ἱταλίαν πάσαν τῇ  
 πατρίφυσιν, κοσμήσας δὲ τὴν Ἑλλάδα τῇ ἐκείνων τῶν Ἑλλήνων

παιδείᾳ . . . . Ἀλλ' εἴ σε τὸ μῆκος τῆς ἐπιστολῆς ἀνιάσει ὑπερβαίνούσης  
μὲν τὸ μέτρον, τούτῳ δὲ κόρον ἐμποιούσης τῷ σφόδρᾳ λακωνίζοντί σοι,  
σαυτὸν αἰτιώ μᾶλλον οὐχὶ γε ἐμέ. οὕπω γὰρ ἡκε παρ' ἡμῖν τὰ ὀροσκοπεῖα,  
ῶστε χανέντων ἡμῖν τουτοινὶ καὶ τὴν σύμμετρον ὥραν δηλούντων, τηγικαῦτα 10  
δὴ μέτρια καὶ τὰ γράμματά σοι φανήσεται.

&lt;1410&gt;.

*Lettere scritte da Guarino per altri*

## 931.

(Est. 94 f. 26v).

Guarinus sal. pl. d. Luchino Genuensi doctissimo iurisconsulto.

Gratulor tibi, vir eruditissime, quod in urbe orbis terrarum  
 Verg. Aen. I regina inter « Romanos rerum dominos genteinque togatam » se-  
 282. senatoriam geris dignitatem... Quod autem me ipsum memoria 5  
 perpetua serves, facis tu quidem pro tuis moribus et ingenio tuo,  
 ut vinci a me nolis, qui vitam consuetudinem convictum nostrum  
 ac familiaritatem variosque sermones ita memoriter teneo, ut  
 Cic. p. Marc. 30. « nulla unquam deletura sit oblivio »... Quas ob res, praeceptor  
 egregie... Aviae patri matrique, ut tuis obtemperarem mandatis, 10  
 te ipsum commendavi, quorum memoriam tuis pro meritis et do-  
 Cic. Phil. III mestica olim consuetudine « refricuisti »...  
 18.

Ex Ferraria kalendas madias.

## 932.

(Ottob. 1153 f. 55v ; 1677 f. 55 ; Ferrar. 19 f. 59v).

<Fratrum servorum ordo ill.<sup>mo</sup> Mediolani duci s. p. d.>.

Solent homines nostri, excellentissime dux, qui praeclara

---

932, 1 Pro fratrum servorum ordine ad ill. mediolani ducem ut canonizetur eius ope beatus Philippus obsecratio. Guarinus Veronensis edidit *codd.* La dò in estratto.

facta et illustres viros intelligunt et admirantur, tuas res gestas,  
 magnas quidem et omni praedicatione celebrandas, non modo  
 5 cum hisce modernis sed etiam cum antiquitate conferre, ubi exi-  
 mium illud et peccatiare sane de te iudicium proferunt quod, cum  
 magnifici ac bellicosi ductores illi nostrates et externi ingentia  
 ediderint facinora, nullos ferme reperies qui non fusi quandoque  
 fugative sint et adversario de se victoriam praestiterint; te autem,  
 10 princeps illustrissime, in tanta proeliorum magnitudine ac va-  
 rietate ne se mel quidem fusum fugatumve gloriari hostis <po-  
 tuit>. Nihil enim a te gerendum aut fortunae temeritati aut  
 Martis violentiae potius quam sapientiae comirisisti, ne tibi obiec-  
 tari posset illud sapientissimi imperatoris « non putaram »; quin  
 15 Fabianum imitatus documentum « unus homo nobis cunctando  
 restituit rem », certam victoriam reportasti quae gloriosum tibi  
 triumphum et amplissimum pro meritis imperium peperit. Ut au-  
 tem intermissis bellis togam suscipere pro tua sapientia aggres-  
 sis es facile omnes docuisti Minervam ipsam, ut gentiles dicerent,  
 20 non minus pacis quam belli praesidem deam tibi ducem tibi co-  
 mitem tibi sociam accedere; adeo vastatos belli calamitate agros,  
 fessos mortales, labefactatas civitates tua prudentia aequitate ani-  
 mi magnitudine renovasti roborasti restituisti, leges iudicia ma-  
 gistratus revocasti, artes redintegrasti ut te, quem autem maxi-  
 25 mum belligandi ductorem noverant, nunc deum admirandum  
 pacis magistrum verumque patriae parentem experiantur; quo fit  
 ut piae felicitate gratulantes illud sibyllinum clamitent: « iam  
 7 Verg. Ecl. IV  
 7. Verg. Aen. VI  
 81. Cie. de off. I  
 1677. Cie. de off. 157.  
 1677. Ben. - 1677, om. rell.

Florentia magna, ut nosti, excelse dux, atque magnifica ci-  
 vitas opibus fortuna sapientia gloria pollens Tusciae caput est;  
 ex hac anno iam centesimo nonagesimo natus est Philippus; si-  
 enti flos illustris et candidum ac vere gentile germinatum est  
 lilium e generosa veterique Benitiorum prosapia..... Hic deinde  
 35 Philippus divino suscitante Spiritu et beatissima vocante Virgine

---

5 hiscmodi annis codd. (vel hisce annis) | 9 fugatique 1677 | 11  
 ne] ac codd. (ne corr. ex ac 1677) | potuit add. al. m. in 1677 | 19  
 es 1677, sis rell. | 32 siculi codd., corr. 1677 | 34 veterique] utique codd.  
 (corr. 1677) | Ben. - 1677, om. rell.

nostrum ingressus ordinem integrum singulari cum innocentia suam produxit aetatem. Pro quibus quidem meritis sicut per dei pietatem in coelis aevo fruitur sempiterno, ita, ut et in terris nomen eius celebretur et in Christi tabula splendescat, tuae magnificentiae auxilium invocat, manus invitat et liberalitatem efflagitat. Quis dubitet hunc beatum hominem divino in te beneficio hactenus in humanae ignoracionis tenebris ideo iacuisse, ut tua cura studio et opera illucescat et inter illustria Francisci ducis gesta Philippi sanctificatio numeretur colatur praedicetur?.....

Vale; quarto nonas maias <1451?>.

45

### 933.

(Riccard. 924 f. 197; Corsin. 33 E 27 f. 49; Brera AD XIII 27 f. 92<sup>v</sup>; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 96; Treveri 1879 f. 35<sup>v</sup>; Vindobon. 3330 f. 165; Parig. 5834 f. 125<sup>v</sup>; Balliol 135 f. 119; Arundel 70 f. 111<sup>v</sup>; Novar. Capit. 122 f. 168).

Guarinus Veronensis pro splendido equite d. Feltrino de Boiardis ad illustrissimum ducem Mediolani.

Princeps illustrissime et magnanime domine.

Hactenus omni studio et diligentia contendi ut ad tuam maiestatem, sicuti constitueram, venire liceret ut aliquid humanitatis erga meos affines illos infelices ex tua maiestate implorem..... Verum quod ipse non potui, haec ut spero vicaria impetrabit epistula. Nec peto, princeps humanissime, ut homines libertati penitus restituas; peto autem et supplex oro ut eos ex tanto carceris horrore ac tam miserando tenebrarum aspectu ad apertioris caeli auras et communia solis lumina resurgere patiaris..... Non defendo nunc obiecta in eos crimina et versutas accusatorum calumnias.....

Ad genua tua supplices et lugubres iaceere crede cunctos Corigiae domus patres et viros insignes, Vicecomitum dignitati

---

37 perd - 1677 | 38 ut ita et corr. in ita ut 1677, ita et ut rell. |  
39 tabula] pert \*\* corr. in gloria 1677 | 45 vale - maias om. 1677.

laudi et ornamento semper alligatos et fide sua, opera studio industriaque devotos, suis filiis ac nepotibus poenarum levamen ab tua clementia deprecantes. Frustra illos precari permittes? Hos ipsos adulescentes, qui maiorum suorum imitatione et hereditate  
 20 tui iuris sunt, novo beneficiorum genere animo corpore et facultatibus tuae maiestati perpetuo devinctos effice et <ede> divinae clementiae tuae ac humanitatis exemplum et memorabile omnibus saeculis testimonium; qua in re amplissimi patris tui sicuti regni successione sic et virtutis similitudine verum te ipsum he-  
 25 redem agnoscemus.

Ferrariae <1430-1447>.

### 934.

(Ambros. M 40 sup. f. 60v; O 66 sup. f. 39; Riccard. 407 f. 266v; 779 f. 186v; Parig. 5834 f. 52v; Vindobon. 3330 f. 216v e 245; Arundel 70 f. 139v e 153; 138 f. 163; Palat. 492 f. 169; Canon. lat. 360 f. 63; Ferrar. 16 NA 1 f. 37; Treveri 1879 f. 84; Bibl. degli studi di Olmütz cod. 159 f. 77v; efr. Rosmini *Vittorino* 179; *Guarino* II 142; Andres *Cod. Capil.* 92; Verani in *Giorn. de' letter.* XX 287).

Guarini Veronensis deprecatio ad principem Mantuae pro profugo patris causa.

Inter acerbissimas calamitates meas luctuosamque fortunam, humanissime princeps, nisi tua singularis clementia spem mihi  
 5 salutis misericordiaeque pro consuetudine tua promitteret, vitam hanc credo cum nece permutassem. Quid enim ea mihi opus esset, in qua inopia exilio et quod super omnia miserrimum est benignissimi principis indignatione afflictus alienos agros urbesque lustrarem? Ceterum cum firma recensque memoria tua perpe-  
 10 tuam generis nostri caritatem observantiam fidem officia erga maiestatem tuam et complectatur et teneat quantisque familiam nostram honoribus et beneficiis prosecutus sis, nihil est quod ex benignitate tua non consequi posse confidam... Neque vero ille

---

934, 1 Così l' *Ambros M 40*; Guarini Veronensis oratio pulera incipit *Vindob.*; anonima in altri | 6 vel crede mihi *codd.* | 12 vel persecutus *codd.*

sum ego qui errata in te mea infitiari velim. Peccavi, nocens  
 sum, principem dominum benefactorem patrem miser offendi. 15  
 Illud autem affirmare constanter audebo, nullius me odio, nulla  
 malignitate, nullo denique scelere cogitasse quicquam, dixisse,  
 fecisse, sed magna in patrem pietate, egregia quadam in pa-  
 rentem indulgentia ac praecipuo in genitorem amore, qui me  
 in lucem produxit, aluit educavit, ad hoc aetatis cura studioque 20  
 pervexit. Eius honorem salutemque tutari ac defendere dum co-  
 nabar, ad asperiora nonnihil proferenda invitum me pietas ipsa  
 et paternus amor tulit... Tibi sunt liberi et quidem suavissimi  
 ac indolis optimae sintque perpetuo incolumes precor, quos cum  
 ad bonos mores ac liberales artes, tum vero ad patrias virtutes 25  
 conducefacis ac instituis.....

Mihi des veniam oro per eos qui tuae maiestati carissimi  
 sunt nec patiare me, qui superiori tempore in mediocre bonorum  
 abundatione inter non infimos Mantuae cives annumerabar, ege-  
 num mendicantem profugum, rebus omnibus spoliatum, longinquas 30  
 orbis terras peragrare. Te meae, te meorum preces amor fidelis-  
 tas et memoria pristina moveat, te patriae caritas, a quibus su-  
 spirans gemens lacrimansque divellor.

<?>.

### 935.

(Cod. presso G. Antonelli in Ferrara, perduto? cfr. C. Cavattoni *Tre carmi latini composti a mezzo il sec. XV in lode di V. Pisano*, Verona 1861, 10).

Guarinus Veronensis Iacobo Lando librario politissimo.

Erano due distici.

*Lettere perdute*

(Si trovavano in un codice Veronese, chiamato ora Bevilacqua, ora Muzzelliano, ora Sambonifacio, secondo le famiglie che lo possedettero. Cfr. per maggiori notizie A. Segarizzi in *N. Archivio Veneto* XX p. 80-81, 83, 107).

## 936.

Guarino a Lodovico di Sambonifacio.

Quanto splendore --. Loda Iacopo Cavalli.

<Ferrara>.

## 937.

Guarino allo stesso.

Cum multa in dies —

<Ferrara>.

## 938.

Guarino allo stesso.

Nonnulla commisi —

<Ferrara>.

## 939.

Guarino allo stesso.

Accepi litteras tuas —

Ex Ferraria 1442.

## 940.

Lod. Sambonifacio a Guarino.

Fac me commissum —

<Lendinara> 1442.

## 941.

Guarino a Lod. di Sambonifacio.

Tardiusculus videor —

<Ferrara>.

## 942.

Guarino allo stesso.

Totiens nova —

<Ferrara>.

## 943.

Guarino allo stesso.

Ascanius tuae magnificentiae —

<Ferrara>.

## 944.

Guarino allo stesso.

Ascanius tuae in se caritati —

<Ferrara>.

## 945.

Guarino allo stesso.

Hunc meum puerum mitto —

<Ferrara>.

## 946.

Guarino allo stesso.

Quod quaeris —

<Ferrara>.

*Lettere di dubbia autenticità*

Le seguenti sei lettere sono tratte dal cod. di S. Pietro di Salzburg b VI 31.

## 946 A.

f. 25. Guarinus Francisco sal. pl. d.

Recepi iterum a te litteras et una cum his epistulam doctissimi viri Angeli Flore<n>tini, ex qua cognovi illum et eloquentissimum esse et mei amantissimum. Iocundissimum est mihi illum tecum sentire de mea amicitia et tam ex animo de me scribere. Hunc ego egregium virum non noveram antea, ita<que> nec poteram diligere; nunc vero suo de me iudicio et affectione <mihi> placeo et benvolentiae amorique quem prae se fert in litteris suis, etsi non pari amicitia, at saltem qua dabitur respondeo. Dignus est profecto et amari a me et coli talis vir itaque de nomine meo meritus. Non deero mihi, Francisce, sed

---

946 A, 6 ergo cod. | 8 plano cod. | - ntia amoreque cod. | 9 respondeo cod.

ut primum per negotia potero scribam ad eum agam <que> gratias pro hisce litteris tuis. Cupio enim colloqui secum per has <ferias>, licet hi calores me reddiderunt aridiusculum ad scribendum, adeo ut necesse sit me etiam verba expiscari cum loqui 15 volo: sed interim pluet et nos humectabimur.

## 946 B.

f. 12. Guarinus Veronensis Leonhardo Aretino sal. pl. d.

Ingens in te mee mentis affectio non fert ut longius permaneam quin te meis litteris adeam (manca il resto).

## 946 C.

f. 27<sup>v</sup>. Tantis incommodis, o Guarine prudentissime, hoc tempore afflictor ut neque auxilium michi sit neque spes neque consilium. Tu si quid habes quo hanc meam egritudinem possis levare fac ad me scribas; quanquam vix quid potest esse quod a te possit michi in tantis malis offerri. Excessit enim vis huius 5 mali omnia humana remedia et eo loco res mee peryenerunt ut nullum ego exitum illis videam, nisi quem mors michi attulerit. Nam ita miser sum, ut iam non habeat fortuna ubi possit me ferire; ipsa quidem salus etiam si velit non possit me hiis malis eximere. Temptabis tamen, vir amicissime, si quid erit quo michi 10 possis opem aliquam afferre: semper enim ea prudencia ac sapientia fuisti, qua a te aliquod michi esset consilium quominus acerbe omnia preferrem. Narrarem hoc loco tibi quo in statu essem, nisi et dolor me prepediret et tu is esses qui fortunam meam satis nosces. Plura iam ad te pre lacrimis scribere non possem, 15 sed tu officio tuo ac pietate in me fungere. Vale michique compaciare.

14 ariusculum *cod.*

946 B, 3 adiam *cod.*

946 C, 16 mihi quoque *cod.*

## 946 D.

f. 28. &lt;Guarino a?&gt;

Malleum te posse aliquo meo auxilio quam consilio iu-  
 vare; quae facultas si mihi adesset, certe nulla res meam in te  
 benivolentiam ac pietatem impedisset. Sed postquam id quod ma-  
 5 xime in tua adversitate optabam a me non potest fieri, illud  
 a<d> te consilium scribo quod ego saepe in meis rebus adver-  
 sis usus fui. Cum enim aliquando in simili fortuna fuisse nec  
 aut praceptoris hominum aut philosophorum aut consolatione ami-  
 corum dolorem meum levare possem, longe <ab> aspectu ci-  
 10 vitatis et earum rerum quibus privatus fueram discessi. Nam haec  
 res solent cum aspiciuntur nimium exacerbare animum et revo-  
 care desiderium prioris fortunae. Coepi igitur vitam in solitudine  
 agere. Videbam multa, quae natura produxisset, suis rebus con-  
 tenta nec sibi invidere; cogitabam turpissimum esse hominem, qui  
 15 rationis ac divinitatis esset particeps, non posse consilio naturae  
 adquiescere; illud autem esse nephandum, non putare se posse  
 inter homines praestare nisi his rebus ornati essemus, quae nec  
 sua natura excellunt et quae etiam ad improbos uberius plerun-  
 que quam ad bonos veniunt. Confirmaram equidem animum meum  
 20 his rationibus atque exemplis ut, qui nulla prius ratione pertur-  
 bationibus meis remedium invenire poteram, ita omnibus curis  
 levatus fui ut non tantum moerorem meum deponerem, sed etiam  
 iudicarem aliquando me feliciorem quam prioribus opibus: tanquam  
 aliquibus impedimentis ad bene vivendum exemptus essem. Si hoc  
 25 volueris tecum attentius iudicare, non video cur non sis magna  
 ex parte tot malis tuis ac molestiis magnum aliquod remedium  
 allaturus. Sed tamen omnia pro tua sapientia aequo animo feras;  
 stabis animo erecto et preferendo vinces fortunam quae te prius  
 vicerit. Si hoc feceris, maiorem certe gloriam ex tua victoria quam  
 30 ex omnibus rebus iacturam referes. Bene quidem te his remediiis  
 usurum spero tantoque facilius quanto magis ceteris hominibus  
 virtute et sapientia praestare te scio.

---

946 D, 9 aspectum cod. | 10-11 hec tres cod. | 14 cogitabantur pissimum  
 cod. | 20 - cionis cod. | 23 faciliorem cod. | 25 nos sis cod. | 30 de hiis cod.

## 946 E.

f. 27. <Pergamensis suo Guarino s. p. d.>

Cum tuus Pergamensis, mi Guarine, te semper amaverim nunquam tamen magis optavi quam hoc tempore officiosus in re tua videri; itaque quidem racio tuorum poscebat, nam nisi pedibus et manibus laborassem ut meliori loco res tua esset, 5 certe de tuis fortunis actum erat. Nunquam de te sollicitus esse destiti donec omnia tua in tuto collocavi. Conveni amicos spon- sionem pro te feci argentum numeravi causam tuam egi, ipsos denique adversarios tuos de omni sua spe deieci; multaque iam perturbata et confusa labore meo atque industria in sedem suam 10 ac locum restitui. Is autem exitus cause fuit ut omnes adversarii tui fracto animo et magna cum indignatione ex ipso iudicio et lite cederent. Sentenciam autem quam pro te iudices tulerunt per hunc tabellarium ad te mitto, a quo melius omnia disces que a me tuo in negotio gesta fuerunt. Hec tibi nota esse velim quo 15 meus in te animus melius perspectus est (esset ?). Vale mi vir.

## 946 F.

f. 27<sup>v</sup>. Guarinus suo Pergamensi sal. pl. d.

Virorum amicissime: ut tuam ingenitam naturam bene decet, ita erga me facis. Sollicitudinem tuam ac studium quo in mea causa usus fuisti et laudo et a<m>miror sed longe magis ipse animus quo in me uteris delectavit me; nihil enim video quod 5 ad hanc tuam in me benvolentiam addi possit. Utinam possim quantas habeo tibi gratias aliquando re ipsa referre. Sed hoc tibi persuadeas velim memoriam in me tuorum beneficiorum futuram sempiternam. Quantum animo eniti potero, tantum et efficiam ut de nulla re saepius cogitem quam ut ea semper faciam quae te 10 velle atque expectare intelligam. Cetera fortunae aut imprudentiae assignabis, si quid erit in quo tuis immortalibus in me officiis quantum oporteret satisfacere non videar. Vale.

*Lettere falsamente attribuite a Guarino*

**947.**

(Vindobon. 3214 f. 51).

In lites Grecie, videlicet Atheniensium et Lacedemoniorum,  
opusculum Guarini Veronensis clarissimi oratoris.

Animadvertis nonnunquam, o Angele, te admirari solere meam  
ut ita dixerim cunctacionem ac tarditatem quociens.

5 Non è di Guarino, ma del Bruni, che indirizzò l'opuscolo  
ad Angelo Acciaioli (cfr. Leon. Bruni Aretini *Epist.* rec. L. Me-  
hus, I p. LVI).

**948.**

(Magliabechi. VII 1095 f. 22).

Versus cuiusdam prestantissime damicelle ad Guarinum Ve-  
ronensem.

Aoniis nutritے vadis et fontis alumne  
Castallii, nostro res admirabilis evo,  
Si modo me veniens studiis iuvenilibus aptau  
Sollicitamque pile vanis insistere ludis  
5 Vidisti, te nulla quidem admiratio facti  
Commoveat: labor est stimulus frenare iuvente.

Più che a Guarino, il piccolo carme è indirizzato, se pure fu effettivamente indirizzato, al Panormita; poichè la risposta che segue, col titolo *Responsum Guarini*: Elisia auricomas inter celeberrima nimphas, è un'elegia del Panormita (cfr. Cinquini e Valentini *Poesie latine inedite di A. Beccadelli detto il Panormita*. Aosta 1907, 13).

---

947, 2 In margine, di mano contemporanea: Hanc vide epistolam a principio codicis Citerni litis grecie a k. 13.

948, 2 Castalio cod.

## 949.

(Canon. misc. 484 f. 48<sup>v</sup>; Berl. lat. 8° 148).

Guar. Ver.

**Auctum te familia nuncias —**

È di un ignoto.

## 950.

(Riccard. 779 f. 107<sup>v</sup>).

Gua. Vero.

**Bartolomeus Veronensis —**

È di Guiniforte Barzizza, come risulta dalla chiusa: Vale pater optime et quod semper fecisti ama Guinifortum tuum.

## 951.

(Pubblicata in Plutarchi *Vitae illustr. vir.* Romae 1470, I f. 266; in *Biblioth. Smith.* CCCXLI e altrove).

Dedica alla traduzione della vita di Mario di Plutarco.

**Cum Artaxersi Persarum regi —**È di Antonio da Todi: cfr. cod. Est. 429, scritto del 1469: *Antonii Tudertini prohemium in C. Marii vitam ex Plutarcho per eum in latinum traductam.* Così nei codd. Vatic. 1880 f. 135<sup>v</sup>; 1881 f. 241 e altrove.

## 952.

(Bologn. Univers. 2720 f. 138).

Guarinus s. p. d.

**Cum (Quom) fortuna opes olim —**

Non è stile di Guarino. Sarà del figlio Battista?

## 953.

(Monac. lat. 504 f. 200).

Cl. et doctissimo viro I. N. Saler.

Si vales valeo.

Cum hesterno die pro mea —

È un moncone. Di un ignoto.

## 954.

(Riccard. 924 f. 187; Novar. Capitol. 122 f. 164; Iena Bud. 4.<sup>o</sup> 105 f. 105).

Guarinus Veronensis s. d. p.

Cum litteras ad te daturus essem —

Di Guiniforte Barzizza, come apparisce dal contenuto; pubblicata in Barzizii *Opera* II 119.

## 955.

(Canon. misc. 484 f. 37<sup>v</sup>).

Guarinus unice phenice sue.

Dicere non possum anime mi —

Di un ignoto.

## 956.

(Canon. misc. 484 f. 47; Berl. lat. 8.<sup>o</sup> 148).

Guar. Ver. suo F. s. p. d.

Egre fero quod tam diu me absque —

Di un ignoto.

## 957.

(Ambros. H 91 sup. f. 110).

Epistola Guarini Veronensis ad ill. ducem Mediolani.

Efflagitasti nuper a me —

È la dedica con la quale il Panormita accompagnò nel 1431 a Filippo Maria Visconti una dissertazione sul sole. La dissertazione non s'è ancora trovata. Cfr. Barozzi e Sabbadini *Studi sul Panormita e sul Valla* 13; R. Sabbadini *Ottanta lettere inedite del Panormita*, Catania 1910, 59.

## 958.

(Monac. lat. 5350 f. 118<sup>v</sup>; Badia di Salzburg IX 8 b f. 353).

Gasparinus Guarino Veronensi s. d.

Ex causa quam ut spero —

Non è indirizzata a Guarino.

## 959.

(Vatic. 5126 f. 69<sup>v</sup>; Brera AG IX 43 p. 163; Querin. C V 11; pubblicata da me in *Rivista di filologia* XVI 101, in *Museo di antichità class.* II 394-5 e *Storia e critica di testi latini* 103).

Guarinus suo Francisco Barbaro s. p.

Fuerat animus mihi nondum —

Non di Guarino, ma di Gasparino Barzizza.

## 960.

(Bologn. Univers. 2720 f. 138<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis d. Angelo de Eubaldis s. p. d.

Gratissime nobis littere tue reddite —

Non di Guarino; forse del figlio Battista.

## 961.

(Arundel 138 f. 300).

Guarinus ad reginam Arragonie condolendo de morte eius mariti.

Heu rem publicam nostram tanto principe —

Di un ignoto.

## 962.

(Riccard. 759 f. 157; pubblicata in Poggii *Opera*, Basileae 1538, 332).

Poggius Guarino s.

Hodie accepi a te litteras —

Ferrarie II maii <1438>.

Non è indirizzata a Guarino, ma al Guarnerio; infatti termina: Vale mi suavissime Guarneri.

## 963.

(Harleian 4150 f. 95<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis s. p. d. doctissimo viro Nicolao Leonardi phisico.

Hodie apud d. Franciscum cardinalem florentinum —

Ex Constantia III nonas aprilis <1417>.

*Guarinus Veronensis* è scritto su rasura. Il vero autore è P. P. Vergerio. Pubblicata in *Epistole di Pier Paolo Vergerio*, Venezia 1887, p. 67.

## 964.

(Laur. Ashburn. 278 f. 2<sup>v</sup>; Est. 57 f. 142<sup>v</sup>; Ferrar. 110 NA 4; Balliol 135 f. 62<sup>v</sup>; Parig. 5834 f. 88; Monac. lat. 5350 f. 91<sup>v</sup>; 5639 f. 6<sup>v</sup>; Marc. lat. XIV 221 f. 117; pubblicata dal Contarini *Anecdota*; cfr. Agostini *Scritt. viniziani* I 173).

Πρὸς τὴν Κύπρου βασίλισσαν ζωγραφίας ἐγκώμιον.

Ad Cypri reginam laus picture Guarinus.

Mecum nuper cogitabam quid facerem —

I cod. Est., Ferr., Balliol attribuiscono la lettera a Guarino; il Marc. e il Contarini a Leonardo Giustinian, a cui veramente appartiene. Mancano del nome dell'autore gli altri, compreso il Laur. Ashburn., che dà l'intestazione greca.

## 965.

(Canon. misc. 484 f. 47<sup>v</sup>; Berl. lat. 8.<sup>o</sup> 148).

Gua.

Non oportere arbitror ad te —

Di un ignoto.

## 966.

(Berl. lat. 2.<sup>o</sup> 557 f. 227<sup>v</sup>).

Leonardus Aretinus Guerino Veronensi s. p. d.

Nusquam adeo me delectassent —

Del Bruni a Tommaso Cambiatore; L. Bruni Aretini *Epist.* V 2.

## 967.

(Canon. misc. 484 f. 48; Berl. lat. 8.<sup>o</sup> 148).

Guarinus.

Que ex emergentibus.

Di un ignoto.

## 968.

(Bologn. Univers. 2720 f. 138<sup>v</sup>).

Guarinus Veronensis Christofero suo s. p. d.

Quas tibi gratias agam pro tuo —

Nel cod. Iagellon. 1956 p. 991 è anepigrafa. Forse del figlio Battista.

## 969.

(Vatic. 5197 f. 98).

Gua. Galesio.

Sī vales bene est.

Quia magnae mihi curae —

Non è di Guarino.

## 970.

(Canon. misc. 484 f. 46<sup>v</sup> : Berl. lat. 8.<sup>o</sup> 148).

Guarinus Veronensis suo F. s. p. d.

Quod laboretis ut eo mittar —

Di un ignoto.

## 971.

(Bologn. Univers. 2720 f. 139).

Guarinus Veronensis Petro Iacobo Marchiano s. p. d.

Quod nullas ad te litteras adhuc —

Forse del figlio Battista.

## 972.

(Pubblicata dal Tonelli in Poggii *Epist.* II p. 13).

Poggius Guarino Veronensi s. p. d.

Recepi pridem a te litteras semilaceras —

Nei codd. Ambros. E 115 sup. f. 62<sup>v</sup>; F S V 18 è giustamente intestata *Gaspari Veronensi*.

## 973.

(Riccard. 779 f. 225; Bergam. A II 32 f. 35; pubblicata da me in *Museo di antichità class.* II 400-1 e *Storia e critica di testi latini* 112).

Guari. Vero.

Sepe me Iohannes Homodeus —

La lettera è anepigrafa; l'intestazione fu aggiunta in margine al Riccard. da altra mano. La lettera è di Gasparino Barzizza a Gerardo Landriani.

## 974.

(Vatic. 5197 f. 100).

Guar. suo viro Paulo s. p. d.

Si repentinus huiusce nuntii —

Non di Guarino, ma di qualche suo scolare.

## 975.

(Vindobon. 3230 f. 184<sup>v</sup>; Arundel 70 f. 122; Monac. Univers. 2.<sup>o</sup> 607 f. 195<sup>v</sup>; Treveri 1879 f. 52; Ambros. O 66 sup. f. 19).

Guarinus Veronensis s. d.

Vetus amor noster eo iam —

Il solo cod. Vindob. dà l'intestazione, gli altri sono anepigrafi.

Lo stile non è guariniano. La lettera è indirizzata a un

Niccolò, stato podestà di Verona, poco tempo dopo che n'era partito. Podestà a Verona di questo nome fu Niccolò Zorzi dal giugno del 1418 al giugno del 1419. L'autore potrebb' essere stato Guglielmo della Pigna. Niccolò aveva nome anche il Marcello, podestà a Verona nel 1457. Per lui scrisse l'orazione di commiato Battista Guarino; cod. Ottob. 1677 f. 59: *Baptiste Guarini oratio ad insignem ac patricium virum Nicolaum Marcellum functum pretura Veronensi habita IIII kal. febr. MCCCCCLVIII.* Si intelligerem —. Ma lo stile della lettera non mi pare nemmeno di Battista.

## 976.

(Marc. ital. I 70 f. 20<sup>v</sup>).


Serenissimo principi Philippo Marie duci Mediolani Quirinus Veronensis se commendatissimum facit.

Gloriosa et adulatoria preconia rhetorum quibus oratores —

La lettera, come tutto il codice, è scritta da fra Filippo Strada, il quale difficilmente avrebbe scambiato *Guarinus* con *Quirinus*. Guariniana non è l'intestazione e tanto meno lo stile. Lo scrivente accompagna al Visconti un commento latino dei sette salmi penitenziali: e commentare testi sacri non era nelle consuetudini di Guarino. Si tratta pertanto senza dubbio di un Quirino o Querini veronese: cognome questo molto diffuso nella regione veneta.

Si devono aggiungere 18 lettere nel cod. civico di Lucerna M. 2.<sup>o</sup> 320 (f. 1-7) di Gasparino Barzizza, intestate erroneamente a Guarino Veronese. Si veda la mia descrizione del codice in *Bollettino storico della Svizzera italiana* 1910, 124-5.

---



## INDICE DEGLI INIZI DELLE LETTERE

---

Si trascurano le formole *Si vales* ecc. e i titoli *Reverendissime* ecc.

Ciascuna lettera porta il numero d'ordine che ha nel testo.

595	Accede huc Paule	83	Alius tuarum amoenitatem
124	Accepi diebus proximis abs te nonnullas	616	Altera iam messis
413	Accepi diebus proximis litteras tuas	116	Alteras abs te accepi quibus
476	Accepi litteras plenas officio	28	Alteras ad te descripsi quibus
939	Accepi litteras tuas	452	Alteras ad te triduo ante
266	Accepi litteras tuas summa cum	206	Alteras humanitate sapientia
343	Accepi litteras vere tuas	850	Alteri molesta esset
472	Accepi nudius tertius litteras	462	Amorem tuum saepenumero
891	Accepi nuper a te litteras iocunditatis	829	'Αναγνόντι
301	Accepi nuper litteras tuas omni	947	Animadverti nonnunquam o Angele
834	Accipe de modico	3	Animadverti saepenumero me- cum
719	Accusandus apud te	19	Animadverti saepe Paule
398	Accusas me fortasse	771	Animum superioribus diebus advertis
571	Acerbum hodie vulnus	229	Annis abusque teneris
10	Ad gravissimos labores	797	Anno superiori rediens
561	Ad te confugio consilium	38	Antequam ex Patavio
895	Aegerrimis quidem pedibus	568	Antequam legendi cura
956	Aegre fero quod tam diu	948	Aoniis nutrite
217	Affecisti me summa	88	Apologiam apud te
82	Affectus sum singulari	641	Apud alium reddenda
924	Ago tibi gratias	828A	Apud maiores nostros
330	Alias tuam ad humanitatem	930A	'Αρπτ. τοῦ
319	Aliquos accepi a te	944	Ascanius tuae in se
179	Aliquot a me scriptas	943	Ascanius tuae magnificentiae
227	Aliquot iam dies	271	Atque etiam restitas
127	Alius cum se tibi	949	Auctum te familia
69	Alius mihi succenseret	760	Audisse ab ineunti
418	Alius naturam incusaret	355	Aurispa Siculus

482	Barbara quem duro	106	Cum a me proximis diebus
950	Bartholomaeus Veronensis	769	Cum amicorum communia
458	Beasti me fateor Hieronyme	195	Cum amorem tuum erga me
691	Beasti me tuis litteris quas	407	Cum antea Zenonis
335	Beasti me tuis litteris quibus	951	Cum Artaxerxi
662	Bene ac iocunde facis	852	Cum cuperem post longum
904	Bene ac prudenter parentes	264	Cum de tua valitudine
814	Beneficio et liberalitate	410	Cum dudum abs te litteras
297	Bene immo optime	881	Cum essem in balneis
906	Biennio cum iam exacto	225	Cum expectarem litteras
270	Binas ad te scripsi	795B	Cum expectarem nuper
186	Binas his diebus abs te	659	Cum ex Villarasco
337	Binas hoc tempore litteras	952	Cum fortuna opes
309	Bonetus	791	Cum habeam cognitum
352	Calcia tuo nomine	953	Cum hesterno die
768	Cavitellum	182	Cum hoc ipso Pasio
744	Celsior in cancero	914	Cum huius
427	Cessare nescis	794A	Cum ingentia de nobis
590	Clare Guarine	610	Cum iocundus et gratus
686	Cooperam tuae tam diurnae	680	*** Cum iuvenilibus annis
108	Cogitabam ut aliquid	233	Cum Leonardus
460	Cogitanti mihi aliud	954	Cum litteras ad te datus
706	Cogitanti mihi Leonelle	525	Cum longiores ad te
815	Cognitam humanitatem	816	Cum magnam tua ex praesentia
76	Commendaturus eram	930	Cum magnas tuae humanitati
531	Confecisti me dolore	774	Cum magnopere scire
813	Confiteri profecto	513	Cum manifesta sit
150	Conquerimur	819	Cum maxime cuperem
729	Constitui crebras	287	Cum mearum aliquid ad te
775	Constitui saepenumero	478	Cum mihi de te rogitanti
710	Contemplanti mihi	627	Cum multa et innumerabilia
836	Convenere pares	937	Cum multa in dies
664	Credebam pro tuae	369	Cum multa sint in te
348	Credideram quom Graecorum	695	Cum multis aliis in rebus
789	Credo generosa virago	707	Cum multorum sermonibus
585	Credo tabellarios omnes	44	Cum nihil habeam quod ad te
429	Credo te constituisse	180	Cum nihil haberem quod ad te scriberem
368	Credo te in patriam	87	Cum nihil quod ad te scriberem
711	Credo vir insignis te	795A	Cum nonnulla nostris
761	Cui Francisee novam	411	Cum nuper ad te res serim
215	Cum alias semper tum vero hoc die te	595A	Cum nuper hac iter
236	Cum alias tum hoc praesertim	367	Cum occurisset
220	Cum aliis de causis	190	Cum per hos dies Murianum
325	Cum aliquid ad te scribere	796	Cum permulta sint

922	Cum plurimos tuae paternitati	454	Dicere non possem quantas tibi
21	Cum Plutarchum	556	Dicere non possem quanto tui
716	Cum praeclara ac paene	178	Dicere non possem suavissime
808	Cum praeclaram vereque	955	Dicere non possum anime mi
448	Cum pro amore nostro	126	Dicere non possum quanta i-
281	Cum pro iure amoris		cunditate
145	Cum pro mea benivolentia	58	Dicere non possum quanto de-
371	Cum quanta tibi		siderio
80	Cum quidam abs te	166	Dicere non possum quantum
873	Cum redeuntis		laetitiae
291	Cum scribere aliquid ad te	18	Dicta vir o patriae
405	Cum semper avidissime	1	Δωρεῶν
480	Cum semper me abs te	402	Didici a maioribus
721	Cum semper te studiosum	697	Dies hic mihi
240	Cum septimo kalendas sextiles	61	Dii male faciant
527	Cum sponte mea	20	Dissimulare nequis
598	Cum statussem	492	Diutius disceptavi
655	Cum summam tuis ex litteris	446	Diutius responcionem
323	Cum Tadeus	778	Divinus ille Plato
824	Cum te Guarine	844	Doctissimus adulescens
692	Cum te magnis in causis	647	Doleamne
441	Cum te semper tanti	246	Doleo mi Guarine
451	Cum tua consuetudo	112	Doleo non id
848	Cum tuae litterae mihi per-	176	Dudum antea
	gratae	420	Dudum cum tuas
741	Cum tua in me caritas	832	Dudum inter legendum
801	Cum tuam observandissime	581	Dudum tecum tacui
526	Cum tuas avidissimus	822	Dum in solo patrio
544	Cum tuas maxime expectarem	436	Dum senatus Veneti
799A	Cum tuis humanissime		
261	Cum tuum te Polianum	280	Eadem hora
946E	Cum tuus Pergamensis	795	Ecce effectum
322	Cumulare non desinis	879	Ecce mitto
762B	Cum virtutum tuarum	724	Ecce solita
494	Cupereim ut hasce	833	Ecce Servius
591	Cupienti mihi	308	Ecce tributum
154	Cupio magnopere	878	Ecce venienti
412	Cupio omnem de te	957	Efflagitasti nuper
838	Cur Guarine tuos	70	Ego tecum ob quotidianas
		461	Egregia quadam
14	Deciderat mente	802	Episcopus
587	Deerat id solum	243	Epistula tua nuper ad me
765	Delectarunt me laureatae	36	Erat animus a querellis
548	Deo gratias	152	Erat animus incusare
862	De proximo tuas	727	E Rhodo

- |     |                            |     |   |
|-----|----------------------------|-----|---|
| 11  | 'Ερωτης                    | 66  | Franciscus Barbarus                         |
| 860 | Et mecum gloria            | 388 | Franciscus Marianus                         |
| 347 | Etsi acceperam             | 694 | Franciscus noster Ferrarensis               |
| 592 | Etsi contentum             | 959 | Fuerat animus mihi                          |
| 329 | Etsi expectare             | 15  | Fuere mihi pergratissimae                   |
| 456 | Etsi geminis tuis          | 746 | Fulges luce                                 |
| 847 | Etsi iam diu nihil         | 656 | Gaudeo ac mirifice                          |
| 644 | Etsi iocundissimae         | 357 | Gaudeo immo vero                            |
| 404 | Etsi mihi conscius         | 35  | Gaudeo magnopere                            |
| 766 | Etsi mihi dubium           | 96  | Gaudeo meum abs te                          |
| 607 | Etsi mihi persuaserim      | 336 | Gaudeo nonnullam                            |
| 232 | Etsi nihil ad te           | 306 | Gaudeo tuam in me                           |
| 534 | Etsi nullo tempore         | 316 | Gaudeo vero et serio                        |
| 781 | Etsi parum apud            | 875 | Gaudere quidem tecum                        |
| 164 | Etsi quibusdam meis        | 289 | Gaudium mihi in dies                        |
| 699 | Etsi saepenumero           | 81  | Γέγονε                                      |
| 98  | Etsi supervacua            | 657 | Geminis provocatus                          |
| 565 | Etsi te sentiam            | 504 | *** Generosissimae mulieri                  |
| 506 | Etsi vehementer            | 976 | Gloriosa et adulatoria                      |
| 855 | Etsi vir nobilis           | 913 | Gratias ago et laudes                       |
| 466 | Evenit mihi                | 639 | Gratias ago Gellio                          |
| 958 | Ex causa quam              | 222 | Gratias et quidem ingentis                  |
| 151 | Execrari                   | 324 | Gratissimae fuere litterae tuae<br>quibus   |
| 693 | Exiguum placido            | 174 | Gratissimae mihi fuerunt litterae<br>tuae   |
| 56  | Ex iis litteris quas nuper | 960 | Gratissimae nobis litterae tuae<br>redditae |
| 328 | Eximius legum              | 117 | Gratissimas litteras tuas haec<br>ipsa      |
| 32  | Ex litteris Iohannis       | 208 | Gratissimum est quod tuis                   |
| 876 | Ex litteris tuis vir       | 305 | Gratissimum proximis diebus                 |
| 619 | Ex litteris vestris        | 638 | Gratulor atque omni                         |
| 630 | Exoratum te                | 931 | Gratulor tibi vir eruditissime              |
| 114 | Expectavi hactenus         | 841 | Gregorius filius                            |
| 294 | Explicare non possem       | 341 | Guarine mi eruditissime                     |
| 501 | Ex posterioribus quas      | 916 | Guarine τιμώτατε                            |
| 645 | Ex quo tuas                | 469 | Guarine virorum optime                      |
| ;   | ;                          | 251 | Habeo promissionem                          |
| 201 | Facere non possum quin     | 606 | Habeo quod tibi nuntiatum                   |
| 339 | Facile fuit impetratu      | 901 | Habeo tota quod mente                       |
| 12  | Facile tibi persuadebis    | 2   | Habes tota quod mente                       |
| 510 | Facis vir amplissime       | 817 | Habui litteras tuas                         |
| 940 | Fac me commissum           |     |   |
| 923 | Factus sum certior         |     |   |
| 579 | Fama volat                 |     |   |
| 177 | Familiaris tuus            |     |   |
| 671 | Fatebor tibi               |     |   |
| 437 | Fateor grande              |     |   |

263	Hac die tuas suscepi litteras in quibus	897	Hoc mirum
39	Hac die unas abs te litteras per	189	Hoc tempore magnifice
169	Hac ferme hora te in	542	Hoe tempore matutino
752	Hac hora duobus cum	377	Hoc tempore quo ut poeta
635	Hactenus absentiae	551	Hoc unum inter
391	Hactenus cum me abs te	705	Hoc vesperi tuas accepi
933	Hactenus omni studio	962	Hodie accepi a te litteras
467	Hactenus quandiu	963	Hodie apud d. Franciscum
212	Hactenus vir magnifice	239	Hodie cum egregius
726	Haec ad te subverecunda	332	Hodie cum tuas litteras accepi
173	Haec caeli serenitas	485	Hodie cum tuum clarissimum
528	Haec tempora seu verius	552	Hodie ex Ravenna
682	Haec ut me tibi incuset	231	Hodie festum egi
33	Haec ut mihi apud te	385	Hodie in legendis
142	Hanc vel pestem	43	Hodie maximum laudibus
524	Hanc vicariam	360	Hodie me maxima
475	Haud unquam me	187	Hodie mihi ad scribendum
708	Heri cum revertissem	293	Hodie nuntiatum
268	Hesterna die tuas accepi litteras	321	Hodie recreatus
283	Hesterno die cum a multis	211	Hodierno die et litteris
523	Hesterno die cum de communis	620	Hodierno die mi rex
683	Hesterno die cum inter Caesaris	688	Hodierno die quem semper
409	Hesterno die dulcissimus	326	Hodie rogatus
320	Hesterno vesperi cum essem	495	Hodie te in cenam
479	Hesterno vesperi ex Mantua	624	Hosce tibi scelestos
256	Hesterno vesperi Iacobus	634	Hui! quodnam
546	Hesterno vesperi litteras accepi	722	Hui tam citus
424	Hesterno vesperi magnas	945	Hunc meum puerum
755	Hesterno vesperi redditae sunt mihi	690	Humanitas Iohannis
162	Hesterno vesperi tuas accepi litteras	91	Humanitas tua et ad bene
77	Hesterno vesperi unas abs te recepi	794	Hunc Guarine
961	Heu rem publicam	588	Iacobus hic litterarum
481	Hic Galasius	435	Iam binas ad te
689	Hic Iohannes	282	Iam omne litterarum
764	Hisce diebus eques insignis	831A	Iam pridem litterulae
805	Hisce diebus magnanime	248	Iandudum nihil
160	Hisce diebus unas a Pisone	745	Iandudum tacitus
898	Hoc Guarine alias	601	Igitur expecto
85	Hoc in primis abs te	723	Illustrissimae dominationi
31	Hoc in primis tibi	672	Immortalis erga me
		681	In agrum cum
		163	Incusarem ego te
		90	Incusavi et multotiens
		714	Inexhaustum

- |      |                             |      |   |
|------|-----------------------------|------|---|
| 866  | Ingens hactenus             | 883  | Licet superiori aestate                 |
| 946B | Ingens in te meae           | 643  | Licet tua mihi                          |
| 718  | Ingentes habeo              | 130  | Litterae tuae a me hac die              |
| 210  | In hoc tuo discessu         | 663  | Litterae tuae fuerunt iocundae          |
| 310  | Inique sane                 | 290  | Litterae tuae ita me                    |
| 342  | Iniungitis                  | 24   | Litterae tuae mihi eo perca-<br>riores  |
| 618  | Innumeras si tibi           | 732  | Litteras ab insigni domino              |
| 625  | In suspicione               | 784  | Litteras equidem libenter               |
| 333  | Intellexi satis             | 751  | Litteras tuas                           |
| 934  | Inter acerbissimas          | 314  | Litteras tuas accepi et scriptore       |
| 13   | Inter fluctuandum           | 614  | Litteras tuas ad Ferrarium              |
| 577  | Inter multas et immortales  | 161  | Litteras tuas mihi sane                 |
| 539  | Inter multas et quotidianas | 241  | Litteras tuas nunc nunc                 |
| 867  | Invenies aliquas            | 121  | Litteras tuas plenas amoris             |
| 122  | Invenire nequeo             | 763  | Litteras tuas post sudores              |
| 358  | Iocundissimas accepi        | 247  | Litteras tuas proxime suscep <i>i</i>   |
| 403  | Iohannes Bontura            | 165  | Litteras tuas quas diebus pro-<br>ximis |
| 640  | Iohannes de Panzaticis      | 809  | Litteras vestrae magnificentiae         |
| 312  | Iohannes ex Castello        | 439  | Litteris quas superioribus ad<br>me     |
| 415  | Iohannes hesterno vesperi   | 720  | Longa inter vos                         |
| 255  | Iohannes Peregrinus         | 786  | Longo atque vehementi                   |
| 498  | Iohannes qui has            | 782  | Longo sane intervallo                   |
| 68   | Is qui has tibi             | 521  | Longum videor                           |
| 278  | Ita facito                  | 602  | Lucanum bellum                          |
| 928  | Itala quem geminae          | 113  | Luculentam illam                        |
| 133  | Ite mei lacera              |      |   |
| 899  | La benigna vostra           | 529  | Magna consolatione                      |
| 554  | Laetitiam et consolationem  | 626  | Magnae tibi gratiae                     |
| 807  | Laetor mi Guarine           | 519  | Magnam afferunt mihi                    |
| 364  | Laetor plurimum tuis        | 660  | Magna me tenet                          |
| 869  | Laetum mihi nuntium         | 661  | Magnas atque adeo                       |
| 611  | Larvati dicunt              | 359  | Magnum ducimus                          |
| 363  | Laudo magis quam            | 153  | Magnum hodie litterarum                 |
| 623  | Laudum tuarum               | 317  | Magnum tuis ex                          |
| 709  | Laurentius de Prato         | 550  | Magnus erit mihi                        |
| 800  | Lectis litteris tuis        | 5    | Maiores nostros Angele                  |
| 865  | Legenti mihi nuper          | 63   | Male immo vero                          |
| 111  | Legi hodie litteras         | 95   | Male meritum me                         |
| 463  | Leonardus Dantis            | 946D | Mallem te posse                         |
| 468  | Libens utique               | 651  | Manuel Chrysoloras                      |
| 273  | Libentissime                | 258  | Mariotus                                |
| 204  | Libri quos per              | 168  | Maximas tibi gratias                    |
| 628  | Licet febrem                |      |   |
| 60   | Licet inter quotidianas     |      |   |

- |     |                              |      |                               |
|-----|------------------------------|------|-------------------------------|
| 382 | Maxime vellem                | 79   | Nisi cognitam et ab adule-    |
| 221 | Maximum ac iocundum          |      | scentia                       |
| 191 | Maximum hodie accepi         | 92   | Nisi cognitam et perspectam   |
| 74  | Meae ad te litterae          | 506A | Nisi scirem                   |
| 964 | Mecum nuper cogitabam        | 102  | Nisi summa benivolentia       |
| 54  | Memini cum nuper             | 522  | Nolle tam diuturnum           |
| 859 | Memini pater Nicolae         | 453  | Non audeo Martine             |
| 877 | Memoriae proditum            | 818  | Non defuit omnis              |
| 893 | Merito accusas               | 678  | Non desino Leonelle           |
| 903 | Mi Guarine mitto             | 902  | Non dubitabam                 |
| 851 | Mihi quidem ut               | 927  | Non ego lucra                 |
| 483 | Miraberis fortasse           | 276  | Non ignorare te               |
| 277 | Miraris et fortasse tacitus  | 712  | Non iniuria visus             |
| 491 | Mirificam voluptatem         | 57   | Non invitus quidem            |
| 245 | Mirifice delectatus          | 772  | Non mediocrem mihi dolorem    |
| 4   | Miris te congratulari        | 701  | Non mediocrem mihi dubita-    |
| 393 | Miror meas tibi              |      | tionem                        |
| 84  | Mirum ex multis              | 840  | Non memini post               |
| 167 | Mirum in modum tuae          | 938  | Nonnulla commisi              |
| 334 | Misisti ad nos               | 965  | Non oportere arbitror         |
| 471 | Mitto ad amplissimum         | 430  | Non parvae debentur           |
| 880 | Mitto ecce quinterniones     | 438  | Non parvum attulerunt         |
| 67  | Mitto tibi Themistoclem      | 486  | Non possum certe              |
| 185 | Multa tibi pollicitus        | 238  | Non possum facere quin        |
| 304 | Multi ad nos                 | 497  | Non possum mihi ipsi non      |
| 101 | Multis adeo nota             | 508  | Non possum non admirari       |
| 146 | Multos mirari credo          | 442  | Non possum non gratulari      |
| 515 | Multotiens cum tuas          | 250  | Non possum non insectari      |
| 574 | Multum diuque animo          | 224  | Non possum non maximas        |
| 400 | Munus eximum                 | 597  | Non potuit laetior            |
|     |                              | 605  | Non puto inter nos            |
| 26  | Naviculario                  | 29   | Non sine causa factum         |
| 868 | Ne expectes ut more          | 465  | Non sinit tempestas           |
| 473 | Ne expectes velim patronē    | 750  | Non solum tuae                |
| 118 | Ne expectes velim ut omnibus | 218  | Nostrum est officium          |
| 223 | Nescio quas tibi             | 518  | Novis quibusdam               |
| 16  | Nescio ubi sis               | 517  | Novos quosdam                 |
| 158 | Nescius sum                  | 811  | Nudius sextus in ipso         |
| 849 | Nicolaum Strozzam            | 49   | Nudius tertius cum Bartholo-  |
| 870 | Nicolaus filius              |      | maeum                         |
| 27  | Nicolaus physicus            | 104  | Nudius tertius cum pro mea    |
| 318 | Nihil est quod aequē         | 65   | Nudius tertius ex Patavio     |
| 207 | Nihil est quod vereare       | 327  | Nudius tertius tuae mihi red- |
| 812 | Nihil gratius nihil          |      | ditiae sunt                   |
| 908 | Nihil unquam                 |      |                               |

62	Nudius tertius tuas accepi literas quibus	30	O amoenissimam
202	Nudius tertius unas abs te literas accepi quae istic datae	434	‘Ο ἀφικόμενος
47	Nudius tertius unas abs te literas accepi quae tantum mihi	138	Ob divinam
55	Nudius tertius Verona	181	O execrandos
685	Nulla fere dies	757	O faustum
668	Nulla profecto Leonelle	853	Oἰδα μὲν
573	Nullum est aut dictum	237	Olim cum nullas
234	Nunc me iuvat	228	Olim in nostrae
205	Nunquam dubitavi quin	135	Omnem temptabo
490	Nunquam tam molestum	728	Omni ex parte tua in me effluit
687	Nunquam tanta possem	399	Omni ex parte tua sese patefacit
669	Nuntius ecce novus	433	Optabam fateor
423	Nuper abs te susceptis	735	Optavi iam diu
560	Nuper ad me scripsit	642	Optima ratione
315	Nuper aliquas ad te	547	Optime novit tua
748	Nuper aliquot dies	144	*** Optimo viro et mihi
863	Nuper cum e Ferraria	622	Optimus adulescens
684	Nuper cum in agrum	484	Ornatam ac suavem
235	Nuper cum in genitorem	390	Orpheus quid mirum
230	Nuper cum lugubrem	9	Ὤσην
459	Nuper cum nescio ; v. Nuper quom	930B	Ὤσον
389	Nuper cum Nicolaus	183	Pasiūm tuum
296	Nuper cum te animo	871	Peccasse in tuam
300	Nuper cum te honestissimo	72	*** per aetatem iuvenis esset
831	Nuper dulcissime fili	536	Per deum immortalem
52	Nuper ex patria mea	648	Per Iohannem praesentem
303	Nuper ex Tridentinis	474	Per Nicolaum
175	Nuper hic prudens	856	Per nobilem
269	Nuper in adventu	134	Petis ut quae sint
777	Nuper in isto tuo	48	Peto a te mi
824A	Nuper in legendis	593	Petrus Andreas
582	Nuper magno cum animi	426	Philippus canonicus
540	Nuper mecum quid ad te	354	Philippus tuus archipresbyter
105	Nuper Onofrius	676	Platonem virum
459	Nuper quom nescio quis	919	Plures ad te scripsi
6	Nuper Roberte	754	Plures et quidem
295	Nuper Thalamacius	667	Plurima cerno tuas
432	Nuper unas ad te	148	Plurimas gratias et tibi
594	Nuper ut meministi	779	Plurimi sunt serenissime
298	Nuper vir optimus	474A	Plurimum gaudeo
966	Nusquam adeo	679	Plusne dulcedinis
		213A	Plusne laetitiae

346	Posteaquam alteras ad te de- scripseram	884	Quaesivi diligenter
366	Posteaquam nuntius	379	Quam gratae quam iocundae mihi fuerint
803	Postquam allatus	384	Quam gratae quam iocundae mihi sint
299	Postquam a nobis	559	Quam incerti sint
408	Postquam geminas abs te	700	Quam inter bacchanalia
673	Postquam nuntiatum est	477	Quam iocunda ista
613	Postquam tu nostris	846	Quam laetus fuit
140	Postridie quam a me	823	Quam nescia mens
259	Praecipuam mihi	200	Quam primum ex agro
696	Primum quidem nostros	730	Quam tu mihi manum
45	Pristinam in me	267	Quam vanae quam fallaces
827	Privatas hactenus	449	Quamvis nunquam
915	Profecto nunc	804	Quando negotia ita
123	Pro veteris amicitiae	37	Quanquam nihil ad
172	Proximas litteras quasi	97	Quanquam Philippus
244	Proxime ad te non modo	22	Quanta benivolentia caritas
139	Proxime aliquid ad te	733	Quantae sint consuetudinis
608	Proxime litteras accepi	375	Quanta iniuria nostram
826	Proxime litteras tuae paterni- tatis	213	Quanta me benivolentia et ca- ritate
414	Proxime relatus est	596	Quanta me voluptate
313	Proxime tibi scripsi	275	Quantam ex tuis litteris
888	Proxime unas ad te	500	Quantam in percipiendo
184	Proxime ut aliquid ad te	216	Quanta sit in te cum gratitudo
790	Proximis diebus accepi litteras tuas in quibus	372	Quantas vires habeat
920	Proximis diebus ad te scripsi	851	Quanta voluptate tuarum
25	Proximis diebus cum moestis- simus	450	Quanti facio virtutem ; v. Tanti
34	Proximis diebus egregius	131	Quanto magis atque magis tuos
50	Proximis diebus magna quidem	566	Quanto magis magisque te pro
615	Proximis diebus per amicorum	578	Quanto magis magisque tua et dicta
159	Proximis diebus suavissimus	110	Quanto magis tuam humani- tatem
286	Proximis diebus tot ad te	125	Quanto me gaudio tuis
40	Proximis diebus tuas accepi litteras	373	Quantopere te diligam
188	Proximo vesperi Paupertatem	936	Quanto splendore
331	Pudet me	71	Quantum de litteris
892	Pungor interdum	617	Quantum me diligas
739	Quaedam amoris	545	Quantum nobis omnibus
967	Quae ex emergentibus	147	Quantum praesens iocundus
505	Quae mihi Ladizlaus	353	Quantum te diligam amemque
253	Quaeris consilium	156	Quantum te diligam cum aliis
		170	Quantus sit amicitiae

440	Quasi laetae futurae	665	Raimondus
968	Quas tibi gratias agam pro tuo	946A	Recepi iterum
653	Quas tibi quas reddam tali pro	972	Recepi pridem a te
894	Quas tibi quas referam tali pro	136	Redditis mihi litteris
249	Quemadmodum iocundissima	567	Rediens ad me Petrus
807A	Quem fundum	431	Rediens ex Ferraria
969	Quia magnae mihi curae	119	Rediens ex Verona
725	Quia sicut nosti	762A	Rediens nuper a tua
632	Quibus ego verbis tuam	843	Rediit iampridem
872	Quibus verbis et qua dicendi	381	Reliquum est
257	Quid agitur	670	Remeante proximis
380	*** Quid autem dicam	842	Revocatum
825	Quid autem maius	652	Ricordo ad voi
549	Quid faciet haec tempestas	917	Ridebis opinor cum ista
242	Quidnam inciderit	51	Ridebis opinor cum me
520	Qui facis arguta	910	Rispondendo a la parte
129	Quod ad me tam diu	925	Rogitanti mihi nuper
575	Quod et sero et breviter	857	Romani graiique
970	Quod laboretis ut		
666	Quod me diligas	621	Sacerdotem
42	Quod mihi tantum	973	Saepe me Iohannes
284	Quod mutum hoc	845	Saepenumero multiplex
971	Quod nullas ad te	171	Saepenumero pestem
946	Quod quaeris	783	Saepenumero tuae virtuti
926	Quod sequar ipse	704	Saepissime
64	Quod suavissimis litteris tuis	675	Saepius ante oculos
762	Quod superioribus litteris a me	599	Salve cara parens
909	Quod tuis litteris hactenus	747	Salve marmoree
749	Quo in loco res nostrae	537	Salve terra viris
	Quom ; v. Cum	226	Salvum te in patriam
417	Quo magis in dies experior	839	Sat iam praeterito
535	Quo magis magisque tuam ex- perior	149	Satisfecisti
776	Quonam pacto tuae	572	Scalabrinus
576	Quo te nomine	583	Scio pro tuae virtutis
397	Quotiens ad te scripserim	274	Scio pro tua in me
509	Quotiens aliquam de te	770	Scio quantum in
199	Quotiens aliquid abs te mihi	279	Scis te mihi
773	Quotienscunque litteras tuas	907	Scribis te meas accepisse
428	Quotiens litteras tuas lego	401	Secesseram in hanc
911	Quotiens nuntium de te	702	Sera gratulatio
59	Quotiens tuae mihi	837	Seria sunt quae dura
370	Quotiens tuas lego	798	Sero a me litteras
487	Quousque te ac tua	649	Sexcentas ego tibi gratias
		555	Sexcenti videntur
		586	Si ad te serius

445	Si aliunde vel fama	396	Statueram in hisce
821	Si crederem mea	810	Strabonem
637	Sicut alias in te virtutes	109	Suavissimas abs te
829	Sicut aliis ad vestram	731	Subitus Pauli
600	Sicuti novo quodam	737	Superi et dii boni
886	Si ditem faciunt	8	Superioribus ad te litteris nudiis tertius
654	Si ex duobus	557	Superioribus ad te litteris publicas
864	Si linguae quidem	422	Superioribus diebus alteras
562	Si litterarum inter nos	252	Superioribus diebus pater
464	Si litteris his profecto	75	Superioribus diebus primum
386	Si mihi par voto	698	Superioribus diebus princeps
717	Singulare habeo	86	Superioribus diebus tam multa
395	Si pergitus ut	631	Superioribus diebus unas ad te
580	Si quando alias hoc praesertim	120	Superioribus diebus Verona
507	Si quando alias tum maxime	73	Superioribus litteris meis
493	Si quando tua de virtute	753	Superiori tempore constitui
499	Si quando Veronam	214	Superiori tempore cum ad nos
196	Si quantum ipse	758	Superiori tempore cum e Rodingio
78	Si quis aliunde	350	Superiori tempore cum fama
788	Si quis Apollineum	792	Supervacuum
292	Si qui sunt qui bene	609	Suppudet
502	Si quo pacto de tua	921	Suscipe ludentis
759	Si rarius ad te		
974	Si repentinus	806	Tam diurno teneri
885	Si superi hunc	767	Tam diurnum nos
141	Si tardior ad scribendum	128	Tametsi propter
115	Si tardior in mittendis	470	Tam variis beneficiorum
46	Si tardius quam velles	455	Tandem ea et profecto
569	Si te a me diligi	785	Tandem tuas accepi litteras
374	Si tibi respondere	194	Tandem unas abs te litteras arripui
192	Si ullo pacto dignas	193	Tandem unas abs te litteras non dicam
929	Si ulterius quam	89	Tanta benivolentia
882	Si verbis fraudulentissimi	450	Tanti facio; v. Quanti
100	Si verbis non autem	946c	Tantis incommodis
553	Solebas amantissime	787	Tanti tua studia
443	Solemus humanissime	344	Tantopere tuam in me
932	Solent homines	345	Tardiiores accipies
603	Solent ii qui de aliqua	392	Tardiiores fecit
677	Solent iis qui sanctarum	338	Tardiulus redeuntes
780	Solent plerique vel	941	Tardiulus videor
912	Soleo plerunque		
93	Soles pro tua		
742	Solitas accepi		
107	Speravi laetissimum tibi		
265	Statueram ad te		

383	Tardius quam vellem	889	Tuarum plerunque rerum
365	Tardius tibi responsum	362	Tuas ad Brugnaram
558	Tardum ac paene	197	Tuas cum lego
349	Tardum Basili	94	Tuas mirum in modum
629	Tardus sum fateor	99	Tua summa humanitas
340	Te mihi debere	307	Tua virtus et humanitas
157	Tene an me an	604	Tuis ex rebus
41	Teneo memoria	830	Tulit fortuna
835	Te precor o nostri	900	Tum multis ex rebus
715	Thomas	658	Tu non parvas spargis
918	Timebam mihi	828	Tuo in libello
905	Timotheum	103	Tuum in doctos
887	Titum Quintium	563	Tuus humanissimus
896	Titum Vespasiani	646	Tuus in me amor cum omnibus
285	Tot ac tanta	756	Tuus in me amor et patris
272	Totiens ad te scripsi	858	Tuus nuper adventus
198	Totiens laetari et	302	Tuus nuper ex Tridento
288	Totiens laetum ago	425	Ugutionem
942	Totiens nova	356	Unas abs te litteras acceperam antea
376	Tuae ad me hesterno	7	Unas abs te nuper iocundissime
406	Tuae ex Bononia	203	Unas ad Brenzonianum
496	Tuae litterae hesterno	311	Una tantum in re
874	Tuae mihi non mediocriter	53	Unis litteris cupio
489	Tua in me beneficia Thoma	387	Unis litteris et tristitia
532	Tua in me caritas amor et be- nivolentia	584	Ut dignas tuae
530	Tua in me caritas benivolentia et observantia	416	Ut diutius etiam
740	Tua in me caritas et benivo- lentia cuius	155	Ut intelligas quam firma
589	Tua in me fides ac pietas	583	Ut intelligas tuum me
543	Tua in me pietas et munificentia	441	Ut possimi oratiunculae
516	Tuam humanitate sicut	209	Ut primum horsum
861	Tua mihi inpraesentiarum	394	Ut primum litteras
511	Tua mihi opus est cura et di- ligentia	503	Ut primum sapere
260	Tua mihi opus est ope apud	799	Ut quod scio peroptas
636	Tua mihi opus est opera sed prius	143	Ut tardior
734	Tuam in omni re diligentiam	854	Utrum magnum
488	Tuam munificentiam laudare	538	Ut tuos quantum
713	Tuam nuper ad me delatam	736	Vehementer doleo
361	Tua probitas et singularis	457	Venerunt ad me litterae
254	Tuarum litterarum dulcedo	137	Venit ad me bonus
738	Tuarum litterarum humanitate	447	Venit ad nos Nicolaus
		219	Venit ad nos Paulus
		419	Venit in mentem aeris

378	Venit istuc carissimus	262	Video morbum
703	Verebar	421	Videre potes
743	Vereor eques	514	Vidi utrasque
743A	Vereor interdum	570	Vin meam audire
541	Verum est profecto	946F	Virorum amicissime
132	Veterem Draconem	853A	Virum Atheniensem
890	Veteres illi	564	Vixdum alteras
975	Vetus amor noster eo iam	793	Vix explicare
650	Vetus mos Alberte	23	Volui saepenumero aliquid
512	Vide litteras tuas	17	Volui saepenumero animosi
633	Videmur mutuum	612	Vos laetis oculis











Epistolario.

v. 2

23281

Guarino da Verona - Epistolario. v.2

PONTI LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

50 Bloor Street West, Toronto, Ontario M5S 1C4

Toronto, Ontario, Canada M5S 1C4

23281

